efficiunt ex II 6, 24, ubi psaltarum mentio fit.[51]) Deinde verbis nituntur IV 8, 24 'exemplum accersamus de saeculo: vide quemadmodum in civitatibus bonorum principum imagines perseverent, deleantur imagines tyrannorum', quae referunt ad Gratianum a. 383 occisum, cuius imagines illo extincto 'populus cui iuvenis ille princeps tam iustum sui reliquerat desiderium conservavit'. Nam cum Antiochenses seditione facta a. 387 Theodosii eiusque familiae statuas everterint[52]), fieri non posse illi arbitrantur, ut post illud factum Ambrosius summae prudentiae vir, apud quem in summo honore fuerit Theodosius, eis verbis usus sit. Quae ratiocinatio ne argutior quam verior sit vereor. Nam quae de psaltis memorantur nullius momenti duco, neque quae de imperatorum imaginibus facit verba ut ad certum aliquod factum referantur quicquam cogit. Sin hoc minus placet, magis consentaneum videtur esse, cum de tyrannorum imaginibus maiore quadam vi loqui videatur, cogitare vel de Maximo vel de Eugenio tyrannis, ita ut aut post a. 388 aut post a. 394 libri illi editi dici possint.[53]) Sed res incerta est. Ceteri viri docti ut adsolet in Maurinorum argumentatione acquieverunt.

Secundum huius operis librum Erasmus, qui primus edidit, Ambrosio abiudicari voluit discrepantia quadam generis dicendi commotus adscribique nescio quo iure auctori librorum 'de Vocatione gentium'.[54]) Sed tota operis indoles hunc secundum librum flagitat. Librum enim primum de interpellatione Iob alter sequitur de interpellatione David, quibus respondent libri duo posteriores, tertius de Iob, quartus de David.[55]) In genere autem dicendi nihil invenio quod offendat.

Apologia prophetae David.

Codices nonnulli huic inscriptioni adiciunt 'ad Theodosium Augustum', de quibus verbis dubitatum est. Ad tempus quo scripta sit definiendum valent quae leguntur 6, 27: 'Utinam hunc virum (David) imitati essent posteri, non tantas bellorum pertulissemus acerbitates! arguis quod unum occiderit, non consideras quod docuerit quemadmodum pax orbi Romano perpetua servaretur. Quam gravi adhuc luimus vastitate, quam publico quodam totius orbis funere appetiti necem regis exsolvimus? heu dira supplicia! inde adhuc nobis barbarus hostis insultat, dum parata adversum se in nos arma vertuntur.' Referri haec non possunt nisi ad caedem Gratiani Augusti a. 383 mense Aug. perpetratam. Terminus ante quem

51) 'Non ergo aliqui addant *domine,* ut psaltae faciunt, quod neque in latino codice inveni meo neque in graeco neque in evangelio, quod est evidentius.'

52) Gueldenpenning, Kaiser Theod. p. 141 sqq.

53) Enarr. ps. XXXVIII § 27 'hic siquis tyranni imagines habeat, qui iam victus est, iure damnatur' spectare putarim ad Eugenium victum.

54) Migne Patrol. XVII p. 1073.

55) cfr. de interp. III 1, 1. IV 1, 1.

scripta est, efficitur ex Expos. evang. Luc. III 38 'de qua historia (sc. de caede Uriae) quoniam alibi plenius diximus, hic transeundum videtur', quae spectare ad Apologiam David manifestum est. Intra annos igitur 383 et 385 scriptam dicemus.[56]) De Apologia David altera infra dicendum erit. Ab Augustino una tantum laudatur eaque prior.[57])

Enarrationes in psalmos XII Davidicos.

Commentaria in psalmos Ambrosius conscripsit hos I, XXXV —XL, XLIII, XLV, XLVII, XLVIII, LXI, CXVIII[58]), quae non hoc ordine se excipiunt. Breviores praeterea enarrationes inseruit psalmorum XLI et XLII libro de interpell. II, psalmi L Apologiae David (8, 41 sqq.), psalmi LXXII libro de interpell. IV, psalmi CXIV consolationi de obitu Theodosii.[59])

Omnium primo scriptam puto psalmi I enarrationem propter prologum satis amplum, quem praemisit de laude et utilitate psalmorum, in quo non pauca insunt Basiliana. § 51 ipse revocat ad libros de excessu Satyri fratris scriptos a. 379.[60]) In prol. § 9 de hymnorum psalmorumque cantu in ecclesia publico loquitur, ita ut post a. 386 hanc enarrationem elucubraverit. Sed nihil cogit, ut cum Maurinis statuamus eam ultra a. 390 reiciendam non esse propter 'studia recentis instituti adhuc ferventia'.

Enarr. ps. XXXV—XL deinceps conscriptae videntur.[61]) In quibus hae insunt temporis notae. Ad Iustinae persecutiones pertinent quae leguntur in Enarr. ps. XXXVI § 19 'extiterunt Ariani regali subnixi potentia, qui templum domini putarent sibi esse tradendum, supplicia acerba minitantes; sed absit ut apud mentem domino servientem praeponderaret magis poenae formido quam forma pietatis: non praevaluit perfidia, quia fides restitit.'[62]) Ibidem § 49 Sarmationem et Barbatianum monachos apostatas non obscure per-

---

56) Vide quae mox proferentur de tempore Expos. ev. Luc.

57) Contra Iul. Pel. II 7, 20. I 4, 11. contra duas ep. Pel. IV 11.

58) Cassiod. Inst. div. litt. 4 'in quibusdam psalmis b. Hilarius, b. Ambrosius et b. Hieronymus, in omnibus tamen Augustinus studiose nimis latiusque tractavit'.

59) Enarr. ps. XXXVI § 32 pollicetur commentarium psalmi LVII quem non reliquit.

60) 'Et de resurrectione quidem plurima divinarum scripturarum sunt testimonia, quae non praetermisimus in libris consolationis et resurrectionis.'

61) Enarr. ps. XXXVI § 3 'pulchre autem sanctus David in superiore psalmo (35) iniusti vitam describit, hic iusti'. XXXIX § 1 'in superioribus psalmis poenitentiam praedicavit, deinde de patientia sua et de perturbatione hominis est locutus; in trigesimo autem nono' etc. XXXVIII § 1 'in superiore psalmo expressa forma poenitentiae est, in hoc sequenti patientiae forma signatur'. XL § 1 'bono ordine qui in superiore psalmo dixit *Ecce venio,* in hoc iam venit et patitur'.

62) cfr. Sermo contra Aux. de basilicis tradendis.

stringit[63]), de quibus fusius agit in ep. 63 ad Vercellensem ecclesiam data sub fine aetatis. § 25 dilucide victoriam commemorat a Theodosio de Eugenio a. 394 (mense Sept.) reportatam.[64]) Ad quam victoriam nescio an spectent haec quoque verba Enarr. ps. XXXVIII § 27 'hic si quis tyranni imagines habeat, qui iam victus interiit, iure damnatur'. Ad caedem Thessalonicensem a. 390 perpetratam Theodosiique paenitentiam quin revocet auctor in Enarr. ps. XXXVII § 43 'vides ergo quia regibus non temere vel a prophetis vel a sacerdotibus facienda iniuria sit, si nulla sint graviora peccata, in quibus debeant argui: ubi autem peccata graviora sunt, ibi non videtur a sacerdote parcendum, ut iustis increpationibus corrigantur' vix dubium est.[65]) In Enarr. ps. XL § 38 denique ad Expos. ev. Luc. ita delegat, ut haec iam ante aliquot annos scripta videatur.[66])

Enarr. ps. XLV. XLVII. XLVIII antea an postea scriptae sint parum liquet. Ex Enarr. ps XLVIII Augustinus locum affert (§ 8) in libro contra Iul. Pel. I 4, 11. In Expos. ev. Luc. III 15 sese de illo psalmo scripturum esse Ambrosius indicat hisce verbis 'licet sit versiculi istius (ps. 48, 8) et alia interpretatio, quam suo dicemus loco' (Enarr. ps. XLVIII § 13 sq.), idque non multo post eum fecisse ex illis verbis videtur apparere.

Enarr. ps. LXI post Maximi mortem (a. 388) orta est. Nam quae § 26 profert, ea ad legationem alteram a. 386 vel 387 pro Valentiniano susceptam Maximique supplicium spectant.[67]) Quae praecedunt (inde a § 17) ad Gratiani Augusti necem referenda sunt.[68])

Psalmi denique XLIII commentarium, quem morte appropin-

---

63) 'Dudum de monasteriis exierunt et nunc luxuriae sunt magistri, disseminatores incontinentiae, incentores petulantiae, obtrectatores pudoris' e. q. s. cfr. ep. 63, 7—10.

64) 'Saepe enim iacula in ipsos qui ea iecerint refunduntur. Quod etiam proximo accidit bello, cum infideles et sacrilegi lacesserent aliquem in domino confidentem et regnum eius ereptum ire contenderent, ecclesiis domini persecutionum saeva minitantes, sed subito ventus oriretur, qui infidelibus excuteret scuta de manibus' e. q. s. cfr. Sievers, Studien p. 326, Gueldenpenning l. c. p. 225. Ambros. ep. 62, 4. August. de civ. dei V 26.

65) cfr. ibid. § 19 'imitamini ergo, imperatores, exemplum divinum, ut sitis in statuendis legibus severiores, in exigendis suppliciis misericordes'. Ambr. ep. 51.

66) 'Unum autem evangelium esse et alibi [sc. Expos. ev. Luc. I 1. 2] ni fallor intimavimus, et si iterum exigitur, facile possumus edocere.'

67) 'Nec petitor igitur sepulturae defuit etsi Ioseph ille qui iustus dicebatur defuit. Sed longe Maximus saevior denegabat, quod ipse Pilatus auferre non potuit. In quo parricidae humanitas defuit, innocenti tamen non defuit gratia, et ad tempus adsumpta patientia vindicta paullulum comperendinata est'; cfr. Ambr. ep. 24. de ob. Val. 28.

68) § 17 'recordamur aliquem proxime ab omnibus appetitum a suis destitutum ac proditum: qui dudum in suggestu locatus imperii... coepit urgeri ingruentibus in exitum, inferentibus mortem, nullo auxiliatore, nullo iam socio sui, nullo comite'.

quante dictavit, non absolvit. Deest enim duorum versuum explanatio. Scriptus igitur est a. 397 ineunte.[69]

Expositio psalmi CXVIII.

Hoc scriptum omnium quae episcopus elaboravit praeter Expos. evang. Lucae longe maximi ambitus sermonibus concinnatum est[70], qui duobus fere continuis annis habiti sunt, siquidem recte in martyrologiis dies natalis Gervasii Protasiique martyrum dies 19. Iun. et natalis sancti Sebastiani d. 20. Ian. constituti sunt. Illius enim mentionem facit Ambrosius 6, 16[71], huius 20, 44. Illorum martyrum corpora episcopus invenit a. 386, aestate ut videtur.[72] Ad Iustinae persecutionem pertinent 11, 22 et 21, 9. Hymnorum cantum illo tempore a se institutum memorat 7, 25sq. 8, 48. De evangelio Lucae se iam scripsisse 14, 38 indicat.[73] Vix igitur ante a. 388 psalmi expositio absoluta est. Certiorem non inveni temporis notam. Liber de Isaac post illam scriptus est[74], neque minus epistulae 63 nonnulla videntur inserta esse ex illius psalmi expositione.[75]

Expositio evangelii secundum Lucam.

Sermones, ex quibus libri decem[76] Expos. evang. Lucae compositi sunt, anni fere spatio habuit. Nam IV 76 de die Epiphaniorum ut proxime praeterlapso loquitur[77] et VIII 73 diem ordinationis suae esse memorat, qui d. 7. Dec. ab ecclesia celebratur. Librum, quem de viduis scripsit a. 377 vel 378, saepius affert[78], praeterea libros de fide[79], de spiritu sancto[80] (scr. a. 381), Apologiam David (scr. post 383)[81], Expositionem Esaiae prophetae, qui liber interiit.[82]

---

69) Paulin. vita Ambr. 42. cfr. Enarr. § 72 verba quae quasi mortem appropinquantem expectans videtur dictasse.

70) cfr. 6, 16; 14, 4; 20, 44.

71) 'Celebramus enim diem sanctorum quo revelata sint populis corpora sanctorum martyrum.' In pluribus codd. Protasii et Gervasii nomina superscripta esse Maurini affirmant.

72) cfr. adn. ad Serm. contra Aux. et ep. 22.

73) Delegat ad Expos. ev. Luc. IV 11sq.

74) De Isaac 4, 17 ubi delegat ad ps. CXVIII expos. 2, 32sqq.

75) cfr. ep. 63, 94. 95 cum ps. expos. 12, 38. 39.

76) Augustinus novem novit libros; affert enim X 89 ut ex nono libro (de gratia Christi 45, 49). Idem alios locos huius operis laudat, cfr. de pecc. origin. 41, 49. de natura et gratia 63, 75. de bono persever. 19, 49. contra Iul. Pel. II 5, 10. contra sec. Iul. resp. I 47. 48. 66. 112 etc.

77) 'Nemo adhuc nomen suum dedit, adhuc noctem habeo, misi iaculum vocis per Epiphania et adhuc nihil cepi.'

78) II 62. IV 48. 50. X 6.

79) III 32. VII 68. VIII 95.

80) VI 31. Probabilius enim revocat ad libr. de spir. III 17, 125sqq. quam ad lib. de Ioseph 3, 14 ubi eadem res multo brevius tractatur.

81) III 38.

82) II 56.

Ad commentaria sua in Lucam contra revocat in Enarr. ps. XL § 38, ps. CVIII 14, 38, in libris de benedict. patriarch. 4, 21[83]) et de institutione virginis 6, 42.[84]) Quae leguntur in ep. 63, 109. 110 sumpta sunt ex Expos. ev. Luc. X 129—132. Accuratior temporis definitio acquiritur ex VII 52 'audis aliquem sacerdotem dici, rapinas eius agnoscis: vestitum ovis habet, facta praedonis; foris ovis, intus lupus est, qui modum non habet rapinarum, qui tamquam in nocte Scythico membra duratus gelu, cruentus ora circumvolat quaerens quem devoret' e. q. s. Dicit autem Auxentium Arianorum episcopum, quem simillimis verbis in Sermone de basilicis tradendis depingit.[85]) Dicta sunt illa in ipsa Iustinae persecutione non multo post legem, quam omnes catholici abominabantur, datam d. 23. Ian. a. 386.[86]) Quam designat pater sanctus in Sermone contra Aux. § 16: 'quo enim abibo ubi non omnia plena gemitus sint atque lacrimarum? quando per ecclesias iubentur eici catholici sacerdotes, resistentes gladio feriri, curiales proscribi omnes, nisi mandatum impleverint? et haec episcopi manu scripta et ore dictata, qui se ut probaret doctissimum vetus non omisit exemplum, legimus enim in propheta quod viderit falcem volantem: hanc imitatus Auxentius gladium volantem per omnes urbes direxit'; § 22 'tantorum populorum sanguinem manu sua scribet et poterit consistere animo'; § 24 'qui quos non potuerit sermone decipere, eos gladio putat esse feriendos, cruentas leges ore dictans manu scribens'; et similiter in Expos. ev. Luc. VII 52 'nonne vobis videtur lupus, qui humanae necis insaturabili crudelitate fidelium morte populorum rabiem suam explere desiderat?', VII 53 'audivimus eius ululatus, cum in orbem gladius mitteretur'. Anno igitur 386 sermones plurimi habiti sunt totumque opus non absolutum est nisi a. 387 ineunte. Neque enim omnibus diebus Ambrosius ad populum tractabat, sed maxime diebus dominicis.[87]) Cum verba fecit VII 178 'granum sinapis martyres nostri sunt Felix, Nabor et Victor' Gervasii Protasiique corpora nondum videntur inventa fuisse, quos certe Ambrosius hoc loco non omisisset.[88]) Sedata iam prorsus persecutione scripta sunt quae

---

83) 'Ut docuimus tractatu habito in evangelium' sc. Exp. ev. Luc. III 41.

84) 'Licet alibi plenius dixerimus' sc. Exp. ev. Luc. libr. II.

85) cfr. §§ 15—17. 22. 24.

86) Cod. Theod. XVI 1, 4.

87) Augustin. Confess. VI 3, 4.

88) Editores ante Maur. subiungunt nomina 'Gervasius et Protasius et Nazarius'; sed codicum auctoritas refragatur. Num recte in martyrologiis dies inventionis d. 19. Iun. sit statutus dubium est. Nec minus in dubitationem vocari potest d. 7. Dec., qui dies ordinationis Ambrosii fuisse dicitur, de quo VIII 73 'pulchre mihi' inquit 'hodie legitur legis exordium, quando mei natalis est sacerdotii'. Nam nisi omnia fallunt verba VIII 90 'et quoniam de typo ad moralia defleximus, inter tot credentium voluntates dominica die relaxare animum, festivitatem ad-

leguntur IX 32 'ecce tempus acceptibile . . . dissensionum quippe omnium procella deferbuit, cuncti saecularis cupiditatis ardores aestusque omnes, quibus Italiae populus per Iudaeae olim et Arianae proxime saevitatis incendia coquebatur, sereno iam spiramine temperantur: sedata tempestas est, concordia navigat, fides spirat, certatim nautae repetunt fidei quos reliquere portus et dulcia patriis oscula littoribus affigunt liberatos se periculis, absolutos erroribus gratulantes'.[89])

Hieronymo Expositionem suam evangelii Lucae non videtur probasse Ambrosius, siquidem Rufino fides habenda est dicenti Hieronymianis verbis 'ante paucos dies quorundam in Matthaeum et Lucam commentarios vos legisse dixistis, e quibus alter et sensibus hebes esset et alter in verbis luderet, in sententiis dormitaret'[90]), denotari episcopum Mediolanensem.[91]) Sed laudant huius libros praeter Augustinum Cassianus[92]) et Cassiodorius.[93])

De officiis ministrorum libri III.

Terminus post quem scripti sunt statui potest. Lib. I 18, 72 de duobus clericis, qui a fide catholica defecerant, agit: 'alter', inquit, 'Arianae infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniae studio, ne iudicium subiret sacerdotale, se nostrum negavit'. Ad idem tempus, Iustinae scilicet persecutionem, spectant quae de viduae Ticinensis deposito narrat II 29, 150 sq.: 'meministis ipsi, quotiens adversus regales impetus pro viduarum, immo omnium depositis certamen subierimus . . . recens exemplum ecclesiae Ticinensis proferam, quae viduae depositum quod susceperat amittere periclitabatur'. Quod Ambrosio auctore irritum cecidit. Accidisse hoc verisimile est a. 386 ineunte, cum Valentinianus Ticini versabatur.[94]) Terminus posterior effici nequit. Nam famem summamque annonae caritatem, quam proxime Romae fuisse III 7, 49 dicit, quo tempore 'eiectos esse urbe amplissima, qui iam plurimam illic aetatem transegerant, flentes cum filiis abiisse' queritur, Seeckio[95])

---

miscere delectat' eodem natali die dicta sunt. Dies autem 7. Dec. a. 386 non in dominicam cecidit.

89) Dicta sunt a. 386 exeunte vel ineunte sequenti.

90) Praef. de hom. in Lucam ad Paul. et Eustochium.

91) Rufin. Apol. in Hieron. II 22 sq. (Migne 21, 601) cfr. II 23 'ecce quae de Origene et Ambrosio sentiat; quod si negare voluerit, hoc quod omnes sciunt, quia de sancto Ambrosio dixerit, primo ex eo convincetur . . . deinde scit me habere epistulam suam, in qua hoc ipsum de aliis excusans in illum convertit suspicionem: verum quia epistula illa secretiora quaedam continet, quae interim modo publicari nolo ante tempus, ex aliis adhuc his similibus approbabimus' etc.

92) De incarn. Christi VII 25.

93) Comm. in psalm. VI (Migne 70, 59). Inst. div. litt. 7.

94) Cod. Theod. XII 12, 11. d. 15. Febr.

95) Proleg. Symm. p. CXIX.

assentior eandem esse quam Symmachus in epistulis ad Flavianum fratrem datis II 6. 7. 52 memorat quaeque praefecturam illius praecessit a. 383.[96]) Peregrinos tunc ex urbe pulsos esse Symmachus[97]) alii tradunt. Ea denique quae Ambrosius II 15, 70 de captivis barbarorum ab ecclesia redemptis et de vasis ecclesiasticis a se venditis II 28, 136 profert, non cum Baronio ad bellum Maximi a. 387/8 referenda esse, sed melius ad barbarorum inundationem a. 378/9 pertinere Maurini viderunt. Post annum igitur 386 libri de officiis editi sunt. Annus 391 quem Maurini sumunt incertus est. Librorum ante a se scriptorum nullum memorat nisi unum de Noë et arca, ad quem I 18, 78 delegat, ubi de constructione arcae agit. Fortasse etiam libros de Iacob ante scriptos esse supra indicavi.

Libri ex sermonibus conflati sunt[98]), quos ad filios suos h. e. clericos habuit; cfr. II 6, 25 'neque enim mihi ad mercatores lucri cupidine avaros, sed filios sermo est, et sermo de officiis, quae vobis, quos elegi in ministerium domini, inculcare gestio', I 7, 24 'et sicut Tullius ad erudiendum filium, ita ego quoque ad vos informandos filios meos'. Laudantur ab Augustino[99]) et Cassiodorio.[100])

De virginibus libr. III

ad Marcellinam sororem scripsit 'nondum triennalis sacerdos'[101]) a. 377. Natos esse hos quoque Maurinis assentior sermonibus, quorum primus die natali sanctae Agnetis (d. 21. Ian.) recitatus est.[102]) Quibus libris in serie Ambrosianorum nullum priorem esse satis libri primi caput primum mihi videtur demonstrare: 'Iure nobis verendum est, quibus licet ingenium tenue, necessitas tamen maxima eloquia dei credita populi fenerare mentibus, ne vocis quoque nostrae poscatur usura, praesertim cum studium a nobis dominus, non profectum requirat. Unde scribendi aliquid sententia fuit. Maiore siquidem pudoris periculo auditur vox nostra, quam legitur, liber enim non erubescit. Et quidem ingenio diffisus, sed divinae

---

96) Ambr. ep. 18, 21 (scr. a. 384) 'esto tamen si superiore anno deorum suorum iniurias vindicatas putant cur praesenti anno contemptui fuerunt?'

97) Ep. II 7. cfr. de fame illa Symm. Rel. de ara Victor. § 14 sqq. Ambr. ep. 18, 17 sqq. Seeck, Prol. Symm. p. LXXXIX (ad Ambr. de offic. III 7, 48).

98) I 3, 13 'audistis hodie lectum', I 3, 15 'sicut audisti hodie legi', I 8, 25 'dum legimus hodie evangelium'; cfr. I 7, 23 'neque improvide ad vos filios meos scribens huius psalmi prooemio usus sum'.

99) Epist. 116, 21 (Migne 22, 946).

100) Inst. div. litt. 16.

101) II 6, 39 'haec ego vobis, sanctae virgines, nondum triennalis sacerdos munuscula paravi, licet usu indoctus, sed vestris edoctus moribus'.

102) I 2, 5 'et bene procedit, ut, quoniam hodie natalis est virginis, de virginibus sit loquendum et a praedicatione liber sumat exordium ... natalis est sanctae Agnes' e. q. s.

misericordiae provocatus exemplis sermonem meditari audeo, nam volente deo etiam asina locuta est. Quod si mihi sub istius saeculi oneribus constituto adsistat angelus, ego quoque muta diu ora laxabo ... Ac fortasse miretur aliquis, cur scribere audeo qui loqui nequeo' e. q. s. II 1, 1: 'superiore libro quantum virginitatis munus sit, voluimus — non enim potuimus — explicare, ut per se caelestis gratia muneris invitet legentem ... sed quoniam nos infirmi ad monendum sumus et impares ad docendum — debet enim is qui docet supra eum qui docetur excellere — ne vel susceptum deseruisse munus vel nobis arrogasse amplius videremur, exemplis potius quam praeceptis putavimus imbuendum.' Quae verba modesta ac paene timida viri sunt rudimenta ponentis, ut iam Fr. Vogelius recte monuit.[103]) Eum iam a. 375 librum edidisse de paradiso, quod volunt Maurini, probabile non est.

Laudantur Ambrosii de virginibus libri ab Hieronymo[104]), Augustino[105]), Cassiano[106]) aliis.

De viduis.

Verba in exordio posita I 1 'bene accidit, fratres, ut, quoniam tribus libris superioribus de virginum laudibus disseruimus, viduarum tractatus incideret; neque enim inhonoras debuimus praeterire et a virginum praeconio separare, quas apostolica sententia cum virginibus copulavit' produnt librum cohaerere cum libris de virginibus tribus[107]) scriptumque esse paullo post hos, eodem ut videtur anno. Temere centuriatores Magdeburgenses libellum in suspicionem vocarunt, cum non modo Hieronymus illum laudet[108]), sed ipse Ambrosius saepius commemoret.[109])

De virginitate.

Sermones, ex quibus hic liber concrevit[110]), habuit postquam de viduis scripsit, ad quem libellum 8, 46 revocat: 'ut illa vidua,

---

103) De Hegesippo qui dicitur p. 17.

104) Ep. 22, 22 'legas ... Ambrosii nostri quae nuper scripsit ad sororem opuscula, in quibus tanto se effudit eloquio, ut quicquid ad laudes virginum pertinet exquisierit expresserit ordinarit'. ep. 48, 14 'et multa alia quae tribus libellis de virginibus latissime persecutus est'.

105) De doctr. Christi IV 21 (de virg. I 6, 28. II 2, 7).

106) De incarn. Christi VII 25 (Migne 50, 252) 'Ambrosius in libro qui est ad virgines ita memorat' (de virg. I 8, 46).

107) In cod. bibl. Ambr. saec. XV, quem Baller. contulit, haec inscriptio est: 'incipit adhortatio ad viduas liber quartus'.

108) Ep. 48, 14 affert de vid. 13, 79; pro 'integritatis' quod habet Ambrosius, Hieronymus legit 'virginitatis'.

109) Expos. ev. Luc. II 62. IV 48. 50. X 6.

110) 3, 4 'hodierna quae decursa est lectio'; 19, 121 'audistis hodie dicentem dominum'. Defendendi se causa maxime videtur sermones habuisse, cfr. cap. 5.

quam in alio perstrinximus libro' (sc. de vid. cap. 9). Maurini propter argumenti similitudinem iam a. 378 scriptum putant, sed annus incertus est. Quae 20, 130 leguntur 'auxilium de sociis ministravit, adest piscator ecclesiae Bononiensis aptus ad hoc piscandi genus' iure Baronius videtur rettulisse ad Eusebium episcopum Bononiensem, qui una cum Ambrosio interfuit a. 381 concilio Aquileiensi. Iniuria priores editores hunc librum cum libris de virginibus tribus coniunxerunt, ut tamquam quartus esset. Nam tres tantum de virginibus libros se edidisse ipse auctor testatur.[111])

De institutione virginis ad Eusebium.[112])

Eusebius qui fuerit utrum episcopus, ut multi voluerunt, Bononiensis an civis aliquis nobilis, parum constat. Hoc tamen cum Maurinis probabilius duco.[113]) Ad quem Ambrosius, cum Ambrosiam illius neptem Mediolanii consecrasset virginem, libellum scripsit de institutione virginis.[114]) Cap. 2, 15 ipse se iam aliis libris de virginitate egisse testatur; cap. 6, 42 eum revocare ad Expos. evang. Luc. libr. II editores Maurini animadverterunt. Temporis definitio paullo accuratior inest 5, 35 'fuerunt qui eam (Mariam) negarunt virginem perseverasse. Hoc tantum sacrilegium silere iam dudum maluimus. Sed quia causa vocavit in medium, ita ut eius prolapsionis etiam episcopus argueretur, indemnatum non putamus relinquendum'. Quibus verbis Bonosum perstringit episcopum Serdicensem (Thraciae), qui perpetuam Mariae virginitatem negaverat. De cuius doctrina actum est in concilio Capuano a. 391[115]), quod rem non diiudicavit, sed iudicium Macedoniae episcopis Bonoso vicinis faciendum demandavit. Qua de re conferenda est epistula de causa Bonosi quae vocatur ad episcopos Macedoniae Anysium alios data, quam Ambrosio editores nonnulli tribuerunt[116]), quod vetant verba § 2 'denique cum Bonosus episcopus post iudicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui eius sententiam consuleret, interdictam sibi ecclesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei' e. q. s. Qui auctor fuerit non satis constat. Lucas Holstenius Siricium papam auctorem dixit non sine probabilitate.[117])

111) De viduis 1, 1; cfr. de virginib. III 7, 32 ubi dicit se iam ad finem orationis vela pandere.

112) In codicibus titulus invenitur 'sermo de sanctae Mariae virginitate perpetua'.

113) cfr. Ambr. epp. 54 et 55.

114) De inst. virg. 1, 1; 2, 15.

115) cfr. Ambr. 5, 35 'quia causa vocavit in medium'. Annum concilii Tillemontius (Note 41 sur Ambr.) effecit, quem posteriores secuti sunt. Hefele, Concil. II p. 52. Langen, Gesch. der röm. Kirche I p. 639.

116) Constant, Epist. pontif. p. 675. Maurini ediderunt post Ambr. ep. 56. Ballerini V p. 299.

117) Constant, Epist. pontif. p. 675. Langen l. c. I p. 639.

satisfecit. Gratianus cum bello illo nihil perfecisset et Valente devicto ipse a barbaris apud Sirmium premeretur, Theodosium ex Hispania arcessivit, quem d. 19. Ian. 379 Sirmii Augustum declaravit. Medio anno 379 in Italiam reversus epistulam dedit ad Ambrosium, cui respondit hic ep. 1 scripta ante libros de fide III—V[131]), qui a. 379 aut sequenti compositi sunt, antequam de spiritu sancto scribere coepit.[132]) Libri tres posteriores ex sermonibus coaluerunt ad populum habitis. Multis enim locis ad auditores se vertit[133]), aliis imperatorem compellat.[134]) — Libri de fide a posterioribus scriptoribus saepe laudantur. Prosper in Chron. ad a. 380 (Gratiano V et Theodosio coss.) haec adnotat: 'Ambrosius episcopus pro catholica fide multa sublimiter scripsit'.[135]) Libros de trinitate Cassiodorius appellat.[136]) Fulgentius per Ambrosium 'Augusti tunc Gratiani fidem firmatam' dicit.[137]) Ipse Ambrosius non semel ad hos libros revocat.[138])

De spiritu sancto libri III ad Gratianum Augustum

paullo post libros de fide conscripti sunt, ad quos tamquam eiusdem operis delegat I 5, 56 et I 11, 121.[139]) Iam ep. 1 ad Gratianum

---

ac breviter impolita magis proposui quam enodata digessi'. III 1, 1 'ideo quasi in procinctu positus duos tantum conscripsi libellos'. II 16, 136 'neque vero te, imperator, pluribus tenere debeo bello intentum et victricia de barbaris trophaea meditantem. Progredere plane scuto fidei saeptus et gladium spiritus habens, progredere ad victoriam' e. q. s. cfr. II 16, 139. 140.

131) Ep. 1, 7. v. quae adnotavi ad hanc epistulam.

132) De fide III 1, 2 'quoniam mens prava quorundam serendis intenta quaestionibus stilo lacessit uberiore confici, tuae quoque pia me cura clementiae ad cetera vocat, volens in pluribus experiri quem in paucis (h. e. libr. de fide I et II) probasti, ea quae perstricta paucis superius sunt, placuit mihi paullo latius exsequi, ne ea quasi diffidentia adsertionis deseruisse potius quam securitate fiduciae proposuisse videamur'. V prol. 6 'quintum itaque, imperator Auguste, hunc librum paramus ordiri'; prol. 7 'quinto igitur libro de patris ac filii et spiritus sancti inseparabile divinitate digerimus sequestrata interim pleniore disputatione de spiritu sancto'. De spiritu sancto a. 381 scripsit.

133) V prol. 9 'vos nobis estis omnia, qui haec auditis aut legitis'. prol. 11 'neque ego, fratres, voti avarus ideo haec opto'. III 17, 142 'ferias hodierni sermonis habeamus'. IV 10, 119 'considerate quid lectum sit hodie'.

134) III 1, 1. IV 1, 1. V prol. 6.

135) Eadem Cassiodorius in Chron. exhibet nisi quod 'pro catholica fide' mutavit in 'de christiana fide'. cfr. Mommsen, Abhandl. der sächs. Gesellsch. III p. 568. 649.

136) Inst. div. litt. 16 et Comm. in ps. L (Migne 70, 367).

137) Pro fide cathol. 3 (Migne 65, 710).

138) De spir. sancto I 5, 56. I 11, 121. Expos. evang. Luc. III 32. VII 68. VIII 95. Epist. 46, 3. Laudantur praeterea a Theodoreto (Eranistae sive Polym. dial. II p. 95. III p. 163 edit. Paris. 1642), Leontio (adv. Eutych. et Nestor. libr. I p. 671. 684 Gallandi) aliis.

139) Priore loco dicit libr. de fide III 2, altero V 7.

singularumque dictionum cernitur consensus, quales sunt 'sacri fontis irriguo' 9, 56[125]), 'lectio decursa est' 8, 45, 'abluere peccatum' 3, 11, 'abolere errorem' 3, 12 aliae. — De libris de sacramentis, quibus idem argumentum exponitur, infra dicendum erit.

De poenitentia libri II

scripti sunt contra Novatianos[126]) aliquantulo ante Enarr. ps. XXXVII, ubi (§ 1) haec 'de poenitentia', inquit, 'duos iam dudum scripsi libellos'. Sed certum annum cui adscribam non invenio, etsi Maurini a. fere 384 sumunt. Non omittenda puto quae de se ipse profert II 8, 67 'plus debuisse me fateor et plus dimissum mihi, qui de forensium strepitu iurgiorum et a publicae terrore administrationis ad sacerdotium vocatus sum'[127]) et II 8, 73 'ego enim sciebam quod non eram dignus vocari episcopus, quoniam me dederam saeculo huic, sed gratia tua sum quod sum. Et sum quidem minimus omnium episcoporum et infimus merito; tamen quia et ego laborem aliquem pro sancta ecclesia tua suscepi, hunc fructum tuere, ne, quem perditum vocasti ad sacerdotium, eum sacerdotem perire patiaris'. Quae etiamsi referri possint ad Iustinae vexationes, tamen temporis notam certam non suppeditant. Denique II 8, 74 Ambrosius se iam seniorem denotat, sed ita ut opponat adulescentulam.[128])

De fide libri V ad Gratianum Augustum.

Libri duo priores scripti sunt a. 378 ante Valentis cladem mense Augusto apud Hadrianopolim acceptam. Quam significari putat Richterus[129]) libr. de fide II 16, 136 sqq. Sed probabilius est Gratianum post victoriam ad Argentariam de Alamannis a. 378 mense Maio reportatam, cum in orientem tenderet Valenti auxilium laturus, librum de fide ab Ambrosio petiisse.[130]) Qui statim illi

125) Apol. Dav. 12, 59 'aeterni fontis irriguo', de Isaac 4, 24 'irriguo suo diluat et fluento sui fontis abstergat', de sacram. regener. frg. III Ballerini IV p. 906 'mundari sacri fontis irriguo desiderabat'.

126) Augustin. de pecc. orig. 41, 47 'item scribens contra Novatianos ait: omnes homines' etc. (de poen. I 3, 13). Eundem locum laudat Contra duas ep. Pel. IV 11, 29. Contra Iul. II 3, 5 ('in libro contra Novatianos').

127) II 8, 72 'dicetur enim, ecce ille non in ecclesiae nutritus sinu, non edomitus a puero, sed raptus a tribunalibus abductus de vanitatibus saeculi huius' e. q. s. cfr. de offic. I 1, 4.

128) 'Fortasse adulescentula lapsa sit, occasionibus, quae delictorum fomites sunt, decepta ac praecipitata sit; peccamus et seniores ... illi de aetate suppetit excusatio, mihi iam nulla, illa enim debet discere, nos docere'.

129) Das weström. Reich p. 494.

130) I prol. 3 'petis a me fidei libellum, sancte imperator, profecturus ad proelium'. II 5, 129 'haec ego, imperator Auguste, carptim

satisfecit. Gratianus cum bello illo nihil perfecisset et Valente devicto ipse a barbaris apud Sirmium premeretur, Theodosium ex Hispania arcessivit, quem d. 19. Ian. 379 Sirmii Augustum declaravit. Medio anno 379 in Italiam reversus epistulam dedit ad Ambrosium, cui respondit hic ep. 1 scripta ante libros de fide III—V[131]), qui a. 379 aut sequenti compositi sunt, antequam de spiritu sancto scribere coepit.[132]) Libri tres posteriores ex sermonibus coaluerunt ad populum habitis. Multis enim locis ad auditores se vertit[133]), aliis imperatorem compellat.[134]) — Libri de fide a posterioribus scriptoribus saepe laudantur. Prosper in Chron. ad a. 380 (Gratiano V et Theodosio coss.) haec adnotat: 'Ambrosius episcopus pro catholica fide multa sublimiter scripsit'.[135]) Libros de trinitate Cassiodorius appellat.[136]) Fulgentius per Ambrosium 'Augusti tunc Gratiani fidem firmatam' dicit.[137]) Ipse Ambrosius non semel ad hos libros revocat.[138])

De spiritu sancto libri III ad Gratianum Augustum

paullo post libros de fide conscripti sunt, ad quos tamquam eiusdem operis delegat I 5, 56 et I 11, 121.[139]) Iam ep. 1 ad Gratianum

---

ac breviter impolita magis proposui quam enodata digessi'. III 1, 1 'ideo quasi in procinctu positus duos tantum conscripsi libellos'. II 16, 136 'neque vero te, imperator, pluribus tenere debeo bello intentum et victricia de barbaris trophaea meditantem. Progredere plane scuto fidei saeptus et gladium spiritus habens, progredere ad victoriam' e. q. s. cfr. II 16, 139. 140.

131) Ep. 1, 7. v. quae adnotavi ad hanc epistulam.

132) De fide III 1, 2 'quoniam mens prava quorundam serendis intenta quaestionibus stilo lacessit uberiore confici, tuae quoque pia me cura clementiae ad cetera vocat, volens in pluribus experiri quem in paucis (h. e. libr. de fide I et II) probasti, ea quae perstricta paucis superius sunt, placuit mihi paullo latius exsequi, ne ea quasi diffidentia adsertionis deseruisse potius quam securitate fiduciae proposuisse videamur'. V prol. 6 'quintum itaque, imperator Auguste, hunc librum paramus ordiri'; prol. 7 'quinto igitur libro de patris ac filii et spiritus sancti inseparabile divinitate digerimus sequestrata interim pleniore disputatione de spiritu sancto'. De spiritu sancto a. 381 scripsit.

133) V prol. 9 'vos nobis estis omnia, qui haec auditis aut legitis'. prol. 11 'neque ego, fratres, voti avarus ideo haec opto'. III 17, 142 'ferias hodierni sermonis habeamus'. IV 10, 119 'considerate quid lectum sit hodie'.

134) III 1, 1. IV 1, 1. V prol. 6.

135) Eadem Cassiodorius in Chron. exhibet nisi quod 'pro catholica fide' mutavit in 'de christiana fide'. cfr. Mommsen, Abhandl. der sächs. Gesellsch. III p. 568. 649.

136) Inst. div. litt. 16 et Comm. in ps. L (Migne 70, 367).

137) Pro fide cathol. 3 (Migne 65, 710).

138) De spir. sancto I 5, 56. I 11, 121. Expos. evang. Luc. III 32. VII 68. VIII 95. Epist. 46, 3. Laudantur praeterea a Theodoreto (Eranistae sive Polym. dial. II p. 95. III p. 163 edit. Paris. 1642), Leontio (adv. Eutych. et Nestor. libr. I p. 671. 684 Gallandi) aliis.

139) Priore loco dicit libr. de fide III 2, altero V 7.

a. 379 data se de spiritu sancto scripturum esse promiserat. Mortem Athanarici Gothorum regis I prol. 17 hisce tangit verbis: 'Nam etiam Constantinopolis iam dei verbum recepit .... Etenim quamdiu venena Arianorum suis fovebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta muros armis circumsonabat hostilibus. Postea vero quam fidei exules abdicavit, hostem ipsum iudicem regum, quem semper timere consueverat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obruit, sepultum possidet'. Qui mense Ianuario a. 381 magna pompa Constantinopoli sepultus est, quam urbem paullo ante regio apparatu ingressus erat.[140]) Ibidem § 18 Ambrosius Petrum memorat episcopum Alexandrinum tamquam vivum, qui ante mensem Iulium eiusdem anni decessit.[141]) Hoc igitur anno libri de spir. sancto scripti sunt.

Hieronymo non videntur probati fuisse. Qui in praefatione ad Paulinianum de spir. sancto[142]) haec: 'Cum in Babylone (h. e. Romae) versarer ... volui garrire aliquid de spiritu sancto et coeptum opusculum eiusdem urbis pontifici dedicari ... Legi dudum cuiusdam libellos de spiritu sancto et iuxta comici (sc. Terenti) sententiam ex graecis bonis latina vidi non bona. Nihil ibi dialecticum, nihil virile atque destrictum, quod lectorem vel ingratis in assensum trahat, sed totum flaccidum molle nitidum atque formosum et exquisitis hinc inde coloribus pigmentatum'. Quibus Ambrosii dici libros Rufinus auctor est in Apolog. adv. Hieron. II 23—25, id quod iam vidimus in Expositione evang. Lucae.[143])

De incarnationis dominicae sacramento[144])

librum scriptum esse constat vivo Gratiano editis iam libris de fide[145]), intra annos igitur 380—383. Scribendi autem ansam duo

140) Ifland, Kaiser Theod. p. 88.
141) Tillemont, Mém. X p. 125.
142) Migne 23, 101.
143) Hieronymum Ambrosio non amicissimum fuisse ea videntur confirmare quae nimis caute Vir. ill. cap. 124 ille profert: 'Ambrosius, Mediolanensis episcopus, usque in praesentem diem scribit. De quo, quia superest, meum iudicium subtraham, ne in alterutram partem aut adulatio in me reprehendatur aut veritas'. Vide Hieronymi quae fecit iudicia de Ambrosii libris de virginibus, de viduis, de Hexaemero supra p. 28 adn. 104. 108 et p. 13 adn. 2.
144) Ambr. de incarn. 7, 63 'hoc autem libro de incarnationis dominicae sacramento plenior, sicut debuit, facta digestio est'. Paulin. vita Ambr. 18 librum inscribit 'de incarnatione domini', item Cassiodorius in psalm. CVII (Migne 70, 781); Eusebius episc. Mediol. ep. 97, 2 (Migne 54, 946) 'de incarnationis dominicae mysterio'. Leo Magnus epist. 165 (Migne 54, 1179) alii addunt 'contra Apollinaristas'. Item inscribitur in cod. Gall. 98 saec. IX Halm, Acta minora acad. Vindob. vol. 50 (1865) p. 115. cfr. Mai Script. vet. VII p. 7. 15. 131. 134.
145) De incarn. 7, 62; 8, 81; 9, 100; cfr. 8, 79 'nam cum dudum audierint quidam' etc., ubi haud dubie dicit libros de fide.

Gratiani cubicularii dederunt Arianae fidei addicti, qui episcopum ad publicam de incarnatione domini disceptationem provocaverant. Quod cum ille se postridie facturum esse promisisset, neuter praesto erat.[146]) Quam iniuriam poenam consecutam esse Paulinus tradit: ex reda qua vehebantur eiectos cervices eos perfregisse.[147]) Ambrosius autem ne populum adstantem moraretur sermonem illis absentibus orsus est[148]), qui desinit cap. VII. Hortante imperatore, cum sermonem in libellum redigeret, nonnulla adiecit, quibus plenior et absoluta fieret disputatio.[149]) Tunc igitur Gratianus Mediolanii versabatur. In Galliam ad reprimendum Maximum non est profectus nisi aestate anni 381. Utrum ante libros de spiritu sancto an post editus sit hic libellus dubium est; sed illud minus verisimile est.[150])

Sermo contra Auxentium de basilicis tradendis.[151])

Infestationes Iustinae Arianorumque, quas a. 385 Ambrosius subierat[152]), anno sequenti maiore vi exarserunt Mercurino quodam auctore, qui episcopus ab Arianis factus nomen sibi indiderat Auxentio.[153]) Valentinianus edictum de fide catholica severum proposuerat d. 23. Ian. a. 386, ut omnes, qui fidem a synodo Ariminensi statutam profiterentur, ius haberent in ecclesias conveniendi utque illi, qui constitutioni per vim obsisterent, supplicium darent.[154]) Qua

146) De incarn. 1, 1 'debitum, fratres, cupio solvendum, sed hesternos meos non invenio creditores, nisi forte improviso conventu putaverunt nos esse turbandos: sed numquam fides vera turbatur'.

147) Paulin. vita Ambr. 18.

148) De incarn. 1, 2 'itaque, dum illi forsitan veniunt, ad istos qui propositi sunt deflectamus agricolas' (h. e. ad Cain et Abel); cfr. Paulin. l. c.

149) 8, 79 'concluseram librum, sed religionis fuit ne praetervecti videremur quod solvere nequiremus'; 8, 80 'ergo ut respondeam, clementissime imperator, per te mihi propositae quaestioni, primum omnium ingenitum in scripturis divinis nusquam invenio'.

150) Libri V de fide, III de spir. sancto, liber de incarnatione tamquam cognati inter se cohaerent. Qui novem libri quasi unius operis extant in cod. Vatic. saec. IX/X Reifferscheid, Bibl. patr. I p. 422 (cfr. Acta min. acad. Vindob. vol. 71 p. 41). In opusculo 'de spiritus sancti processione a patre filioque' edito ab Ang. Maio Script. vet. VII p. 249 ea quae leguntur de spir. I 11, 119—121, afferuntur ut ex 'libro VI quem de fide ad Gratianum imperatorem conscripsit'. Theodoretus dial. III Eran. sive Polym. p. 163 (edit. Paris. 1642), locos de incarn. 6, 50 et de fide II 7, 57 laudat tamquam ex eodem opere sumptos. Liber de incarn. in codice Bernensi 278 saec. XI (Halm Acta min. acad. Vindob. vol. 50 p. 115) exhibetur ut liber quartus de spiritu sancto itemque in cod. Vatic. saec. IX/X Reifferscheid Bibl. patr. I p. 425, ubi inscribuntur libri de trinitate.

151) Maurini ediderunt post Ambr. ep. 21. cfr. Tillemont, Art. 43 sqq. sur Ambr. Richter, Weström. Reich p. 611 sqq. Foerster, Ambros. p. 45.

152) Vide adnot. ep. 20.

153) Sermo contra Aux. 16. 22.

154) Cod. Theod. XVI 1, 4. Graviter hoc catholici tulerunt, cfr.

lege libera deum colendi potestas etiam Arianis concessa est. Sed Ambrosius, qua erat constantia ac firmitate, quominus basilicam Arianis traderet recusavit. Cum igitur lex illa minus valeret, imperator per Dalmatium tribunum episcopum invitavit, ut in consistorio cum Auxentio ageret, sese rem diiudicaturum esse.[155]) Quod cur fieri non posset, Ambrosius libello imperatori oblato (ep. 21) exposuit simulque ut lex illa funesta rescinderetur postulavit.[156]) Quo accepto responso Valentinianus episcopum ex urbe decedere[157]) basilicamque a militibus obsideri iussit, sicut factum erat anno superiore. In qua Ambrosius eiusque clerici per nonnullos dies inclusi tenebantur.[158]) Tunc sermonem ad populum dixit contra Auxentium qui extat, eodemque fere tempore hymnorum in ecclesia cantum publicum ad fidem populi firmandam instituit, qui usus ex illo tempore obtinuit. Quod anno fere quam baptizaretur (a. 387) factum dicit Augustinus Confess. IX 7, 15.[159]) Accuratius tempus quo habitus sit sermo ille definiri non potest. Nonnulli dominica palmarum factum esse dicunt, quod lectio illius diei Luc. 19, 35 (cfr. Sermo contra Aux. 8) illa fuerit, quae propria est dominicae palmarum.[160]) Sed ipse Ambrosius lectionem istam nulla ipsius dispositione, sed casu recitatam esse testatur.[161])

Eodem anno persecutione iam paullulum sedata corpora Gervasii Protasiique martyrum miro modo invenit, de qua re epist. 22 sorori scripsit, cui inseruit duos sermones tunc ad populum habitos.[162]) Inventionem mox miracula secuta sunt. Severus quidam 'lanius ministerio', qui caecus erat, cum fimbriam vestis martyrum tetigisset, lumen sibi redditum esse clamavit.[163]) Cum satis habeat Ambrosius hoc unum memorasse miraculum, quod Ariani riserunt, Paulinus[164]) et Augustinus[165]) alia addunt. Translatae sunt mar-

---

Ambr. Expos. ev. Luc. VII 52. 53. Sermo contra Aux. 16. 22. 24. Rufin. Hist. eccl. II 15. Sozom. Hist. eccl. VII 13.

155) Ep. 21, 1.

156) Ep. 21, 9. 12. 14. 15. 19.

157) Sermo contra Aux. 1. 15.

158) ibid. 4.

159) cfr. Paulin. vita Ambr. 13. August. Ep. 44, 7.

160) Tillemont, Mém. X p. 185. Foerster, Ambros p. 48.

161) Sermo contra Aux. 19.

162) Ep. 22, 3—13 et 14—23. cfr. Ambr. Expos. ps. CXVIII 6, 16 'celebramus enim diem sanctorum quo revelata sunt populis corpora sanctorum martyrum, qui velut boni serpentes depositis carnis exuviis tentationum hiemalium rigore superato et spiritus sancti renovati gratia aestiva mundo luce fulserunt, missi vere ut agni in medio luporum'. Unde nescio an colligi possit aestate illud factum esse.

163) Ep. 22, 16. 17.

164) Vita Ambr. 14.

165) Confess. IX 7, 16. De civ. dei XXII 8, 2. Ep. contra Donatistas (de unitate eccles.) 19, 50. De cura gerenda pro mortuis 21. Testem se oculatum fuisse dicit Serm. 286, 4 (de natali martyrum Gervasii et Protasii).

tyrum reliquiae in basilicam Ambrosianam[166]), quod accidit d. 19. Iun., si fidem habemus Martyrologio Romano.

Ex illo tempore persecutio paullatim conticuit. Quae praeterea a Paulino narrantur[167]) de Iustinae insidiis num recte se habeant viri docti dubitaverunt.

De excessu fratris sui Satyri libri II.

Libri hi 'consolationis et resurrectionis' quos ipse vocat Ambrosius[168]), orationes duae sunt quas ad tumulum Satyri fratris dixit, ita ut posterior post septem dies priorem secuta sit.[169]) De Satyro quae scimus fere omnia his libris debentur. Extat epitaphium eius, quod ipse frater composuisse dicitur hoc

Uranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad laevam detulit Ambrosius.
Haec meriti merces ut sacri sanguinis umor
Finitimas penetrans adluat exuvias.[170])

Semel a Symmacho commemoratur Ep. I 63 data 'Celsino Titiano fratri'[171]) his scripta verbis: 'longum loquantur pro incognitis aut alienis verba facturi, mihi haec opera desinenda est, cum litteras nostras Saturus frater communis accipiat, quas non commendationi eius praestiti, sed nostro circa vos amore functus emisi'. Unde apparet Satyrum propinquum fuisse Symmachi, quod confirmant Ambrosii verba de exc. Sat. I 32 'cum revocareris a Symmacho parente tuo'. Neque obstat quod Ambrosius contra Symmachum scripsit (epp. 17 et 18); inimicum enim episcopum illi non fuisse produnt verba ep. 57, 2: 'Rettulerat vir amplissimus Symmachus, cum esset praefectus urbis, ad Valentinianum augustae memoriae imperatorem iuniorem, ut templis quae sublata fuerant reddi iuberet. Functus est ille partibus suis pro studio et cultu suo; utique etiam ego episcopus partes meas debui recognoscere'. Quam ob rem recte videtur Ambrosio tribui nomen gentilicium Aureliorum[172]) epistulasque Symmachi III 30—37 Ambrosio inscriptas ad episcopum Mediolanensem datas esse verisimile est.[173])

166) Paulin. 14. Ambr. ep. 22, 2.
167) Vita Ambr. 15—18.
168) Enarr. ps. I § 51. Liber secundus inscribi solet 'de fide resurrectionis' cfr. August. de pecc. orig. 41, 47.
169) De exc. Sat. II 2.
170) Corp. inscr. lat. V p. 617 n. 5 (e codice Vatic. Palat. n. 833 saec. XI); cfr. de Rossi, Bullet. christ. I (1863) p. 5.
171) Titianus Symmachi germanus iam a. 380 vel 381 diem supremum obiit; Seeck, Proleg. Symmach. p. CVI.
172) De Rossi, Bull. christ. II p. 76.
173) Epistulae sunt omnes commendaticiae; cfr. imprimis III 34: 'Nosti optimi viri maturitatem ceterasque artes bonas, quibus etiam tuum amorem, cum Liguriam gubernaret, adtraxit'. III 36: 'Ne-

De morte Satyri, qui maior natu erat quam Ambrosius sed minor quam Marcellina[174]), haec discimus. Prosper quidam cum Ambrosium episcopum factum esse comperisset, litem eum non intenturum ratus rem eius familiarem in Africa sitam occupaverat; ad quam recuperandam Satyrus fratre refragante in Africam profectus est remque explicavit.[175]) Quo ex itinere naufragio facto aegre servatus est.[176]) Cum audivisset Italiae barbarorum incursiones impendere, ut fratris periculis adesset brumali tempore[177]) in Italiam reversus morbo implicitus brevi decessit.[178]) Quod evenisse iam a. 375 putat Seeckius[179]), quo tempore nihildum ab Ambrosio editum fuisse mihi persuasum est. Nititur verbis I 32 'qui cum a viro nobili revocareris Symmacho tuo parente, quod ardere bello Italia diceretur, quod in periculum tenderes . . . respondisti hanc ipsam tibi causam esse veniendi, ne nostro deesses periculo, ut consortem te fraterni discriminis exhiberes'. Unde colligit Symmachum, qui a. 373 in Africam missus erat cum proconsulari imperio[180]) et iam ante d. 7. Sept. 375 successorem acceperat[181]), a Satyro proficiscente in provincia relictum esse si non proconsulem certe proconsulatu vixdum deposito. Quod cur necesse sit ut ex illis verbis sequatur non video, praesertim cum 'a parente' eum revocatum esse addat Ambrosius. Neque minus alterum Seeckii argumentum debile videtur, Ambrosium, cum mortem obiit Satyrus, sedem episcopalem vix ascendisse, siquidem se Mediolanii peregrinum fuisse dicat, antequam fratris cineres solo urbis inlati essent: I 6 'coepi enim iam hic non esse peregrinus, ubi melior mei portio est'. Quae verba in fratris ore afflicti perspicua et ad fratris sepulcrum pronuntiata idonea non sunt, ex quibus argumentum eliciatur historicum. Illa autem quae pater sanctus de barbaris Italiae imminentibus profert, quorum tantus fuerit metus, ut iam Alpium fauces concaedibus clauderentur[182]), optime intelleguntur de motibus illis maximis barbarorum, quibus Valens imperator interiit (a. 378), quo tempore ingens totam Italiam provinciasque timor invaserat.[183]) Itaque non dubito cum

---

gavi solere te recipere in tuam curam pecuniarias actiones; ille tamen, ut est hominum supervacua plerumque trepidatio, consentaneas sanctis moribus tuis de me litteras postulavit'. cfr. Sievers, Libanius p. 291. Seeck, Proleg. Symm. p. CXXVIII.

174) De exc. Sat. I 54.

175) ibid. I 24. 26.

176) ibid. I 17. 27. 43.

177) ibid. I 50 'neglegens frigoris'.

178) ibid. I 16. 17.

179) Proleg. Symm. p. XLIX.

180) Seeck l. c. p. XLVII.

181) Cod. Theod. IV 12, 7.

182) I 1. 30—32.

183) Richter, Weström. Reich p. 490. 495 sqq. Seeckius dici putat Sarmatarum et Quadorum invasionem in Pannonias a. 374 factam (Richter l. c. p. 403).

Maurinis Tillemontio aliis libros de exc. Satyri adscribere anno 379, cumque hieme Satyrus in Italiam redierit paulloque post mortem obierit, non magna illius anni parte praeterlapsa illud accidisse verisimile est. Medio enim anno Gratiano in Italia morante timor iste barbarorum iam resedisse putandus est.

In Martyrologio Romano dies depositionis 'sancti Satyri confessoris, cuius insignia merita sanctus Ambrosius eius frater commemorat' notatus est d. 17. Septembris.

De obitu Valentiniani consolatio.

Valentinianus ab Arbogaste comite Viennae interfectus est d. 15. Mai a. 392. Corpus Mediolanium portatum duos menses inhumatum iacebat.[184]) Accepto tandem Theodosii rescripto de funere Valentiniani diu expectato[185]) Ambrosius sepulturam instituit praesentibusque Valentiniani sororibus[186]) orationem funebrem habuit, quae in codicibus consolatio dicitur.[187]) Cum neque paucis diebus defuncti corpus ex Gallia Mediolanium transferri potuerit neque sorores fratrem in ipsa Vienna per duos menses luxisse verisimile sit, vix ante mensem Augustum oratio dicta est.[188])

De obitu Theodosii oratio.

Theodosius d. 17. Ian. a. 395 Mediolanii mortuus est.[189]) Quadraginta diebus post, d. 26. Febr., Ambrosius orationem funebrem habuit coram Honorio.[190])

Epistulae.

Editores Maurini Ambrosii quae feruntur epistulas 91 in classes distribuerunt duas, ita ut priori epistulas assignarent, quarum aetatis notam aliquam se deprehendisse putaverunt (1—63), alteri eas in quibus nullam invenerant temporis significationem (64—91). Sed

---

184) De ob. Val. 49 'duorum mensium curricula in fraterni funeris cotidiano clausistis amplexu'.

185) Ambr. ep. 53 ad Theod.

186) De ob. Val. 39. 40. Iusta et Grata scilicet, quae virginitatem professae erant (Richter l. c. p. 278); Galla, soror tertia, a Theodosio iam uxor ducta erat (Gueldenpenning, Kaiser Theod. p. 153).

187) De ob. Val. 40 'sed ad vestram, sanctae filiae, consolationem revertar'.

188) Ep. 53, 5 'vix enim superiorem aestatem transegimus'; cfr. Gueldenpenning l. c. p. 213.

189) Testimonia apud Gueldenpenning l. c. p. 232.

190) De ob. Theod. 3 'eius ergo principis et proxime conclamavimus obitum et nunc quadragesimam celebramus adsistente sacris altaribus Honorio principe, quia sicut sanctus Ioseph patri suo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita et hic Theodosio patri iusta persolvit'.

quamquam ordo in universum consideratus satis bene ab illis constitutus est, tamen earum epistularum, quae certis annis tribui possunt, numerus multo minor est, quam illi statuerunt nonnumquam argumentis usi incertioribus.

Ep. 1 ad Gratianum Augustum data est, qui revertens a. 379 ex oriente in Italiam Ambrosium per litteras rogaverat, ut sibi obviam veniret libellumque de fide daret auctum disputatione de spiritu sancto.[191]) Scripta est ante mens. Aug., cuius mensis d. 3. Gratianus Mediolanii erat.[192]) Num re vera episcopus Gratiano, ut promittit ep. 1, 7[193]), obviam profectus sit, non traditur; sed vix est quod dubitemus. Fortasse Aquileiam usque ivit, ubi medio anno imperator versatus est.[194])

Ep. 2 Constantio cuidam scripta est, qui videtur episcopus fuisse[195]), etsi aliquid dubitationis movet, quod Ambrosius § 27 appellatione 'fili' utitur. In qua urbe sedem habuerit ignoratur, certe non Arausione, ut quidam voluerunt, propter verba § 27 'commendo tibi, fili, ecclesiam quae est ad Forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas frequentius, donec ei ordinetur episcopus'. Forum autem Cornelii (Imola) urbs prope Bononiam sita est, neque quin Constantii sedes huic urbi propior fuerit quam Mediolanium dubium est; addit enim Ambrosius: 'occupatus diebus ingruentibus quadragesimae tam longe non possum excurrere'. Ineunte igitur anno epistula scripta est, cum ieiunia quadragesimae nondum inceperant, sed qui fuerit annus certo statui nequit. Annum 379 Maurini sumpserunt, qui verba § 28 'habes illic Illyrios de mala doctrina Arianorum, cave eorum zizania; non appropinquent fidelibus, non serpant[196]) adulterina semina, advertant quid propter suam perfidiam acciderit sibi', iure ad Valentis cladem (a. 378) videntur rettulisse. Ex quibus ut hoc sequitur non ante a. 379 epistulam datam esse, ita multis annis post scriptam esse verisimile non est. Eidem Constantio fortasse scripta est ep. 72, de cuius aetate nihil constat.

Epp. 3 et 4 Felici inscribuntur, qui ab Ambrosio episcopus Comensium ordinatus est.[197]) Rogat Ambrosius ep. 4. Felicem, ut

---

191) Gratiani epistula Ambrosii epistulae 1 in editionibus praemissa est.

192) Cod. Theod. XVI 5, 5.

193) 'Veniam plane et festinabo ut iubes, ut haec praesens audiam . . . misi autem duos libellos (scil. de fide I et II), quorum iam, quia tuae clementiae sunt probati, periculum non verebor: de spiritu vero interim veniam scriptioni peto, quoniam quem iudicem mei sim sermonis habiturus agnovi'.

194) Cod. Theod. VII 18, 2. XIII 1, 11.

195) Ep. 2, 1 'suscepisti munus sacerdotii et in puppe ecclesiae sedens navem adversus fluctus gubernas'; cfr. 2, 27.

196) An 'serant'?

197) Ep. 4, 1 'adnuntiasti diem adfore, quo suscepisti gubernacula summi sacerdotii'; 4, 6 'ordinatio non reprehendetur, quam acce-

ad dedicationem basilicae veniat a Bassiano episcopo Laudensi constructam.[198]) Scripta est circa Kal. Novembres[199]), sed quo anno obscurum est. Ughello enim, qui dedicationem illius basilicae a. 380 factam dicit, scriptori satis infido fides haberi vix potest, qui non indicet unde annum illum hauserit. Immo equidem post a. 381 scriptam esse putaverim, cum Felix Ambrosio amicissimus concilio Aquileiensi (a. 381 Sept.) non interfuerit, ita ut concludi possit eum tunc nondum fuisse episcopum.[200]) Non multo ante ad eundem ep. 3 data est[201]) brevior, qua similiter Felicem diu desideratum invitat, ut visendi causa Mediolanium veniat.

Epp. 5 et 6. Syagrio episcopo Veronensi[202]) datae sunt, in quibus agitur de causa Indiciae virginis cuiusdam a Zenone (5, 1), quem Syagrii decessorem putant, consecratae; quae a Maximo, sororis illius coniuge, incestus erat accusata apud Syagrium. Qui cum deceptus testibus malignis eam temere damnasset, res ad Ambrosium delata est, qui, cum in conventu episcoporum (5, 20) virginis integritas patuisset, Syagrii iudicium irritum fecit. Epistulam 5, qua rem totam huic enarrat obicitque eum parum caute calumniatoribus fidem habuisse, paullo post 6 secuta est, qua respiciens Indiciae causam quanta reverentia castimonia apud Israelitas habita sit exponit narratione illa quae legitur in libr. Iudic. cap. XIX sq., quam similiter sed brevius refert lib. de offic. III 19. Anno circiter 380 epistulas datas vulgo putant causis allatis nullis. Neque enim, cum de Syagrio certi quicquam nesciamus, dicere prodest illud factum esse initio eius episcopatus. Hoc maluerim concludere Ambrosii apud episcopos auctoritatem tunc iam penitus stabilitam fuisse, quippe cum tam libere episcopum increpet. Quod si Gothofredus putat Nicentii ex tribuno et notario qui 5, 8 commemoratur, nomen occurrere etiam in lege Cod. Theod. XVI 6, 2 a. 377[203]), haec mera est coniectura, unde, etiamsi vera esset, certior temporis nota evasura non esset.

---

pisti per impositionem manuum mearum'; 4, 7 'certe in illo ordine Comensium iam plerique coeperunt credere magisterio tuo'.

198) 4, 1.

199) 4, 2 'tum ego nostris fabulis intexui diem natalis tui (h. e. ordinationis, cfr. Expos. evang. Luc. VIII 73), qui foret in exordio ipso kalendarum Novembrium, eumque, si non fallerer, appropinquasse et crastina celebrandum die'.

200) Interfuisse autem videtur una cum Bassiano concilio Mediolanensi a. 390. Comensem enim episcopum esse Felicem puto, qui nominatur in epistulae 42 subscriptione, non episcopum Iadertinum, ut editores Romani habent, qui totam subscriptionem interpolaverunt nominibus mendose petitis ex actis concilii Aquileiensis.

201) cfr. 4, 1.

202) 5, 1 'prospiciendum esse ne de nostro obloquantur iudicio carissimi nostri Veronenses, propriis texuisti litteris'.

203) Traduntur haec: 'qui (sc. tenor) dato dudum ad Nitentium praecepto fuerat constitutus'.

Epp. 7 et 8. Iusto inscribuntur, qui cum ab Ambrosio appelletur 'frater' (7, 1), Maurinis Tillemontio aliis visus est episcopus, iniuria opinor. Nam quae leguntur 7, 22 'et tu ergo ad similitudinem dei unus esto atque idem: non hodie sobrius, cras ebrius, hodie pacificus, crastina die litigiosus' e. q. s. ad episcopum scripta esse non possunt, multoque minus probabile est fuisse eum episcopum Lugudunensem, senem sanctissimum, qui legatus Gallorum a. 381 concilio Aquileiensi interfuit.[204])

Epp. 9—12. Mense Sept. a. 381 (Eucherio et Syagrio coss.) synodus habita est Aquileiensis, in qua Palladius et Secundianus Ariani ab episcopis 32 occidentalibus condemnati sunt. Ex cuius synodi actis servatis[205]) apparet praesidem fuisse Valerianum episcopum Aquileiensem, rerum gerendarum ducem actoremque Ambrosium, qui ab Gratiano impetraverat, ut episcopi orientales Ariani non admitterentur.[206]) Chiffletius qui acta a Vigilio Thapsensi confecta esse contenderat[207]), a Tillemontio aliis refutatus est.[208]) Suspecta tamen manent Langenio[209]) propter epp. 10—12 ut videtur. Ep. 9 a synodo 'fratribus episcopis Galliarum provinciae Viennensis et Narbonensis primae et secundae' data gratias agit, quod Gallorum episcoporum legati ad concilium venerint, damnatosque Palladium Secundianumque nuntiat.[210]) Quae secuntur tres epistulae ad Gratianum Valentinianum Theodosium imppp. datae sunt a sancto concilio 'quod convenit Aquileiae', ut est in inscriptione. Ep. 10 grates agunt quod imperatores concilium convocaverint petuntque ut concilii decreta rata esse iubeant.[211]) Ep. 11 rogant, ne diutius Ursinum turbas ecclesiae movere patiantur.[212]) Ep. 12 denique discidia

---

204) cfr. Acta sanctor. 2. Sept. Adonis Chron. ad a. 379. Acta conc. Aquil. 1. 15. 56. et subscr. § 15 Ambrosius eum appellat 'dominus meus'. Ceterum non episcopos tantum ab Ambrosio fratres appellari epist. 80, 1 docet ad Bellicium quendam data, qui non fuit episcopus (cfr. ep. 79).

205) Mansi, Conc. III 601. Migne 16, 916.

206) Richter, Weström. Reich p. 525. Hefele, Conc. II p. 34.

207) Migne Patrol. 62, 475.

208) Tillemont note 15 sur Ambr. Ballerini V p. 230. Acta iam in codice Paris. 8907 extant saeculo V vulgo, saec. IV a Waitzio tributo (Ballerini IV p. 571. V p. 226); cfr. Wattenbach-Zangemeister, Exempl. cod. lat. tab. XXII. Vigilius sub fine saec. V vixit episcopus Thapsensis. In codice illo praeter Acta Aquil. et Hilarii opera Ambrosii de fide lib. I scriptus est.

209) Geschichte d. röm. Kirche I p. 510.

210) Legati Gallorum in actis nominantur tres 1. Constantius (non 'Constantinus' ut habet subscriptio, cfr. § 15. 55 et ep. 9, 1) episcopus Arausiensis, distinguendus a Sisciensi (Acta Aquil. 61 et subscr.) 2. Proculus episcopus Massiliensis (Acta 63 et subscr.) 3. Iustus episcopus Lugudunensis, qui Act. 15 'episcopus et legatus Gallorum' dicitur. In ep. 9 duo tantum priores nominantur.

211) Quae 10, 12 de Photinianis leguntur Baronius ad Cod. Theod. XVI 5, 6 (a. 381 d. 10. Ian.) rettulit fortasse recte.

212) Langen, Gesch. d. röm. Kirche I p. 495 sqq.

in ecclesiis Antiochena et Alexandrina orta tractantur, quarum episcopi[213]) a concilio imperatoribus commendantur. Ad dissensiones autem dirimendas rogant, ut novum concilium Alexandriam coire iubeant. Ut acta concilii ita quattuor has epistulas spurias esse nonnulli voluerunt argumentis nisi non satis validis.[214]) Si acta genuina sunt, de qua re viri docti fere consentiunt, contra epistulas illas — priores saltem duas — quid graviter dici possit non video. At num ab ipso Ambrosio compositae sint, quod volunt Maurini, incertum est.

Epp. 13 et 14 'Theodosio Ambrosius et ceteri episcopi Italiae'. Si ep. 12 spuria est, spuria iudicanda est etiam ep. 13, quae respiciat illam[215]); idemque iudicium de sequenti ferendum erit, quae spectet ad superiorem. Plerique genuinas putant[216]), dubitavit de iis post Merendam nuper Langenius[217]), utrum iure necne peritiores diiudicent. Epistulas non scriptas esse in concilio Aquileiensi, sed in altero Italico ut ex inscriptione concludatur necesse videtur[218]), quod cum princeps nominetur Ambrosius fortasse Mediolanium convenerat.[219]) Prior, quae versatur in schismate Meletiano, paullo post Meletii mortem (a. 381) data est[220]) h. e. aut exeunte a. 381 aut ineunte sequenti. De argumento vide pleniorem enarrationem apud viros doctos supra laudatos. Theodosius non obscure episcopis rescripsit (ep. 14, 4), qui alteram ad eum dederunt epistulam (14), quae aliquam perturbationis notam prae se fert, quamvis verba superba sint.

Epp. 15 et 16. Interfuisse Ambrosium synodo quintae Damasianae a. 382 litteris comperimus a synodo, quae eodem tempore Constantinopolim convenerat, ad Romanam datis.[221]) Eidem Acholius interfuit episcopus Thessalonicensis, qui, cum Ambrosium in morbum incidisse audivisset, eum visitavit.[222]) De cuius morte litteris certior factus Ambrosius ep. 15 scripsit clero Thessalonicensi eodemque fere tempore ep. 16 Anysio Acholii discipulo ac successori, hieme aut a. 382/3 aut 383/4.[223])

---

213) Paulinus et Timotheus.

214) Langen l. c. I p. 510 not.

215) 13, 2 'scripseramus dudum ut quoniam' e. q. s.

216) Tillemont, Mém. X p. 145 not. 18. Hefele, Conc. II p. 36. Ifland, Kaiser Theod p. 113 sq.

217) l. c. p. 563 not. 2.

218) cfr. 13, 2 'scripseramus dudum'.

219) Hefele l. c. II p. 36.

220) Ep. 13, 2 'at nunc Meletio defuncto' etc.

221) Theodor. Hist. eccles. V 9. Hefele l. c. II p. 40. Langen l. c. I p. 564.

222) Ep. 15, 10.

223) Acholius mortuus est vivo Damaso, qui decessit a. 384 mense Dec. (Langen l. c. p. 610. Tillemont X Art. 35). Hieme factum esse declarant verba ep. 15, 2 'clauso tunc temporis mari'. Maurini a. 383 sumunt, Tillemontius a. 384 non de certis causis.

Epp. 17 et 18. Cum a. 382 Gratianus Mediolanii ut Victoriae ara ex curia Romana removeretur edixisset[224]), senatus Symmachum aliosque nobiles ad imperatorem misit petituros, ut rescriptio illa rescinderetur. De qua legatione Ambrosius per Damasum christianosque senatores certior factus impetravit, ut legatis ne audientia quidem praeberetur.[225]) Gratiano occiso (a. 383) senatus auctore Symmacho, tunc urbis praefecto (a. 384), iterum legatos misit, qui celebrem illam Symmachi relationem Valentiniano tradiderunt aestate a. 384.[226]) Quo comperto Ambrosius epistulam ad imperatorem dedit (17), qua monet, ut christianam religionem tueretur neve senatui instaurationem sacrorum gentilium petenti morem gereret.[227]) Contra relationem autem praeterea alteram scripsit (18) circa messis tempus.[228]) Legati iterum re infecta redierunt.[229]) Tertium missos legatos de eadem re ad Theodosium Mediolanii morantem testis est Ambrosius ep. 57, 4 ubi indicat sese, cum Theodosium aliquantulum nutare vidisset, per aliquot dies conspectum eius fugisse. Quod factum est Maximo extincto intra annos 389—391. Quo pertinere videntur quae narrat auctor (Prosper Aquitanus?) libr. de promissionibus dei III 38, 2: 'cui (Theodosio) Symmachus ille mirabili eloquio et scientia praeditus, tamen paganus, praeconio laudum in consistorio recitato subtili arte qua valuit aram Victoriae in senatu constitui christiano, ut noverat, imperatori intimavit'.[230]) Neque minus quarta legatio ad irritum cecidit, quae a. 391 exeunte vel ineunte 392 ad Valentinianum in Galliam venit.[231]) Tandem hoc trucidato (a. 392 mense Maio) cum Eugenius ab Arbogaste imperator esset factus, legati quintum missi impetraverunt, ut iura templis gentilium

224) Ambr. ep. 17, 5. Richter l. c. p. 549 sqq. Seeck, Prol. Symm. p. LIII. Annus definitur ep. 17, 10 (scr. a. 384): 'nam et ante biennium ferme, cum hoc petere temptarent, misit ad me sanctus Damasus'.

225) Ambr. ep. 17, 10. Symm. Relat. de ara Vict. § 1.

226) Ep. 18, 21 (messis tempore scripta): 'iam enim nec herbarum vulsis radicibus rusticana plebs pascitur . . . sed operum laeta felicium, dum messes suas et ipsa miretur' e. q. s. cfr. Ambr. ep. 57, 2. de ob. Val. 19. Symm. Relat. § 1.

227) Ambr. ep. 57, 2. Richter l. c. p. 588.

228) Ep. 18, 21. cfr. ep. 18, 2 'non fidei tuae ambiguus, sed providus cautionis et pii certus examinis hoc sermone relationis adsertioni respondeo'. 18, 40 'respondi lacessentibus tamquam non lacessitus, refellendae etenim relationis, non exponendae superstitionis mihi studium fuit'.

229) Ennod. carm. 2, 142 (p. 266 Vogel):
'Dicendi palmam Victoria tollit amico,
transit ad Ambrosium: plus favet ira deae'.
Nec minus alii poetae christiani Ambrosii victoriam celebraverunt.

230) Gueldenpenning Kaiser Theod. p. 172 not. 4. Seeckius (Prol. Symm. p. LVIII) factum esse putat a. 391 ineunte, cum Symmachus in comitatum profectus est, ut Theodosio propter consulatum acceptum gratias ageret.

231) Ambr. ep. 57, 5. De ob. Val. 19 sq. Paulinus (vita Ambr. 26) hanc et anni 384 legationem confundit.

araque Victoriae curiae restitueretur auctoribus maxime Arbogaste comite et Flaviano praefecto praetorio.[232])

Ep. 19 ad Vigilium data est proxime episcopum creatum[233]), qui non diversus videtur a Vigilio episcopo Tridentinorum.[234]) Qui cum viginti annos ecclesiae praefuisse martyriumque subiisse dicatur Stilicone consule h. e. a. 400 aut 405, sequitur — siquidem vitae eius servatae fides haberi potest — ut aut a. 380 aut a. 385 episcopus constitutus sit. Prior autem annus reiciendus est, cum a. 381 concilio Aquileiensi Abundantius interfuerit Vigilii decessor. In actis quibusdam aetate inferioribus a Mabillonio inspectis Vigilii episcopatus duodecim annorum fuisse traditur. Uter verior sit nuntius etsi difficile est dictu, illum tamen non iniuria Maurini videntur praetulisse.

Ep. 20. Gratiano occiso Iustina Valentiniani iunioris mater dudum Ambrosio infesta[235]), quae Arianam fidem profitebatur, apertius contra episcopum machinari coepit. Quas infestationes quam constanter intrepideque toleraverit pater sanctus ipse multique alii testes sunt scriptores ecclesiastici.[236]) Prior infestatio in a. 385 cadit.[237]) Quam fusius episcopus sorori enarrat ep. 20 scripta paullo post diem Iovis ante pascham, quem nos dicimus 'Gruendonnerstag', qui fuit d. 10. Aprilis.[238]) Ordo igitur rerum gestarum hic est:

d. 3. Apr. Ambrosius sororis epistulam accepit (20, 1).

d. 4. Apr. Convenerunt Ambrosium principes virtutum, comites consistoriani, ut basilicam novam traderet Arianis et procuraret, ne quid populus turbarum moveret (20, 2).

d. 5. Apr. Praefectus quidam Ambrosium adiit, ut saltem basilicam Portianam (extramuranam 20, 1) cederet (20, 3).

d. 6. Apr. (dominica Palmarum). Decani de palatio mittuntur ad basilicam Portianam, qui vela suspendunt (20, 4). Magna populi commotio. Episcopus in basilica nova, de qua certamen est, missam offert. Castulus presbyter Arianus a populo raptus ab Ambrosio aegre iniuriae eripitur (20, 5). Mercatores negotiatoresque multi in carcerem coniciuntur, multa ducentorum pondo

232) Ambr. ep. 57, 6 sq. Paulin. 26. Gueldenpenning l. c. p. 216.

233) Ep. 19, 1 'poposcisti a me institutionis tuae insignia, quoniam novus accitus es ad sacerdotium'; cfr. 19, 2.

234) Tillemont, Mém. X p. 542. 811.

235) Iam vivo Gratiano (a. 380? cfr. supra p. 7 not. 6) cladem ab Ambrosio acceperat, qui impetraverat, ut Sirmii Anemius eligeretur episcopus catholicus (Paulin. vita Ambr. 11. Richter l. c. p. 502. Foerster, Ambr. p. 26).

236) Paulin. 12 sqq. Augustin. Confess. IX 7. Rufin. Hist. eccl. II 15. 16 alii.

237) Serm. contra Aux. (habitus a. 386) § 29 'quasi vero superiore anno, quando ad palatium sum petitus' e. q. s.

238) Ep. 20, 26 diem quo milites a basilica cedere iussi sunt illum fuisse dicit 'quo sese dominus pro nobis tradidit, quo in ecclesia poenitentia relaxatur'.

auri eis imponitur ab imperatore (20, 6). Iterum veniunt comites et tribuni postulantes, ut basilicae matura fiat traditio (20, 8). Armati basilicam obsidunt, in qua totum Ambrosius exigit diem; inde domum cubitum se recipit (20, 9. 10).

d. 9. Apr. Basilica, in qua Ambrosius versatur, a militibus obsessa. Notarius quidam Ambrosium adit (20, 22), qui domum ire non potest circumfusis militibus qui basilicam custodiunt (20, 24).

d. 10. Apr. Milites de basilica recedere iubentur (20, 26).

Etsi victor e pugna episcopus discesserat, tamen ei persuasum erat non prorsus sedatam esse persecutionem.[239]) Reliqua autem pars anni sine gravioribus turbationibus videtur transiisse. De eis quae sequenti anno acciderunt vide adnot. ad Sermonem contra Auxentium supra p. 34 sqq.

Epp. 21. 22 scr. a. 386; cfr. adn. ad Serm. c. Aux.

Ep. 23. Episcopi Aemiliae provinciae Ambrosium de definiendo die paschali consuluerant (23, 8), quibus respondet ep. 23. Agitur autem de pascha eius anni, quo XIV luna h. e. terminus paschalis in diem incidit dominicam, quae fuit d. 18. Aprilis. Suadet Ambrosius, ut sequenti dominica pascha celebretur (23, 13). Quam rationem a maiorum usu non abhorruisse confirmat exemplis annorum 373 et 377, quibus pascha celebrata est d. 31. Mart. et 16. April. Eadem exempla Proterius episcopus Alexandrinus in epistula ad Leonem papam data affert additque tertium anni 387[240]), quo anno, cum quartadecima luna esset d. 18. Apr., pascham celebratam esse constat d. 25. April. De qua pascha cum Ambrosius ut de proxime futura[241]) scribat, epistula illa data est post anni 386 pascham, sed hoc ipso anno ut videtur, quia indictio paschalis iam epiphaniorum die (d. 6. Ian.) fiebat.[242])

Ep. 24. Ambrosius duas pro Valentiniano ad Maximum legationes suscepit[243]), quarum prior statim post Gratiani mortem fuit hieme a. 383/4.[244]) Augustae Treverorum a Maximo retinebatur,

239) Ep. 20, 27 'haec gesta sunt atque utinam iam finita! sed graviores motus futuros plena commotionis imperialia verba indicant'.

240) Migne 67, 509.

241) Ep. 23, 12 'sicut futurum est proxime'. 23, 17 'moveri non debemus, si et proxime trigesimo die pharmuti mensis celebraturi sumus paschae dominicam'.

242) F. X. Kraus, Kirchengeschichte ed. II p. 212. Discimus hac epistula Ambrosium et Mediolanenses nec Romana paschae computatione nec Latinorum regulis paschalibus usos esse, sed Alexandrinorum cyclo decem et novem annorum (ep. 23, 16). Cfr. de Rossi, Inscr. christ. I p. LXXXIX. Latini a. 387 pascham celebraverunt d. 21. Martis; cfr. Ideler, Chronol. II p. 254. Mommsen, Acta Acad. Berol. 1862 p. 560.

243) Praeter ep. 24 cfr. imprimis Paulin. vita Ambr. 19 et Ambr. de ob. Val. 28.

244) Ep. 24, 7 'responderim non esse aequum, ut aspero hiemis tempore puer cum matre vidua penetraret Alpes'. Vix cogitandum est de hieme a. 384/5 (Sievers, Studien p. 306); neque enim si ab usurpatore Valentinianus puer decem fere annorum tutandus erat, legatio de

donec Victor comes, quem simul Maximus legatum ad Valentinianum miserat, redierat.[245]) Iterum legatus fuit post sedatam Iustinae persecutionem a. 386 exeunte vel ineunte 387, cuius anni autumno Maximus in Italiam descendit. Quae quam secus ceciderit legatio discimus ep. 24, quam in ipso reditu Ambrosius scripsit imperatori (24, 1). Paullo post epistulas duas Maximus videtur dedisse commode ingenioseque compositas, alteram ad Siricium papam, alteram ad ipsum Valentinianum.[246]).

Epp. 25. 26 coniunctae inter se (26, 1) ad eundem scriptae sint oportet. Sed priori inscribitur 'Ambrosius Studio', alteri 'Ambrosius Irenaeo'. Reponendum videtur in hac quoque Studii nomen, cum facilius Irenaei nomen, ad quem satis multas dedit Ambrosius epistulas, potuerit inrepere. Qui fuerit Studius ignoratur.[247]) Verba ep. 26, 3 'sed vehementior facta est (quaestio scil. de capitis damnatione), posteaquam episcopi reos criminum gravissimorum in publicis iudiciis accusare, alii et urgere usque ad gladium supremamque mortem, alii accusationes huiusmodi et cruentos sacerdotum triumphos probare coeperunt' vix dubium est quin spectent ad crudele supplicium de Priscilliano eiusque adseclis in Treverorum civitate a. 385 sumptum auctoribus maxime Idacio Ithacioque episcopis Hispaniensibus et ad synodum Treverensem eodem anno habitam, quae poenam illam Priscilliano decretam sanxerat.[248]) Abominari autem se capitis supplicium saepius prodit Ambrosius.[249]) Unde facile perspicitur cur abstinuerit, cum legatus Treveris versaretur, communione episcoporum Ithacianorum.[250]) Itaque ut post a. 385 scriptas dicemus epistulas, ita cur ante Maximi mortem (a. 388) datae cum Maurinis existimandae sint non idoneam video causam.

Epp. 27—33 Irenaeo inscribuntur, ad quem praeterea datae sunt epp. 64. 69. 73—76.[251]) Maurini ca. a. 387 scriptas putant.

---

foedere vel pace tamdiu prolatari potuit. Ad eandem legationem spectat ep. 20, 23 et 21, 20.

245) Victorem reversum mox secuti sunt legati iterum a Valentiniano missi, qui ad Valentiam Gallorum Ambrosium redeuntem reppererunt (ep. 24, 7); v. rerum gestarum enarrationem pleniorem apud Richterum l. c. p. 578 sqq.

246) Baronius Ann. eccles. ad a. 387. Tillemont X p. 361. Richter l. c. p. 646. cfr. Rufin. Hist. eccl. II 16.

247) Clericus non fuit, cfr. 25, 1, 3. Studius comes quidam in Cod. Theod. X 10, 23 (a. 401), IX 22, 17 (a. 401), praefectus urbi ibid. XVI 2, 37 (a. 404) occurrit.

248) Ep. 25, 2 'nam sunt extra ecclesiam ... qui in aliquos capitalem sententiam ferendam aestimaverunt'; cfr. adn. epp. 51 et 42. Hefele, Conc. II p. 44.

249) Expos. ps. CXVIII 8, 41. De offic. II 21, 102. cfr. Paulin. 37. Sozom. Hist. eccl. VII 25, 10.

250) Ep. 24, 12. Ceterum minime probatam fuisse Ambrosio Priscilliani doctrinam vix est quod moneam. Sulp. Sev. Chron. II 48.

251) Clericus videtur fuisse Mediolanensis, cfr. 28, 2; 73, 1. 'Filium' eum Ambrosius appellare solet (29, 24; 30, 16; 32, 8 etc.).

Sed quae illi ad Iustinae persecutionem referunt (ep. 27, 16. 17), ea nimis generatim dicta sunt, neque minus incertum est, num verba ep. 29, 18 'advertat quam miserae etiam hic regum condiciones sint, quam mutabiles imperii status, quam exigua vitae huius spatia, quanta in ipso imperio servitia' ad Gratiani mortem pertineant. Ordo autem epistularum 27—33 recte videtur a Maurinis statutus esse.[252]) Epp. 29 ac 30 cohaerent[253]), itemque 31, 32, 33 inter se coniunctae sunt.[254]) Cum in libro de bened. patriarch. 11, 55 auctor deleget ad aliud scriptum ('sicut alibi demonstravimus') eademque res tractetur ep. 33, 4 sq., Maurini hanc prius scriptam putant. Sed nihil obstat quominus auctorem ad libr. de Cain et Abel II 2, 7 spectasse arbitremur, ubi eadem res exponitur. Quo reliquae epistulae Irenaeo datae scriptae sint tempore aeque obscurum est. In inscriptione epistulae 75 conexae cum superiore (74) pro 'Clementiano', quod est in plurimis codicibus, restituendum videtur 'Irenaeo', ut habent duo codices a Maurinis inspecti.[255])

Epp. 34—36. 43. 44. 70. 71. 77. 78 Orontiano scriptae sunt clerico cuidam.[256]) Epp. 34—36 alia aliam excipiunt[257]), quae non ante Iustinae persecutionem videntur datae esse, ad quam spectant verba ep. 36, 4 'quales occasiones (martyrii) habui et de ipso prope fine revocatus sum'.[258]) Quod si ep. 35, 9 ait 'sed de hoc (sc. de primitiis et primitivis) alias' fortasse revocat ad libr. II de Cain et Abel 1, 5 sq, aut promittit se aliquando de ea re Orontiano scripturum esse. Epistulae 43 et 44 item conexae inter se datae sunt editis iam libris VI Hexaemeron (post a. 386).[259]) De reliquarum aetate omnino nihil constat.

Epp. 37. 38. 65. 67 Simpliciano inscribuntur, qui post Ambrosium episcopus factus est Mediolanensium.[260]) Priores duae scriptae

---

252) Primam Maurini ep. 27 putant propter verba § 17 'vale, fili, et non erubescas patrem interrogare, qui non erubescis in passionibus Christi gloriari'.

253) 30, 1 'cum superiorem absolvi epistulam'.

254) 32, 1 'licet enim mihi de superioris fine epistulae (31, 11) sequentis mutuari exordium'. 33, 1 'superiore epistula (h. e. 31) scripsimus' e. q. s. In cod. Vatic. saec. IX/X (Reifferscheid Bibl. patr. I p. 417) epistula 33 excipit epistulam 31, quam antecedunt epp. 29 et 30, secuntur 69 et 76.

255) In codd. nonnullis Maurini ep. 74 inscriptioni 'Ambrosius Irenaeo' addi affirmant haec: 'sermo sancti Ambrosii ad plebem'. In qua epistula cum § 4 verba faciat de versiculo Paulino II Cor. 3, 6, sponte in mentem veniunt Augustini verba Confess. VI 4 'saepe in popularibus sermonibus suis dicentem Ambrosium laetus audiebam: littera occidit, spiritus autem vivificat'.

256) Ep. 70, 25.

257) Ep. 35, 1; 36, 1.

258) cfr. ep. 34, 11.

259) Ep. 43, 1 'moveri te insinuasti mihi lecto Hexaemero quod ipse scripsi'.

260) cfr. August. Confess. VIII 2, 3 'perrexi ergo ad Simplicia-

sunt non longo interposito intervallo[261]), sed quo tempore accuratius statui nequit. Nam argumentum, quo Maurini utuntur ad assignandas epistulas anno fere 387, plane nullum est, quibus tanta ep. 37 cum libris de Iacob et vita beata elocutionis argumentique cognatio visa est, ut futurum esse sibi persuaderent ut facile ab omnibus eidem tempori adiudicarentur. Neque magis ulla res suadet, ut Baronio credamus omnes Ambrosianas ad Simplicianum epistulas primis episcopatus annis scriptas esse. De epp. 65 et 67 a Maurinis in alteram classem reiectis nihil habeo quod addam.

Ep. 39. Faustinum quendam consolatur de sororis morte imitatus Servii Sulpicii ad Ciceronem de Tulliae obitu litteras consolatorias (ad fam. IV 5). Notanda imprimis verba sunt § 3: 'Nempe de Bononiensi veniens urbe a tergo Claternam, ipsam Bononiam, Mutinam, Regium derelinquebas, in dextra erat Brixillum, a fronte occurrebat Placentia veterem nobilitatem ipso adhuc nomine sonans, ad laevam Apennini inculta miseratus et florentissimorum quondam populorum castella considerabas atque affectu relegebas dolenti. Tot igitur semirutarum urbium cadavera terrarumque sub eodem conspectu exposita funera non te admonent unius, sanctae licet et admirabilis feminae decessionem consolabiliorem habendam, praesertim cum illa in perpetuum prostrata ac diruta sint, haec autem ad tempus quidem erepta nobis meliorem illic vitam exigat'? De quibus oppidis dirutis nihil praeterea traditum est. Factum esse putat Baronius a. 387, cum Maximus Italiam subigebat. Quod si recte se habet — non autem facile aliud inveniatur bellum — post illum annum epistula data est.[262]) Sed quod Ambrosius utitur verbis 'semirutarum urbium cadavera' sim., nescio an imitationis studio ductus rem verbis paullulum exasperaverit.

Epp. 40. 41. Callinici, in Mesopotamiae oppido[263]), synagoga Iudaeorum Valentinianorumque templum a christianis concremata erant. Qua de re cum comes Orientis ad Theodosium rettulisset, edictum est, ut episcopus synagogam restituendam curaret utque facinoris auctores gravibus poenis afficerentur. Quo nuntio Aquileiae comperto Ambrosius ad imperatorem litteras dedit (40), ut edictum illud rescinderet. Mox Mediolanium reversus[264]) coram Theodosio in ecclesia sermonem habuit (ep. 41, 2—26) ipsumque post precibus

---

num patrem in accipienda gratia tua tunc episcopi Ambrosii et quem vere ut patrem diligebat'. Ambr. ep. 37, 2 'in eo tamen quoniam et veteris affectum amicitiae et, quod plus est, paternae gratiae amorem recognosco'. 65, 10 'vale et nos parentis affectu dilige'. De Simpliciano cfr. Tillemont, Mém. X p. 397 sqq.

261) Ep. 38, 1 'videbamur proxime in disceptationes incidisse philosophiae' e. q. s.

262) Baronii sententiam Maurini, Richterus (l. c. p. 650) aliique amplexi sunt; cfr. Pacat. panegyr. c. 25.

263) Alterum oppidi nomen Nicephorium est; ab Ambrosio ep. 40, 13 'Callinicum castrum' vocatur.

264) Ita rem Paulinus 23 tradit; sed cfr. infra.

adiit, ut postremo Theodosii animum flecteret. De quibus rebus gestis Ambrosius sorori ep. 41 scripsit.[265]) Iniuria a. 393 illud factum esse Gothofredus contendit ad Cod. Theod. XVI 8, 9, cum anno illo imperator Constantinopoli commoraretur.[266]) Tenenda sunt quae de tempore Paulinus § 22 tradit, incensa esse templa 'extincto Maximo, posito Theodosio imperatore Mediolanii, Ambrosio vero episcopo constituto Aquileiae'. Maximus autem a. 388 mense Aug. devictus est, quod factum ipse Ambrosius ep. 40, 22 sq. commemorat. Si Paulino credimus epistula 40 Aquileiae scripta, sermo (ep. 41, 2 sqq.) Mediolanii habitus est, quocum discrepant haec Ambrosii verba ep. 41, 1: 'nam cum relatum esset synagogam Iudaeorum incensam a christianis auctore episcopo et Valentinianorum conventiculum, iussum erat me Aquileiae posito, ut synagoga ab episcopo reaedificaretur et in monachos vindicaretur, qui incendissent aedificium Valentinianorum. Tum ego, cum saepius agendo parum proficerem, epistulam dedi imperatori, quam simul misi (scil. sorori), et ubi processit ad ecclesiam, hunc sermonem habui'. Ex quibus videtur apparere Aquileiae et epistulam ad Theodosium datam et sermonem in ecclesia coram illo habitum esse.[267]) Cum autem Theodosius iam d. 14. Ian. a. 389 Mediolanii versaretur[268]), factum illud sit necesse est a. 388 exeunte. Qui annus ea re confirmatur, quod ep. 41, 27 Timasius magister equitum peditumque commemoratur, qui hoc magistratu a. 388 functus sequenti anno consul factus est.[269])

Ep. 42. Siricius papa synodo Romam convocata Iovinianum eiusque sectatores anathematis poena affecerat.[270]) Qui cum Roma Mediolanium confugissent, ille per litteras[271]) Ambrosium de iis quae Romae gesta erant certiorem fecit. Convocato Mediolanium concilio idem quod Romanum statuerat in Iovinianum decretum est deque ea re litterae ad Siricium datae sunt a concilio.[272]) Quod

---

265) Paulin. 23. cfr. Gueldenpenning l. c. p. 167. Foerster, Ambr. p. 60.

266) Tillemont note 38 sur Ambr. Gueldenpenning l. c. p. 167 not. 32.

267) Ep. 40, 33 'ut me magis audires in regia, ne, si necesse esset, audires in ecclesia'. Paulinus, qui rem ex Ambrosii epp. 40 et 41 hausit, male, id quod etiam aliis locis observatum est, verba eius intellexit.

268) Cod. Theod. XV 14, 8. Mense Sept. a. 388 Aquileiae erat, cfr. Cod. Theod. XV 14, 6.

269) Seeck, Prol. Symm. p. CXXXVII. Sievers, Studien p. 350 sq. Memorat Ambrosius praeterea ep. 40, 13 domum Nectarii episcopi Constantinopolitani paullo ante Maximi cladem incensam (Gueldenpenning l. c. p. 167) et seditionem Antiochiae a. 387 factam (Gueldenpenning l. c. p 142). Testantur denique verba ep. 40, 8 'quid mandas in absentes iudicium? habes praesentem, habes confitentem reum' et ep. 40, 18 'quod hic aliquando ante tuum, imperator, dixit adventum', tum cum scripta est epistula, in eadem urbe fuisse episcopum et imperatorem.

270) Hefele, Conc. II p. 50. Langen, Gesch. d. röm. Kirche I p. 634.

271) Coustant, Ep. pont. p. 663. Migne, Patrol. 16, 1121.

272) Quin auctor sit Ambrosius vix dubitari potest. Rem ei fuisse cum Ioviniano Augustinus de nuptiis et concupisc. II 5, 15 testatur: 'numquid etiam istum (Ambrosium), o Pelagiani et Coelestiani, aude-

a. 390 convenisse viri docti consentiunt, etsi de anno licet dubitari. Theodosium tunc Mediolanii fuisse ex Siricii epistula effici nequit. Qui per menses aestivos a. 389 Romae versabatur, ubi constitutionem edidit Cod. Theod. XVI 5, 18 die 17. Iuni: 'quicumque sub nomine Manichaeorum mundum sollicitant, ex omni quidem orbe terrarum, sed quam maxime de hac urbe pellantur'. Quam dici putant Ambrosianis verbis 42, 8 'impietas Manichaeorum, quam et clementissimus exsecratus est imperator', quae Gothofredus minus probabiliter ad Cod. Theod. XVI 5, 20 (a. 391) rettulit, ubi ne mentio quidem fit Manichaeorum.

Item omnium fere consensus est non diversum esse illud concilium ab eo in quo contra Ithacianos Felicemque episcopum Treverensem actum est[273]), quod Ambrosius ep. 51, 6 his tangit verbis: 'propter adventum Gallorum episcoporum synodus convenerat', ea scilicet, quae habita est Mediolanii absente Theodosio a. 390, quo tempore nuntius caedis Thessalonicensis in urbem perlatus est.[274]) Propter adventum igitur Gallorum episcoporum synodus convenerat, illius autem contra Iovinianum concilii Siricii epistula videtur causa fuisse. Ex epistulae 42 subscriptione nihil colligi potest, cum episcoporum octo nominibus sedes episcopales adscriptae non sint. Nam in Romana editione urbium nomina mendose ex Actis concilii Aquileiensis petita sunt; Sabini episcopi Placentini nomen in codicibus prorsus desideratur.

Epp. 43. 44; cfr. adn. Ep. 34—36 p. 47.

Epp. 45—49 ad Sabinum datae sunt, qui quin episcopus fuerit Placentinus vix dubium est.[275]) Videtur aequalis fere fuisse Ambrosii, apud quem multum auctoritate valuit.[276]) Ep. 45, cui primum in serie Sabinianarum Maurini assignaverunt locum, post Hexaemeron scripta est.[277]) Certior temporis nota deest. Maurini epp. 45—49, quas argumento et aetate inter se coniunctas dicunt[278]),

---

bitis dicere Manichaeum? quod eum dicebat esse Iovinianus haereticus, contra cuius impietatem vir ille sanctus etiam post partum permanentem virginitatem sanctae Mariae defendebat'.

273) Hefele, Concil. II p. 51.

274) cfr. adn. ad ep. 51.

275) Epistularum 46 et 58 inscriptioni multi codd. addunt 'episcopo'. Prior a Leontio (Contra Eutychianos I p. 671 Gallandi) laudatur ut Ambrosii liber 'ad Sabinum episcopum', itemque a Leone Magno in epist. ad Leonem Augustum (Migne 54, 1179).' Ab Ambrosio ep. 48, 7 'frater' appellatur. Interfuit cum hoc concilio Aquileiensi a. 381 (cfr. Acta §§ 10. 37 sqq.).

276) cfr. ep. 48, 1 remisisti mihi libellos, quos tuo iudicio probatiores habebo ... malo enim tuo corrigatur iudicio, si quid movet, priusquam foras prodeat, unde iam revocandi nulla facultas sit'. 48, 2 'tuum est liquido decernere et scrutanter discutere quae corrigas'.

277) Ep. 45, 1 'lecto Hexaemero utrum paradisum subtexuerim requirendum putasti'.

278) Epp. 47—49 sese excipiunt. 47, 2 'nobis autem quibus curae est senilem sermonem familiari usu ad unguem distinguere' et 48, 7

a. fere 389 datas existimant nulla certa ratione. Ad libr. de fide V 8, 99 spectant quae leguntur ep. 46, 3. Sed quod Maurini contendunt libellos, quos examinandos Sabino Ambrosius miserat clarius atque enodatius scriptos (ep. 47, 1), fuisse libros de fide et de incarnatione dominica, audacius videntur statuisse, cum ep. 48, 1 sq. Ambrosius se libros misisse dicat nondum editos.

Ep. 50 Chromatio quo scripta sit anno ignoratur. Fortasse idem Chromatius est, qui presbyter interfuit concilio Aquileiensi successitque Valeriano episcopo Aquileiensi, quem a. 387 fere mortem obiisse augurantur.[279]) Quod si Baronius[280]) ex Paulini verbis 'extincto Maximo, posito Theodosio imperatore Mediolanii, Ambrosio vero episcopo constituto Aquileiae'[281]) Ambrosium iter Aquileiense propterea ingressum esse conclusit, ut Valeriani ordinaret successorem Chromatium, hoc aliis persuasit, aliis iisque cautioribus non persuasit.[282]) Maurini epistulam a. 390 circiter tribuunt, cum Ambrosius senectutem his verbis arguat: 'malo enim senilibus verbis de supernis rebus hallucinari tecum ... quam concitatioribus deflare aliquid iam nec studiis nostris aptum nec viribus'; quod argumentum ad stabiliendum annum non sufficit.[283])

Ep. 51. Cum seditione in Thessalonicensium civitate orta a. 390 magistratus nonnulli Romani interfecti essent, gravissime Theodosius in cives consuluit caedemque cruentissimam patravit antea pollicitus Ambrosio se veniam daturum esse.[284]) Cuius cladis nuntius Mediolanium perlatus est absente Theodosio, cum synodus, ad quam Galliarum episcopi convenerant, habebatur.[285]) Paullo post cum Ambrosius imperatorem reverti comperisset, ut eius adventum conspectumque vitaret, ex urbe decessit.[286]) Quod cur fecerit ep. 51

'placet iam, quod senibus usu facilius est, cotidiano et familiari sermone epistulas texere' senem se denotat auctor; cfr. 49, 1.

279) Migne, Patrol. lat. 20, 319. 378. 407.

280) Annal. eccl. a. 388 § 84.

281) Vita Ambr. 22.

282) cfr. vitae Ambrosii a Maurinis ex eius scriptis collectae § 98. Fontaninus apud Migne Patrol. 20, 380.

283) cfr. not. 278 p. 50.

284) Ambr. ep. 51, 6. Paulin. vita Ambr. 24. Rem enarrat Gueldenpenning, Kaiser Theod. p. 183 sq.

285) Ep. 51, 6 'quando primo auditum est, propter adventum Gallorum episcoporum synodus convenerat, nemo non ingemuit' e. q. s. Dici videtur synodus contra Ithacianos Felicemque episcopum habita (Hefele, Concil. II p. 45. 51). Cuius acta etsi servata non sunt, ea quae habet canon VI concilii Taurinensis a. 401 habiti (Hefele l. c. II p. 85. Mansi III p. 862) 'si qui (scil. Gallorum episcopi) ab eius (scil. Felicis) communione se voluerint sequestrare, in nostrae pacis consortium suscipiuntur iuxta litteras venerabilis Ambrosii vel Romanae ecclesiae sacerdotis dudum latas' sine dubio ad eam pertinent. cfr. adn. ad ep. 42.

286) Ep. 51, 1 'unde colligi potest quod non ingrato aliquo affectu adventum tuum semper mihi antehac exoptatissimum declinare potuerim'. 51, 14 'ipsa nocte qua proficisci parabam'.

ad Theodosium data exponit simulque libere illi cruentam caedem obicit monetque ut paenitentiam agat: quod nisi fecerit sese illi non posse offerre sacrificium (51, 13). Neque vero statim ad paenitentiam publicam, qualem voluit episcopus, imperator descendit, sed exeunte demum anno, postquam per octo menses placare illum frustra conatus erat.[287]) Ambrosius tunc effecisse fertur, ut Theodosius legem ferret, ne reus capitis damnatus supplicio afficeretur ante diem condemnationis trigesimum.[288]) Cum autem lex huius modi extet in Cod. Theod. IX 40, 13 ('si vindicari in aliquos severius contra nostram consuetudinem pro causae intuitu iusserimus, nolumus statim eos aut subire poenam aut excipere sententiam, sed per dies triginta super statu eorum sors et fortuna suspensa sit'), illam Theodosii a. 390 esse Gothofredus ratus in inscriptione ('imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA. Flaviano praefecto p. Illyrici et Italiae') Gratiani nomen delendum, Flaviani mutandum, in subscriptione autem ('dat. XV Kal. Sept. Verona Antonio et Syagrio coss.' a. 382) ponendos esse consules anni 390 censuit; quam coniecturam non multis probavit. Fieri autem potest, ut lex illa Gratiani temporibus lata a Theodosio a. 390 renovata sit.[289])

Ep. 52 Titiano. Confundunt Maurini hunc Titianum cum Tatiano praefecto praetorio, qui Rufino auctore in exilium eiectus est.[290]) Huic vero nihil cum Titiano commune esse demonstrant verba § 1 'quam gaudeo vel illi ut amico[291]), quia honore auctus invidia levatus est, vel tibi ut filio, quia liberatus es ab eo, quem tibi graviorem iudicem arbitrabare'. Verbis quae ibidem leguntur 'Rufinus enim ex magistro officiorum factus est in consulatu praefectus praetorio' epistulae tempus definitur. Munus enim illud post Tatianum Rufinus consul iniit a. 392 mense Iulio vel Augusto.[292])

Ep. 53 de Valentiniani funere scripta est Theodosio. aestate a. 392.[293])

---

287) Theodor. Hist. eccles. V 17. Ambr. de ob. Theod. 34 'deflevit in ecclesia publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat, gemitu et lacrimis oravit veniam'. cfr. § 28. Paulin. vita Ambr. 24. Verba quae hac in re Paulinus Ambrosium dicentem facit Theodosio 'qui secutus es errantem, sequere corrigentem' deprompsisse videtur ex libr. de instit. virg. 4, 31. Etiam Enarr. ps. XXXVII §§ 19 et 43 ad illam paenitentiam videntur spectare.

288) Sozom. Hist. eccles. VII 25 ὥςτε καὶ τὸν ἐν μέςῳ χρόνον μαλάςςειν τὴν τοῦ βαςιλέως ὀργὴν καὶ τοῦ θυμοῦ παρακμάζοντος ἐλέῳ καὶ μεταμελείᾳ γίγνεςθαι χώραν. cfr. Theodor. Hist. eccles. V 17.

289) Gueldenpenning l. c. p. 188.

290) Gueldenpenning l. c. p. 205.

291) Rufino scilicet, cuius tanta flagitia a scriptoribus commemorantur, ut mirari possis eum hic amicum appellari ab Ambrosio.

292) Tatianus d. 30. Iuni nondum abdicaverat Cod. Theod. XII 1, 127, sed iam d. 26. Aug. Rufinus occurrit praefectus praetorio Cod. Theod. VIII 6, 2.

293) § 5 'et ipsis igitur consuletur (scil. Valentiniani sororibus) et

Epp. 54. 55. Etsi in nonnullis codicibus inscriptio legitur 'ad Eusebium episcopum', tamen vix ille episcopus Bononiensis potest esse; est potius civis quidem nobilis Bononiensis Ambrosio amicissimus, qui huic Ambrosiam neptem aliosque nepotes educandos tradiderat. Idem autem est, ad quem libellus de institutione virginis scriptus est (a. 391 vel 392). Quo posteriores sunt epistulae, quippe cum Ambrosia, quam Eusebius episcopo commendaverat, iam virgo sacrata Mediolanii appareat.[294])

Ep. 56. In synodo Capuana (a. 391) praeter Bonosi causam praecipue actum est de schismate Antiocheno.[295]) Post Meletii mortem (a. 381) Flavianus episcopus creatus est[296]), adversus quem Paulinus alter episcopus Antiochenus moriens (a. 388?) Euagrium designavit episcopum, ita ut schisma maneret. Quod ut solveretur Theodosius synodum Capuanam convocavit, in qua cum Flavianus non adesset, res diiudicata non est, sed Theophilo Alexandrinorum episcopo eiusque suffraganeis cognitionis ius commissum est. Quod cum huic parum procederet Flavianusque Theodosium tunc Constantinopoli versantem, apud quem valuit auctoritate, iterum precibus adiret, Theophilus Ambrosium per litteras certiorem fecit, qui rescripsit ep. 56, in qua hortatus, ut iterum Flavianum conveniret remque ex synodi Capuanae iudicio tractaret, suadet, ut de eo, quod fieri vellet, ad Romanum episcopum referret. Quae cum ita sint, vix eo ipso anno, quo synodus convenit (391), epistula potest scripta esse, sed interiecto aliquo intervallo h. e. a. 392 vel posteriore, prius tamen quam Theodosius ex oriente ad debellandum Eugenium profectus est (a. 394).[297])

Ep. 57 ad Eugenium imp. data est a. 393. Neque enim ante aestatem huius anni usurpator in Italiam descendit neque ante eius adventum Ambrosius Mediolanio decessit.[298]) Scripta autem est post secessionem[299]), qua in urbe, Bononiae an Faventiae an Florentiae, de Paulini verbis (27) nequit extricari. Discimus hac epistula (§ 11) Eugenium, ubi primum Caesar factus est, duas ad episcopum dedisse epistulas, quibus ille non respondit.

Ep. 58. Sabino episcopo[300]) sese comperisse narrat Paulinum

---

carissimis exuviis, si acceleretur sepultura, ne aestivo penitus solvantur calore; vix enim superiorem aestatem transegimus'; cfr. adn. consolationis de obitu Valent. p. 38.

294) De inst. virg. 1, 1 'commendas mihi pignus tuum, quod aeque est meum, Ambrosiam domini sacram'. Ep. 54, 2; 55, 1.

295) Mansi, Conc. III p. 686. Tillemont note 41 sur Ambr. Hefele l. c. II p. 52. Langen, Gesch. d. röm. Kirche I p. 647.

296) Hefele l. c. II p. 7. cfr. Ambr. epp. 13 et 14.

297) Gueldenpenning, Kais. Theod. p. 224.

298) ibid. p. 219. Paulin. vita Ambr. 27.

299) Ep. 57, 1 'secessionis mihi causa timor domini fuit'.

300) Ad eundem datae sunt epp. 45—49.

Therasiamque coniugem eius, postquam rem familiarem pauperibus distribuerint, Nolam in Campaniae urbem secessuros esse. Quod factum est a. 394 post dies paschales. Constat autem ex Paulini epist. 3, 4 ad Alypium data, qui una cum Augustino a. 387 ab Ambrosio baptizatus est[301]), convenisse illum, antequam Nolam se reciperet, cum Ambrosio, qui benigne eum recepit cleroque suo adscribere voluit. Si vero statim post pascham a. 394 Paulinus in Italiam abiit, vix Mediolanii Ambrosium repperit, sed Florentiae, unde ille non ante mensem Augustum (ep. 61, 2) revertit. Etsi Ambrosium Sabino scripsisse apparet, antequam Paulinus in ipsius conspectum venisset, certe non multo ante a. 394 data esse potest (58, 1). Probabiliter a. 393 Maurini adscripserunt, cum a. 392 Paulinus bona sua pauperibus donasse dicatur.[302])

Ep. 59 Severo inscribitur, qui episcopus videtur fuisse Neapolitanus.[303]) Queritur Ambrosius obiectum se esse barbarorum motibus bellorumque procellis annum quinquagesimum et quartum agentem.[304]) Motus bellici utrum ad Maximi bellum 387/388 an ad Eugenii invasionem 393/394 spectent difficile est dictu. Natus igitur est Ambrosius aut ca. a. 333 aut ca. a. 340. Equidem cum Maurinis aliis hunc annum probabiliorem puto secutus hanc Tillemontii ratiocinationem.[305]) Marcellina, Ambrosii soror maior natu, cum sit virgo tenera consecrata a Liberio[306]) qui Iulio papae a. 352 mense Iunio[307]) successit, non ante d. 6. Ian. anni 353 virginitatem profiteri potuit. Sermonem enim, quem Liberius in consecratione habuit (de virg. III 1, 1 sqq.)'salvatoris natali', non die 25. Dec., sed Epiphaniorum die dictum esse Usenerus docuit[308]), et cum Christi natalicia anno 354 celebrari coepta sint d. 25 Dec., tempus, quo Marcellina cultui divino sacrata est, satis accurate definitur. Si autem vera est Paulini narratiuncula, per iocum Ambrosium adulescentem, cum videret sororem matrem aliasque domesticas sacerdotum manibus applicantes oscula, dexteram suam virgini cuidam osculandam obtulisse sese iam futurum episcopum denotantem, hoc in puerum cadit, non

---

301) Augustin. Confess. IX 6, 14.

302) Migne, Patrol. lat. 61, 30 sq.

303) Ep. 59, 1 'Iacobus, frater et compresbyter noster, Campaniae sibi ad requiescendum littora et vestras elegit amoenitates'; 59, 2 'remota enim vestri ora littoris non solum a periculis' e. q. s.

304) Ep. 59, 3 'nos autem obiecti barbaricis motibus et bellorum procellis in medio versamur omnium molestiarum freto'. 59, 4 'cum annum tertium et quinquagesimum iam perduxerim in hoc corpore situs, in quo tam graves iam dudum sustinemus gemitus'.

305) Alterum annum nuper sumpsit Balkenhol, qui scribere instituit 'Die kirchenrechtlichen Anschauungen des Ambrosius' in ephemeride 'Der Katholik' 1888 I fasc. 2 p. 113 sqq.

306) Ambr. de virg. III 1, 1. III 2, 5.

307) Non mense Maio, cfr. Langen l. c. p. 459 not. 1. Usener, Relig. Untersuchungen I p. 269.

308) Religionsgesch. Untersuchungen I cap. III 5.

in iuvenem annum vigesimum vel posteriorem agentem.[309]) Quam ob rem a. fere 340 Ambrosium natum, epistulam ad Severum a. 393 aut 394 (ante mens. Sept.) missam esse putaverim.

Ep. 60. Paternum, quem amplissimum honorem a Theodosio accepisse dicit (§ 8), ne neptem ex filia filio in matrimonium tradat dehortatur. Eundem Paternum Gothofredus coniecit esse, qui legi de metallis Cod. Theod. X 19, 14 sine dignitate praescribitur, neque Seeckio diversus visus est ab Aemilio Paterno, qui a. 393 ineunte Africam proconsul rexit et in aula Honorii eo tempore sacras largitiones administravit, quo Felix quaestor, Sperchius comes rerum privatarum erat h. e. a. 396 exeunte aut 397 ineunte.[310]) Itaque hoc fere tempore (393—396) epistula ad Paternum data putari potest. Etsi lex Theodosiana quam Ambrosius hisce significat verbis: 'nam Theodosius imperator etiam patrueles fratres et consobrinos vetuit inter se coniugii convenire nomine et severissimam poenam statuit, siquis temerare ausus esset fratrum pia pignora' (ep. 60, 8) iam non extat, servatae sunt duae Arcadii Honoriique quae aperte illam respiciunt constitutiones, quarum altera a. 396, altera a. 409 proposita est.[311]) Filius autem Paterni non dubito quin fuerit Cynegius[312]), ad quem Ambrosius ep. 84 misit, ut ex argumenti affinitate colligitur. Recte igitur in codicibus et editionibus vetustioribus haec epistulae 60 subiungitur.

Epp. 61. 62. Eugenio tyranno devicto a. 394 mense Sept. Theodosius litteras dedit ad patrem sanctum, qui kal. Aug. Florentia Mediolanium reverterat[313]), ut deo publice in ecclesiis grates agerentur. Cui satisfecit episcopus rescripsitque ep. 61, in qua tantam imperatoris pietatem praedicat. Brevi alteram misit, quae interiit, qua obsecravit imperatorem, ut clementer in eos ageret, qui Eugenii partes secuti essent, neque eum piguit tertiam eiusdem argumenti addere (ep. 62), quam Felici diacono deferendam tradidit.[314]) Denique postquam ad defendendos eos, qui in ecclesias confugerant, Iohannem tribunum et notarium misit, ipse Aquileiam deprecaturus pro illis profectus facile veniam impetravit.[315])

---

309) Paulin. vita Ambr. 4. Ad eandem rem § 9 revocat.

310) Seeck, Proleg. Symm. p. CLVII. cfr. CIL. VIII 1412. Symm. ep. V 62. 63. 65.

311) Cod. Theod. III 12, 3 'designato quidem lege (Theodosii) supplicio' III 10, 1 'exceptis his, quos consobrinorum h. e. quarti gradus coniunctionem (Ambr. ep. 60, 3) lex triumphalis memoriae patris nostri exemplo indultorum supplicare non vetavit'. Theodosii constitutionem Gothofredus a. 384 vel 385 factam esse coniecit.

312) Ab hoc diversus est Cynegius, quem Symmachus ep. V 62. 65 (ad Paternum) commemorat.

313) Paulin. vita Ambr. 27. 31. Ambr. ep. 57 c. adnot. ep. 61, 2: 'redii itaque circiter kalendas Augustas'.

314) Ep. 62, 1 'quamvis proxime scripserim Augustae clementiae tuae etiam secundo, mihi tamen non satis fuit' e. q. s. 62, 3.

315) Paulin. vita Ambr. 31.

Ep. 63. Limenio mortuo, quem interfuisse scimus concilio Aquileiensi a. 381, ecclesia Vercellensis per aliquod tempus episcopo caruit dissensionibus inter cives clerumque ortis. Quae ut resecarentur Ambrosius ep. 63 scripsit ecclesiae Vercellensi. Si fides haberi potest vitae Gaudentii Novariensis episcopi[316]), epistula scripta est paullo antequam decessit, a. 395 vel 396. Quin ipse Vercellas discidii componendi causa se contulisse fertur ibique ordinasse Honoratum, quem episcopo morienti hostiam obtulisse Paulinus tradit.[317]) Nonnulla in hanc epistulam pater sanctus ex Expos. evang. Luc. et psalmi CXVIII transtulit.[318]) Sarmationem et Barbatianum monachos apostatas, de quibus § 7 sqq. verba facit, aperte etiam in Enarr. psalmi XXXVI post annum 394 composita perstringit.[319]) Quae omnia tempus supra dictum confirmant.

Ep. 64 Irenaeo; cfr. adn. epp. 27—33.

Epp. 65. 67 Simpliciano; cfr. adn. epp. 37 et 38.

Epp. 66 et 68 Romulo inscribuntur, qui quis fuerit ignoratur. 66, 11 filium eum appellat, 68, 1 ruri eum degere dicit.

Ep. 69 Irenaeo; cfr. adn. epp. 27—33.

Epp. 70. 71 Orontiano; cfr. adn. epp. 34—36.

Ep. 72 Constantio; cfr. adn. ep. 2 p. 39.

Epp. 73—76 Irenaeo; cfr. adn. epp. 27—33.

Ep. 75 Clementiano; restituendum videtur in inscriptione 'Irenaeo'; cfr. adn. epp. 27—33.

Epp. 79. 80 sese excipiunt. Bellicio cuidam datae sunt, qui non clericus fuit; anni nullum adest indicium.

Ep. 81 'clericis' inscribitur, quos monet Ambrosius ut strenue maneant in munere divino neque reformident labores.

Ep. 82 Marcello scripta est, quem episcopum fuisse arguunt §§ 2. 11.[320]) Versatur in causa, ad quam diiudicandam Ambrosius iudex erat a partibus constitutus.

Ep. 83 laudat Sisinnium quendam, quod filio, qui se inconsulto uxorem duxerat, veniam dederit.

Ep. 84 Cynegio; cfr. adn. ep. 60.

Epp. 85 et 86. Siricii epistulis respondent, quas detulerant Ambrosio Syrus presbyter et Priscus (ep. 88). Syrum 'fratrem nostrum et compresbyterum' (85, 1), Siricium 'amantem nostri et parentem' (85, 3) et 'fratrem' (ep. 86) appellat. Videtur pontifex esse Siricius (384—398).

Ep. 87 'Segatio et Delphino episcopis' editores Maurini inscribunt. 'Segatio' in plerisque codicibus invenerunt. Sed resti-

316) cap. III 11. 12 (Acta sanctorum 22. Ian. p. 419).
317) Vita Ambr. 47. cfr. Tillemont, Mém. X p. 258. 259.
318) cfr. ep. 63, 109. 110 cum Exp. ev. Luc. X 129—132, cp. 3, 94. 95 cum Exp. ps. CXVIII 12, 38. 39.
319) § 49, vide supra p. 22 sq.
320) Tillemont, Mém. X p. 113.

tuendum videtur 'Phoebadio', qui Aginni Galliarum sedem habuit.[321]) Alter episcopus Burdigalensis est, qui Paulinum Nolanum baptizavit.[322]) Aginnum autem, hodie *Agens,* urbs est non procul a Burdigala sita. Litteras Polybius quidam episcopis perfert, quem Ambrosius proconsularem iurisdictionem in Africa egregie repraesentasse dicit. De quo nihil praeterea traditum est. Seeckius intra a. 380 et 390 eius proconsulatum posuit.[323])

Ep. 88 Attico scripta est. Num sit Atticus, qui a. 384 praefectus praetorio Italiae et a. 397 consul fuit, incertum est.[324])

Ep. 89 Alypio inscribitur, qui vix diversus est a Faltonio Probo Alypio praefecto urbi a. 391.[325]) Alypio datae sunt Symmachi epp. VII 66—71.

Ep. 90. Antonius, ad quem missa est, qui fuerit ignoratur. Antonio praefecto Galliarum a. 376—378, consuli a. 382 Symmachi datae sunt epp. I 89—93.[326])

Ep. 91 'Candidiano fratri'. Etsi breviores sunt litterae, quam ut certum de Candidiano effici possit, tamen verisimile est fuisse eum episcopum, ut quem Ambrosius appellet 'frater dilectissime ac beatissime' laudetque summopere. Invenio autem Candidianum quendam episcopum in litteris Siricii papae ad Anysium Thessalonicensium episcopum datis, ubi haec: 'etiam dudum, frater carissime, per Candidianum episcopum, qui nos praecessit ad dominum, huiusmodi litteras dederamus'.[327]) Candidianus ergo mortuus est Siricio iam episcopo creato (a. 384). Litteras illas Siricii viri docti a. fere 385 scriptas volunt, sed annus non constat.[328])

---

321) Hieron. Vir. illustr. cap. 108. Cod. Paris. in indice praebet *Foebiadius,* Vatic. *Phevadius,* Bamb. *Lebadius,* Bern. *Phebadius.* Teuffel, Hist. litt. Rom.[4] § 418, 6. Duo Maurinorum codices *Foegadio* exhibent, unus *Saegariano.* Phoebadii nomen non frequens est cfr. Olympiodor. ap. Phot. Bibl. p. 59[b] 27 'Ρουστικίου καὶ Φοιβαδίου.

322) Tillemont l. c. p. 521.

323) Proleg. Symm. p. CLXXXI.

324) Seeck, Prol. Symm. p. CLXXIII. Priscus, quem § 1 commemorat, occurrit etiam ep. 86.

325) Cod. Theod. XIV 2, 2. CIL. VI 1185. 1713. Ambros. l. c. 'Antiochus vir clarissimus (consularis?) reddidit mihi eximietatis tuae litteras nec supersedi respondendi munere'. Antiochum eum fuisse conicit Seeckius (Prol. Symm. CXCVIII), qui a. 395 proconsul Achaiae fuit (Zosim. V 5), et a. 391 praefectum annonae fuisse efficit, de qua re licet dubitari.

326) Seeck, Proleg. Symm. p. CIX.

327) Coustant, Ep. pontif. p. 642.

328) Non male in cod. Vat. saec. IX/X Reifferscheid, Bibl. patr. I p. 417 Ambrosii ad Candidianum epistula subiungitur epp. 15 et 16.

Temporis ordo epistularum.

		post a. 378	ep. 2.
a. 379 ante mens. Aug.	ep. 1.		
a. 381 Sept.	epp. 9—12.	post a. 381	epp. 3. 4.
a. 381/2	epp. 13. 14.		
a. 382/3 (383/4?) hieme	epp. 15. 16.		
a. 384 messis tempore	epp. 17. 18.	post a. 384?	epp. 85. 86.
a. 385	ep. 19.		
	ep. 20.	post a. 385	epp. 25. 26.
a. 386	epp. 21. 22.		
	ep. 23.	post a. 386	epp. 34—36.
			epp. 43—45.
a. 386/7	ep. 24.		
		post a. 387	ep. 39.
a. 388 post victum Maximum	epp. 40. 41.		
a. 390	ep. 42(?)		
	ep. 51.		
		post a. 391	epp. 54. 55.
		391—394	ep. 56.
a. 392	ep. 53.		
	ep. 52.		
a. 393	epp. 57. 58.	393—396	epp. 60. 84.
a. 393/4	ep. 59(?)		
a. 394 post d. 6. Sept.	epp. 61. 62.		
a. 395/6	ep. 63(?)		

De tempore epp. 7. 8. 27—33. 37. 38. 64—83. 85—91 nihil certi statui potest. Epp. 5. 6. 46—49. 50 non primis episcopatus annis datae sunt.

Epistula quae vocatur 'de causa Bonosi', quam Maurini post ep. 56 exhibent, scripta est a. 391 vel 392 post synodum Capuanam. Inscriptio in codicibus servata non est. In prioribus editionibus haec praemittebatur 'Ambrosius Theophilo et Anysio'. Holstenius hanc invenit 'dilectissimis fratribus Anysio et ceteris episcopis per Illyriam constitutis'.[329]) Ambrosius auctor non est, fortasse Siricius pontifex.[330])

Longe alius ordo epistularum in editionibus vetustioribus et codicibus est, sed melius constitutus est ab editoribus Maurinis. In

329) Inscriptio 'de Bonoso episcopo' petita est ex epistulae exordio. Duo tantum Maurinorum mss. addunt 'Ambrosius Theophilo'.

330) V. adn. ad libr. de inst. virginis p. 29.

codice Vaticano saec. IX/X iam saepius laudato[331]) decem epistularum libri distinguuntur, sed qua ratione in ordinem sint redactae parum intellegi potest. Certe temporum ordo servatus non est, neque ab ipso Ambrosio ita dispositas esse verisimile est.[332]) Epistulis 81 Ambrosii quae in illo codice exhibentur[333]), praemissae sunt epp. 23 et 63 scriptae manu saeculi XII. Fortasse si quis omnes epistularum Ambrosianarum codices inspexerit, melius de earum ordine iudicare poterit.

Hymni et carmina.

Hymni Ambrosiani vix ante Iustinae persecutiones (a. 385/6) compositi sunt. Cuius rei haec extant testimonia: ipsius Ambrosii Serm. contra Aux. (habit. a. 386) § 34 'Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt. Plane nec hoc abnuo. Grande certamen istud est, quo nihil potentius. Quid enim potentius quam confessio trinitatis, quae cotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes student fidem fateri, patrem et filium et spiritum sanctum norunt versibus praedicare. Facti sunt igitur omnes magistri, qui vix poterant esse discipuli'; Paulini in Vita Ambr. § 13: 'Hoc in tempore primum antiphonae, hymni ac vigiliae in ecclesia Mediolanensi celebrari coeperunt. Cuius celebritatis devotio usque in hodiernum diem non solum in eadem ecclesia, verum per omnes paene occidentis provincias manet'; Augustini Confess. IX 6, 14: 'Quantum flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis ecclesiae tuae vocibus commotus acriter! Voces illae influebant auribus meis et eliquabatur veritas in cor meum et exaestuabat inde affectus pietatis et currebant lacrimae et bene mihi erat cum eis. Non longe coeperat Mediolanensis ecclesia genus hoc consolationis et exhortationis celebrare magno studio fratrum concinentium vocibus et cordibus. Nimirum annus erat aut non multo amplius (scil. ante Augustini baptisma a. 387 pascha), cum Iustina Valentiniani regis pueri mater hominem tuum Ambrosium persequeretur' e. q. s.[334]) Sed hymnorum, qui hodie Ambrosii nomen prae se ferunt, longe plurimi subditicii sunt. Duodecim fere ab editoribus ut Ambrosiani recepti sunt. Sed horum quattuor tantum constat origo Ambrosiana.

I. 'Aeterne rerum conditor', quem testatur praeter Augustinum[335]) ipse pater sanctus Hexaem. V 24, 88: 'hoc (scil. gallo)

---

331) Reifferscheid, Bibl. patrum I p. 417.

332) cfr. Ambros. ep. 48, 7.

333) Desunt epp. 1. 9—14. 22. 41. 42. 51. 57. 61. 62. Male in numerum recepta sunt Sermo contra Auxentium, Consolatio de obitu Theodosii, Symmachi Relatio de ara Victoriae alia. Ep. 37 in duas divisa est.

334) cfr. Ennod. carm. I 6, 40 (op. II 40. p. 6 ed. Vogel):

'Cantem quae solitus dum plebem pasceret ore
Ambrosius vatis carmina pulcra loqui'.

335) Retract. I 21 'qui sensus etiam cantatur ore multorum in

canente latro suas relinquit insidias, hoc ipse lucifer excitatus oritur caelumque illuminat; hoc canente maestitiam trepidus nauta deponit omnisque crebro vespertinis flatibus excitata tempestas et procella mitescit . . . hoc postremo canente ipsa ecclesiae petra culpam suam diluit, quam priusquam gallus cantaret negando contraxerat; istius cantu spes omnibus redit' e. q. s., quae manifesto ex illo hymno transtulit. Conferantur imprimis versus

Hoc excitatus lucifer
Solvit polum caligine,
Hoc omnis errorum chorus
Viam nocendi deserit.
Hoc nauta vires colligit,
Pontique mitescunt freta,
Hoc ipsa petra ecclesiae
Canente culpam diluit.

II. 'Deus creator omnium' cuius hymni versus priores octo Augustinus laudat Confess. IX 12, 32.[336])

III. 'Iam surgit hora tertia'. Augustinus versus affert[337])

'votisque praestat sedulis
sanctum mereri spiritum'.

IV. 'Veni redemptor gentium'. Caelestinus papa in sermone, quem a. 430 in synodo Romana adversus Nestorianos habuit, haec: 'recordor', inquit, 'beatae memoriae Ambrosium in die natalis domini nostri Iesu Christi omnem populum fecisse una voce canere: veni, redemptor gentium'.[338]) Eiusdem hymni duos versus laudat Faustus episcopus Reiensis epist. 17[339]); et Cassiodorius in Expos. psalmi VIII haec: 'unde beatus Ambrosius hymnum natalis domini eloquentiae suae pulcherrimo flore compinxit, ut pius sacerdos festivitati tantae dignum munus offerret. Ait enim

Procedens de thalamo suo
Pudoris aula regia
Geminae gigas substantiae
Alacris ut currat viam

et cetera quae supra humanum ingenium vir sanctus excoluit'.[340])

Paullo incertior est auctoritas hymni V ('Illuminans altissimus'),

---

versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: hoc ipsa petra ecclesiae canente culpam diluit'.

336) cfr. Augustin. de musica VI 9.

337) De natura et gratia 63, 74.

338) Apud Arnob. lib. II de conflictu cum Serapione; Coustant, Epist. pontif. p. 1097.

339) Monum. Germ. Auct. antiq. VIII p. 286 (ed. Krusch). Faustus episcopus factus est a. 433.

340) Migne 70, 79. Eiusdem hymni stropham primam affert in Expos. ps. LXXI (Migne 70, 509).

quem Cassiodorius in Expos. ps. LXXIV hisce indicat verbis: 'unde beatus Ambrosius in hymno sanctae Epiphaniae mirabiliter declamavit'[341]), et hymni VI ('Orabo mente dominum'), quod fragmentum eiusdem stat testimoniis in Expos. ps. CI: 'hinc etiam s. Ambrosii secundum Apostolum horae sextae roseus hymnus ille redoluit; ait enim

Orabo mente dominum,
Orabo simul spiritu,
Ne vox sola deo canat' etc.

et in Expos. ps. CXVIII: 'hoc et s. Ambrosii hymnus in sextae horae decantatione testatur'.[342]) Sex reliquos Maurini receperunt freti auctoritate Bedae Venerabilis, Hincmari Remorum episcopi, beati Ildephonsi.

Plura de hymnis Ambrosianis dicere nec volo nec queo[343]) neque habeo quae de carminibus nonnullis Ambrosio tributis proferam. Ex quibus quattuor Ballerinius editionis suae inseruit vol. V p. 689, in quibus epitaphium est Satyri Ambrosii fratris iam supra commemoratum.[344])

De Hegesippi qui dicitur de bello Iudaico libris V.

De auctore librorum quinque Hegesippi qui dicitur de bello Iudaico[345]) h. e. de Flavii Iosephi interprete latino vetus controversia est, cum alii viri docti Ambrosio episcopo illos adscribant nisi codicum nonnullorum auctoritate, alii eidem abiudicent. Secernenda autem est illa librorum septem Iosephi de bello Iudaico interpretatio ab altera, quae vulgo Rufino tribuitur. Nam cum haec Iosephi septem libros integros exhibeat totidem libris[346]), alter ille interpres latinus in quinque libros contraxit, ita ut quattuor priores singulis respondeant Iosephi libris, quintus quinto et sexto et nonnullis septimi particulis. Neque verbum de verbo expressit auctor, 'sed vel e pleniore Iosephi narratione suam excerpsit vel rhetorico more maxime locis communibus et verborum sententiarumque floribus nonnumquam satis splendidis adauxit, id quod praesertim in orationes

341) Migne 70, 539.
342) Migne 70, 707. 895.
343) Ebert, Litteratur des Mittelalters I p. 164 sqq. Foerster, Ambros. p. 262 cum notis, qui hymnos quattuor priores germanice reddidit p. 330 sqq.
344) Vide supra p. 36. De carminibus Ambrosii cfr. de Rossi, Bullet. christ. I 1863 p. 5. II 1864 p. 76. Corp. inscr. lat. V p. 617 sqq.
345) Editores Maurini librum inscribunt 'de excidio urbis Hierosolymitanae'.
346) De qua Cassiodorius (Inst. div. litt. 17): 'Qui (Iosephus) etiam et alios septem libros captivitatis Iudaicae mirabili nitore conscripsit. Quorum translationem alii Hieronymo, alii Ambrosio, alii deputant Rufino, quae dum talibus ascribitur, omnino dictionis eximiae merita declarantur'. Neque igitur hic locus valet ad diiudicandam nostram quaestionem.

cadit graecarum modum plerumque multo superantes vel omnino additas.'[347]) Ad quos libros legendos cum non accesserim nisi diligenter perlectis examinatisque libris vere Ambrosianis, miratus sum, quanta similitudo cognatioque generis dicendi ususque verborum inter Ambrosium et Hegesippum quem vocant[348]) intercedat, ita ut libenter Gronovio, Vallarsio, Gallandio, Reifferscheido assentirer nihil obstare, quominus libri illi Ambrosio, cuius nomen antiquitus prae se ferunt, tribuantur. Neque hac sententia commentatio me deiecit, quam nuper 'de Hegesippo qui dicitur Iosephi interprete' conscripsit Fridericus Vogel[349]), cuius argumenta nimis confidenter prolata debiliora et aliis[350]) et mihi visa sunt. Breviter hic quaestionem exponam, qua in re ordinem sequor a Vogelio propositum.

I. Etsi codicum pars maior Ambrosii nomen non exhibet, tamen non desunt, qui illud luculenter prae se ferant, quorum auctoritatem Vogelius atterere frustra conatus est. Omissis codicibus qui minoris ponderis sunt[351]), duorum affero inscriptiones antiquissimorum a) cod. Mediol. saec. VIII/IX (Reifferscheid, Acta minora Vindobon. LXVII p. 473): 'Egesippi liber primus explicit. Incipit secundus Ambrosi episcopi de grego transtulit in latinum', b) cod. Vatic. saec. IX/X (Reifferscheid, Bibl. patrum I p. 197): 'Incipit tractatus sci Ambrosii epi de historia iosippi captiui translata ab ipso ex greco in latinum'.

II. De temporum ordine auctorisque aetate dudum constat post annum 367 scriptos esse libros, ut apparet ex lib. V 15, 24[352]) verbis, quae spectant ad bella a Theodosio, imperatoris patre, prospere gesta a. 367 (Vogel p. 10 sq.). Annum autem, ante quem scripti sint, certo definiri posse Vogelius sibi persuasit verbis V 50, 22 — agit autem eo loco auctor de Alanorum gente interpretatus Iosephi de bello Iud. VII 7, 4 — 'namque insolentia quadam propriae fortitudinis et in ceteros despectu superbo, simul ut familiarem sibi eminus decertandi consuetudinem refugiendique facultatem tali fraude praetexerent, laqueos iacere atque hostem innectere ars Alanis bellandique mos est'. Quae negat verba eius esse posse, 'qui non ignoret, Alanorum regiones ab Hunnis pervasas ipsorumque multos interfectos et spoliatos esse'. His igitur ductus eaque re, quod Gothorum 'ne nomen quidem in Hegesippo scriptum extat', affirmat atque adseverat fieri non posse, quin ante a. 375 hoc opus con-

347) Verba sunt Iulii Caesaris, qui editionem Weberianam absolvit p. 391.

348) De quo nomine cfr. Vogel, de Hegesippo p. 4 sqq.

349) Erlangae 1881. Ante illum Ambrosium auctorem esse negaverant Erasmus, editores Maurini, Tillemontius alii.

350) Ben. Niese, Deutsche Litteraturzeitung 1881 p. 1265. Herm. Roensch, Philolog. Rundschau 1881 p. 602. Teuffel, Hist. litt. Rom. ed. IV § 433, 5.

351) De quibus cfr. Caesar p. 392. 393 (edit. Weberianae).

352) Tertius numerus versum capitis indicat editionis Weberianae.

scriptum sit. Quod argumentum certissimum esse vereor ne non multis persuaserit.

III. Ab hoc fundamento parum valido profectus negat Ambrosium auctorem esse, cum hic a. 374 exeunte demum episcopus sit creatus neque antea fuerit baptizatus, auctor vero belli Iudaici homo fuerit christianae religioni catholicae addictus neque litterarum sacrarum ignarus, qui quattuor Regum libros latine se reddidisse compositos in morem historiae ipse testetur in operis praefatione.[353]) Equidem cur fieri non possit, ut composuerit hos libros catechumenus, non video, praesertim cum constet educatum eum esse a prima iuventute in religione christiana. Ceterum Vogelio adstipulor primum opus ab episcopo Ambrosio elucubratum esse a. 377, libros scilicet de virginibus. Potest etiam fieri, id quod Roenschio probabile visum est, ut librorum Regum interpretationem nomine suo non praeposito ediderit, ita ut nequaquam mirandum sit neque apud ipsum Ambrosium neque apud alios eiusdem vel posterioris aetatis scriptores opusculi illius mentionem extare. Quod idem cadere potest in libros de bello Iudaico scriptos. Neque vero, si hoc minus placet, mirum duco Ambrosii nomen paullatim delituisse, quippe cum non fuerit Ambrosii opus integrum atque plane proprium, sed interpretatio tantum latina librorum Iosephi nonnullis adiectis vel demptis. Itaque factum est, ut a posterioribus, qui hac interpretatione usi sunt, inter quos iam Eucherius (saec. V) numeratur, nomen auctoris aut reticeatur aut ipse Iosephus vel Hegesippus, quod nomen ex illo corruptum est, citetur.[354]) Primum qui auctorem diceret Ambrosium Vogelius invenit Guilelmum Malmesberiensem (saec. XII), qui Antiochenae urbis mentione facta in primae sacrae expeditionis descriptione haec: 'cuius situm commemorarem', inquit, 'nisi aviditatem meam praeoccupasset Ambrosiana in Egesippo facundia'.

IV. Quae inde a p. 20 Vogelius profert de dicendi genere, ea parum accurate dicta esse iam Roenschius monuit. Assentior tamen Vogelio contra hunc in sententiis et versibus et ab Ambrosio et ab Hegesippo ex libris divinis depromptis nullam inesse notam iudicandi, num idem subsit auctor. Pauciora enim sunt quae in libris de bello Iudaico spectent ad libros sacros, quam ut aliud effici possit nisi quod iam Iulius Caesar (p. 399) dixit, nusquam certa versionis Hieronymianae vestigia reperiri. Accedit, id quod multi non satis tenent, quod Ambrosius in laudandis litterarum sanctarum locis minime sibi constat, sed alias aliter eundem locum producit, cuius rei ut dem exempla vix opus est.[355]) Sed in eligendis

353) 'Quattuor regnorum libros, quos scriptura complexa est sacra, etiam ipse stilo persecutus usque ad captivitatem Iudaeorum murique excidium et Babylonis triumphos historiae in morem composui'. Non igitur mera translatio fuit.

354) Vogel p. 34 sqq.

355) Quam variis codicibus et graecis et latinis usus sit Ambrosius

collocandisque vocabulis mira inter utrumque intercedit consensio, neque satis Vogelius respexisse mihi videtur, quae ea de re Gronovius exposuit in Monobiblo. Mirum enim quam saepe uterque adhibuerit voces ceterum non ita usitatas, quales sunt refrigerare, exasperare, exinanire, acerbare, coacervare, prosapia, praecipitium, incentivum, incentor, innodare, defaenerare aliae eodem sensu usurpatae.[356]) Eo accedit quod uterque eosdem imitatur scriptores, Ciceronem imprimis, Vergilium[357]), Sallustium. Negat sane Vogelius Ambrosium imitatum esse Sallustium, id quod prolixe fecit Hegesippus, ita ut hic Sallustii simia sit appellatus. Quod argumentum illi quam gravissimum, Niesio et Roenschio non contemnendum, mihi admodum debile visum est. Conquisivit Vogelius in Act. sem. phil. Erlangensis I p. 350 sqq. satis magnam ex Hegesippo copiam imitationum Sallustianarum cumque olim editorum auctoritate motus Ambrosium operis auctorem esse credidisset, festinanter se illius libros evolvisse dicit (p. 26), 'ut, si dis placet, omnem Sallustium in Ambrosio expressum reperiret'. Doleo quod eum haec opinio tantopere fefellit, quamquam, si naturam librorum Ambrosianorum paullo diligentius perpendisset, ipse intellexisset minime veri esse simile tantam in illis extare copiam imitationum Sallustianarum. In libris de bello Iudaico cum res maxime tractentur bellicae aeque atque in libris Sallustii, quid magis consentaneum est, quam ut imitationes spectent fere omnes ad res militares? In libris autem Ambrosii theologicis dogmaticis ubinam tam amplae imitationi locus datur? Verumtamen ne in Ambrosii quidem scriptis aperta eiusdem imitationis vestigia desunt, id quod Vogelius parum respexit. Qui exemplis tribus iam a Gronovio allatis alia addidit tria (p. 27), sed parum candide ut videtur, cum non uno tantum loco illa apud Ambrosium legantur, sed, id quod non parvi momenti est, saepius repetita. Numerum autem auxi aliquot aliis neque dubito quin plura extent. Neque enim hanc ob rem totum Ambrosium relegere operae pretium duxi; quod si Vogelius fecit, ut ex illius verbis concludere fas est, neglegenter se fecisse ipse fateatur necesse erit.

Sallust.	Ambros.	Heges. qui vocatur.
Cat. 12, 2 'nihil pensi neque moderati haberi'.	Ep. 6, 7 'nihil pensum ac moderatum habentes'.	

patet ex iis locis quos Roenschius congessit in Kahnis Zeitschrift für histor. Theologie 1870 p. 109—130.

356) 'refragium' Ambr. ep. 37, 30 de bello Iud. IV 26, 42 (cfr. Gronov. Monob. p. 236). 'fundibalum' Ambr. ep. 37, 39 de bello Iud. V 44, 63. 'supercilium montis' de bello Iud. I 30, 69. III 9, 36. Ambr. Hex. I 8, 28 saepius.

357) De Vergilio cfr. index imitationum infra positus cap. III. Terentianum exemplum luculentissimum Gronovius protulit (Monob. p. 7 sqq.).

Sallust.	Ambros.	Heges. qui vocatur.
Cat. 58, 15 'pace bellum mutavit'; cfr. Iug. 88, 6 'pacem atque bellum mutare solitus'.	Ep. 6, 11 'consilia pacis bello mutata'.	I 9, 6 'bello pacem mutavit'.
Iug. 5, 5 'imperi vitaeque eius finis idem fuit'.	Ep. 6, 14 'belli finis simul atque irae factus'.	I 8, 18 'finem imperii ac vitae edidit'. II 13, 66 'nec tamen is vitae finis qui potestatis fuit'.
Iug. 14, 4 'prius oneri quam usui esse'.	Hex. VI 5, 31 'oneri magis esset quam usui'. Expos. ev. Luc. VII 217 'ut fit magis oneri quam usui'. De bono mort. 4, 13 'animae maiori oneri quam usui est'. Ep. 2, 11 'multa oneri, moderata usui'. De exc. Sat. II 47 'immortalitas enim oneri potius quam usui est, nisi adspiret gratia'.	II 15, 63 'quae oneri magis quam usui in periculis erant'. III 24, 29 'aliis talia arma oneri sunt, nobis integimento, quia usu levantur'. V 53, 36 'quis ergo dubitet, quod ei inesse videatur immortalitatis operatio, cuius virtus sit mortem avertere? ea tamen sibi oneri est, quamvis alii ad usum redundet'. V 24, 10 'coepit oneri esse cibus, qui prius usui erat'. V 24, 76 'qui prius[358]) oneri quam usui forent'.
Iug. 48, 3 'quae humi arido atque arenoso gignuntur'.	De virginib. III 5, 21 'si non aspero montium, non humi arido expers quietis existat'. De exc. Sat. II 57 'multa gignentia quamvis iugi serenitate humo arida arenosaque nascuntur'.[359])	IV 16, 41 'humi arido corruptior aer'.
Iug. 79, 6 'loca aequalia et nuda gignentium'.	Hex. I 8, 28 '(terra) nuda gignentium'. De Cain II 8, 26 'locus nudus gignentium'. Exp. ps. CXVIII 5, 14 'non arenosa et nuda gignentium'. Exp. ev. Luc. 8, 29 'nuda gignentium'.[360])	IV 16, 25 'mons diffusior et nudus gignentium'. V 25, 22 'nudum gignentium solum'.
Iug. 85, 10 'hominem veteris prosapiae'.	Hex. III 7, 30 'maiorum honestatus infulis, prosapiae veteris clarus in-	I 41, 31 'veterisque prosapiae infulis'.

358) Ita emendavit adiuvante Sallustio Vogel (Acta Erlangensia I p. 357). Vulgata lectio 'qui plus' est, Casselanus 'quibus' praebet.

359) Aut ita legendum, aut, quod probabilius duco, cum Latinio 'humi arido arenosoque', cum nonnulli codd. exhibeant 'humi arida arenosaque'; sed 'humo arido' defendi nequit.

360) Fortasse in loco corrupto epist. 18, 26 pro 'nutu gignentium' restituendum 'nuda gignentium', quod editio Romana recepit (Vogel p. 27 not. 1).

Sallust.	Ambros.	Heges. qui vocatur.
	signibus'. Ep. 31, 4 'anima veteris prosapiae'.	
Iug. 93, 3 'more ingeni humani'.	Ep. 19, 9 'more ingenii humani'.	I 36, 21 'more ingenii humani'. I 37, 27 'more quodam humani ingenii'. II 17, 6. IV 21, 1.
Hist. I 9 'invia paludibus'.	Hex. VI 2, 7 'invia paludibus humo'.	
Hist. II 76 'immane quantum animi exarsere'.[361])	Ep. 6, 3 'exardescebat magis magisque possessione atque immane quantum exaestuabat'.	II 10, 55 'immane quantum insoleverat'. III 20, 22 'immane quantum undae attolluntur'. V 28, 5 'immane quantum in arma insurrexit'.
Hist. II 92 'frugum pabulique laetus ager' (cfr. Iug. 48, 4 planities . . . consita arbustis. 53, 1 ager arbustis consitus).	Ep. 19, 14 'locus erat laetus pabuli herboso[362]) gramine vinetis consitus'.	
Hist. III 17 'pugna tamen ingenio loci prohibebatur'.	Ep. 6, 13 'ingenio loci et subsidio naturae'.	
Hist. IV 56 'multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur'.[363])	Ep. 24, 1 'me volentia Maximo non recepisse'.	
Hist. inc. frg. 60 'genua patrum advolvuntur'.	Ep. 83, 6 'cum advolveretur ad genua eius'.	V 49, 4 'ad genua singulorum advolvebantur'.

Ex quibus exemplis satis mihi videtur apparere, Ambrosio Sallustium non tantum ex grammaticorum disciplina et ex elocutionum exemplis fuisse notum, quod putavit Vogelius fretus maxime loco libr. de fuga saeculi III 16, de quo dictum est. Ex quo loco nihil efficitur nisi hoc Arusiani Messii exempla elocutionum in Ambrosii manibus fuisse, unde illud exemplum ad confirmandum sacrarum litterarum locum (Hebr. VII 26) mutuatus est. Quod cur redolere doctrinam puerilem putandum sit, omnino non est. Sallustii nomen tacet Ambrosius ('dicente aliquo'), ut eius fere mos est.[364])

V. Ambrosio non fuisse ignotos Iosephi libros ipse pluribus locis testatur: Epist. 45, 2 'Iosephus utpote historiographus locum dicit refertum arboribus virgultisque plurimis' (cfr. Antiq. Iud. I 1, 3); ep. 19, 12 'ut quidam existimavit' (Iosephus scil. in Antiq. Iud.

---

361) cfr. Hor. Od. I 27, 6 'immane quantum discrepat'.

362) An legendum 'herbosus'?

363) A Sallustio hanc locutionem Tacitus mutuatus est (Ann. 15, 36 'plebi volentia', Hist. 3, 52 'Muciano volentia'), itaque fieri potest, ut ex hoc hauriret Ambrosius.

364) Vide quae dicentur in capite de Ambrosio Vergilii imitatore p. 80 sq.

V 8, 10); verba denique Expos. ps. CXVIII 18, 22 spectare ad Antiq. Iud. III 8 editores Maurini collegerunt.[365])

Duo illi loci, quos Vogelius p. 30. 31 affert ut repugnantes Ambrosianis sententiis (Exp. ev. Luc. III 41. Hex. III 26, 12), iam a Roenschio l. c. satis illustrati sunt.

VI. Extant denique nonnulli loci non praetermittendi, quibus collatis argumenta, quae Ambrosium auctorem librorum de bello Iudaico produnt, non mediocriter confirmantur. Ex quibus unum iam Vogelius attulit (p. 29) neque facere potuit quin aliquid momenti ei tribueret.

De bello Iudaico	Ambrosius
V 53, 53 'unde nonnullis gentibus mos est, ut ortus hominum fletibus, occasus gaudiis prosequantur, quod illos ad aerumnam generatos doleant, hos ad beatitudinem redisse gratulenter, illorum animas ad servitutem venisse ingemescant, istorum ad libertatem egressas gaudeant'.	De exc. Sat. II 5 'fuisse etiam quidam feruntur populi, qui ortus hominum lugerent obitusque celebrarent. Nec imprudenter: eos enim qui in hoc vitae salum venissent, maerendos putabant; eos vero qui ex istius mundi procellis et fluctibus emersissent, non iniusto gaudio, prosequendos arbitrabantur'.
V 53, 23 'quid est enim vita nisi carcer animae, quod intra hoc ergastulum cluditur et carnali adhaeret consortio?'	II 20 'quid tamen commodi consequi potest anima in istiusmodi corporis inclusa compagibus? . . . Si caro nostra carcerem fugit . . . quanto magis anima nostra corporeum istud evadere gestit ergastulum?'
III 2, 52 'denique dato ut comprehenderentur praecepto rogabatur Petrus ut sese alio conferret' [praecedit narratio de Simone mago] etc. 2, 60 'Proxima nocte salutatis fratribus et celebrata oratione proficisci solus coepit. Ubi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere et adorans eum dixit: domine, quo venis[367])? Dicit ei Christus: iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione, quod in eo Christus passurus videretur qui patitur in singulis, non utique corporis dolore sed quadam misericordiae compassione aut gloriae celebritate. Et conversus in urbem redit captus-	Sermo contra Auxent. 13 'Idem Petrus postea victo Simone[366]) cum praecepta dei populo seminaret, excitavit animos gentilium: quibus eum quaerentibus christianae animae deprecatae sunt, ut paullisper cederet . . . Quid multa? nocte muros egredi coepit et videns sibi in porta Christum occurrere urbemque ingredi ait: domine, quo vadis? Respondit Christus: venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum; Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione susceptae mortis exuerat . . . Intellexit ergo Petrus quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit, interrogantibus christianis responsum reddidit statimque cor-

365) Cfr. iudicium de Iosepho quod legitur in prol. librorum de bello Iudaico: 'relator egregius historico stilo Iosephus utinam tam religioni et veritati attentus, quam rerum indagini et sermonum sobrietati'.

366) Historiam de Simone mago breviter tangit Ambrosius Hexaem. IV 8 extr.

367) Vulgata est 'vadis' ut in Sermone contra Auxentium.

que a persecutoribus, cruci adiudicatus poposcit ut inversis vestigiis cruci affigeretur, quod indignus esset qui simili modo crucifigeretur, ut passus est dei filius'. reptus per crucem suam honorificavit dominum Iesum.[368])

Cfr. praeterea V 9 § 2 cum libr. II de fide prol. 11 et 12 (de Tobia 77. Expos. ps. CXVIII 18, 22). Alia Mazochius congessisse fertur, cuius dissertatio (in Commentariis in vetus marmoreum Neapolitanum Kalendarium, Neap. 1744 vol. III) mihi non praesto fuit.

De Lege Dei.

Multo difficilior neque ad hoc tempus certae solutionis quaestio est de auctore 'Collationis legum Mosaicarum et Romanarum'[369]), quod monumentum iurisprudentiae Romanae saeculi IV exeuntis in codicibus inscribitur 'Lex dei quam dominus (sive deus) praecepit ad Moysen' auctoris nomine non praemisso. Quod ante Rufino cuidam hunc librum viri docti vindicare voluerunt argumentis confirmari potuit nullis. Unus Rudorffius auctoris nomen indagare conatus est argumentis nixus non contemnendis: Ambrosii Mediolanensium episcopi.[370]) Qui adductus est loco qui extat in Collectione canonum synodicorum, quam Ebediesus confecit, metropolita Nestorianus Sobae et Armeniae († 1318). Quam collectionem e chaldaicis bibliothecae Vaticanae codicibus in latinam linguam ab Aloysio Assemano translatam Angelus Maius edidit Script. veterum nov. collect. vol. X.[371]) Legitur autem locus iste in prooemio tractatus tertii, qui est 'de divisione hereditatum', ubi Ebediesus memorat, quinam fuerint legum conditores et collectores, 'qui illarum inter se discordiam et contradictionem conciliare atque componere studuerunt, ut una totam orientis ecclesiam regula contineat'. Inter quos patres ecclesiasticos trecentos et duodeviginti nominat synodi Nicaenae (a. 325) et episcopos centum et quinquaginta synodi Constantinopolitanae (a. 381). Adicit haec[372]): 'composuit deinde (leges) post hos Ambrosius episcopus Mediolanensium, cum a Valentino (leg. Valentiniano) rege iussus esset ut scriberet et in ordinem redigeret iura et ordines praefectis regionum. Et ex regibus christi-

368) Maurini haec adnotant: 'Ceterum huius Petro factae Christi apparitionis praeter Hegesippum lib. III, Ambrosium hoc loco et Gregorium in psal. IV Poenit., vix alium ex antiquis reperias, qui meminerit'.

369) Hunc titulum libro primus praeposuit Stephanus; cfr. Blume, qui editionem curavit Bonnae 1833, proleg. p. X.

370) 'Über den Ursprung und die Bestimmung der Lex Dei' in Actis maior. Acad. Berolin. 1868 p. 265—297.

371) p. 1 sqq. 'Ebediesu metropolitae Sobae et Armeniae collectio canonum synodicorum ex chaldaicis bibl. Vatic. codicibus sumpta et in latinam linguam translata ab Al. Assemano'.

372) Versione utor latina, quam Rudorffio confecit Roediger, quae nonnullis locis discrepat a versione ab Assemano proposita (Rudorff l. c. p. 278).

anis etiam scripserunt iura et decreta Constantinus ille magnus et Theodosius et Leo. Et haec quidem, ut comperimus, in terra occidentis'. De quibus Assemanus haec: 'undenam id hauserit Sobensis' inquit 'incertum; leges, quae Valentiniani nomen prae se ferunt, non alia videntur ratione Ambrosio tributae, quam quod ei aequalis fuerit et aliqua negotia iussu Valentiniani suscepisse Ambrosium ex historia ecclesiastica compertum sit'. Persistit contra Rudorffius in illo testimonio auctoritatem Ebediesus tantam esse ratus, ut sine idonea ratione eius testimonium reici non possit, eaque in re tota haeret quaestio, utrum verbis metropolitae fides habenda sit an abroganda. Qui Rudorffio oblocuti sunt argumenta valida non attulerunt, ille vero alia conquisivit, ex quibus hoc patet nihil vetare quin ab Ambrosio compositus putetur ille liber. Primum enim chronologiae ratio bene quadrat, quia facile concedetur Theodosio imperante editum esse librum, cuius inest constitutio anni 390.[373]) Deinde Ambrosium iuris Romani fuisse peritissimum ut per se perspicitur, cum ille ante episcopatum consularis rexerit Liguriam Aemiliamque[374]), ita ex multis librorum illius locis probari potest.[375]) Neque minus probabiliter collationem ab Ebediesu memoratam nostram esse coniecit ille. Sed nolo omnia repetere quae Rudorffius exposuit. Male quidem accidit quod nullus locorum e Moysis libris depromptorum in scriptis Ambrosianis reperiatur, sed iam Rudorffius monuit (p. 297) locos illos congruere nec cum Hieronymiana versione nec cum Rufiniana. De genere dicendi etsi certa proferri nequeunt, cum rarissime collationis auctor ipse loquatur, sed fere satis habeat legibus Mosaicis ex Pentateucho sumptis adicere Romanas, tamen pauca illa quae auctoris propria sunt ab Ambrosiana dictione non abhorrent. Hoc unum argumentis Rudorffianis addam. Verba quae in tit. VII exordio leguntur: 'quodsi duodecim tabulae nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem si se telo defenderit interfici iubent: scitote iuris consulti[376]), quia Moyses prius hoc statuit, sicut lectio manifestat' prorsus mihi Ambrosio digna visa sunt.[377]) Solet enim pater sanctus auctorum Graecorum Romanorumque verba

373) Tit. V cap. 2: 'hoc quidem iuris est: mentem tamen legis Moysis imperatoris Theodosii constitutio ad plenum secuta cognoscitur'; sequitur constitutio Theodosiana cap. 3.

374) Paulin. vita Ambr. 5; cfr. de offic. I 1, 4 'ego enim raptus de tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium'; de poen. II 8, 72 'sed raptus a tribunalibus, abductus de vanitatibus saeculi huius' (cfr. Bernays, Ges. Abhandl. II p. 141 not. 53).

375) Cfr. imprimis epp. 60 et 82, praeterea lib. de virginitate 7, 35, de viduis 14, 84, Expos. ev. Luc. III 18, Expos. ps. CXVIII 8, 25 cum adnot. Maurinorum, de Tobia 10, 36.

376) Haec verba manifesto docent auctorem fuisse virum theologum. Cfr. Ambr. Exp. ps. CXVIII 20, 37: 'discite iudices saeculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum'.

377) Adde verba V 2 supra memorata adnot. 373.

dictaque ita afferre, ut contendat, si quae bene ab illis dicta sint, tamen melius eadem multoque ante a patriarchis prophetisque veteris testamenti prolata esse.[378])

De scriptis iniuria Ambrosio tributis.

Nolo hic verba facere de opusculis illis Ambrosii nomen prae se ferentibus, quae ab editoribus Maurinis iure meritoque in appendicem reiecta sunt ut non Ambrosiana, qualia sunt 'de XLII mansionibus filiorum Israel', 'de fide orthodoxa', 'de dignitate sacerdotali', 'de moribus Brachmanorum' alia. Neque minus ex Ambrosianorum numero eiciendos esse commentarios illos in Pauli epistulas (Ambrosiastrum) dudum inter viros doctos constat, etiamsi nuperrime Ballerinius Ambrosio vindicare conatus est argumentis allatis futilibus. Sed restant scripta quaedam magis minusve suspecta a Maurinis inter Ambrosiana relicta, qui qua sunt urbanitate lectoris arbitrio iudicium permittunt. De epistulis quibusdam suspectis iam supra dictum est.

I. De sacramentis libri sex totidem sunt sermones singulis deinceps diebus habiti satis breves. Qui abiudicandi sunt Ambrosio his de causis. Primum argumentum plane idem est atque tractatus de mysteriis, ita ut manifestum sit auctorem Ambrosianum illum librum imitatum esse. Conferantur

de sacr. III 2, 8 'sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi . . . spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus sancti timoris'.	de myst. 7, 42 'unde repete quia accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris'.
de sacr. IV 3, 10 'accipe quae dico anteriora esse mysteria christianorum quam Iudaeorum et diviniora esse sacramenta christianorum quam Iudaeorum . . .	de myst. 8, 44 'et antiquiora sunt sacramenta ecclesiae quam synagogae'.
Quis est Melchisedech? qui significatur rex iustitiae, rex pacis'.	8, 45 'Melchisedech . . . qui interpretatione latina dicitur rex iustitiae, rex pacis'.
IV 5, 24 'qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum et non morietur in aeternum'.	8, 47 'et quicumque hunc manducaverit, non morietur in aeternum et est corpus Christi'.
de sacr. I 3, 10.	de myst. 3, 15.
I 5, 13 sq.	3, 16 sq.
III 1, 4	6, 31
IV 4, 18	9, 51
II 2, 3 sq.	4, 22 sq.

Incredibile est Ambrosium tali modo se ipsum repetivisse. Offendit deinde non raro genus dicendi maximeque incisae interrogationes

378) Cfr. de offic. III 10, 67 'veterem autem istam de dolo non iuris peritorum formulam, sed patriarcharum sententiam scriptura divina evidenter expressit'. Loci a me collecti sunt infra p. 80 not. 7.

passim insertae.[379]) Nusquam Ambrosius auditores suos compellat 'sanctitas vestra', ut bis facit hic auctor[380]), nusquam, ut hic[381]), de vocis fragilitate queritur; nam quod extat Augustini testimonium[382]) facile Ambrosio vocem obtunsam esse, hoc non magni duxerim momenti. Neque minus apud Ambrosium ambages desunt, quales sunt I 6, 24 'satis sit hodie libasse mysteria; crastina die, si dominus dederit loquendi potestatem vel copiam, plenius intimabo', II 1, 1 'hesterno coepimus disputare', III 1, 1 'hesterno die disputavimus', III 2, 15 'satis sit quod dictum est hodie et crastina die, si domino placet, de sacramentis ipsis tractabimus' cfr. IV 6, 29. V 1, 1. Similiter auctor Apologiae David alterius nimis anxie ac moleste quid sequenti die dicturus sit quidque superiore exposuerit indicare solet (2, 5; 3, 6; 4, 21; 5, 31; 11, 54). Notandus denique est locus singularis de sacr. III 1, 5: 'Non ignoramus quod ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat (lavandi pedes), cuius typum in omnibus sequimur et formam: hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet . . . Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem. In omnibus cupio sequi ecclesiam Romanam: sed tamen et nos homines sensum habemus; ideo quod alibi rectius servatur, et nos rectius custodimus'.[383]) Similia frustra apud Ambrosium quaesiveris.

Quod si de tempore quaeritur, quo scripti sint libri de sacramentis, certe antiquiores sunt saeculo VII, cum extent in cod. Gall. 188 saec. VII (Halm, Acta minora Acad. Vind. L p. 115) neque Maurinis multo Augustini aetate posteriores visi sunt. Praeter alios Maximum Taurinensem episcopum, qui medio saec. V floruit, auctorem dixerunt.[384]) Cuius rei argumentum nullum scio nisi hoc, quod in codice Sangallensi saec. VII libri de sacramentis sine auctoris nomine sermonibus Maximi episcopi inserti sunt.[385]) Satis autem constat multos Maximi sermones falso tributos esse Ambrosio. Accedit quod fere omnes homiliae quae extant Maximi brevissimae sunt neque raro auctor ad sermones superioribus diebus habitos delegat.[386]) Usitatissimae denique huic allocutiones sunt 'sanctitas vestra', 'dilectio vestra', 'fratres

---

379) II 6, 17. IV 2, 6; 3, 10. V 1, 2. 4 etc.

380) I 6, 24. VI 5, 26. Ambrosius auditores 'fratres' vel 'filios' appellat, rarissime 'fratres dilectissimos' vel 'carissimos' (de exc. Sat. I 1. 2. 9. Contra Aux. § 8).

381) I 6, 24 'sed interim secundum fragilitatem vocis nostrae et secundum temporis rationem satis sit hodie etiam de sacro fonte libasse mysteria'. Similiter auctor Apologiae David alterius V 28. X 50.

382) Confess. VI 3, 3.

383) Qui locus docet auctorem fuisse episcopum.

384) Tillemont note 62 sur Ambr. Teuffel § 469, 8.

385) cfr. Mabillon. apud Migne 57, 173. Distributi sunt in sermones septem et praescripta sunt verba 'incipit prima dies in pascha'.

386) Hom. III (Migne 57, 227), V (p. 235), XXII (p. 269), XXX (p. 293) etc.

carissimi' vel 'dilectissimi'.[387]) Neque tamen haec argumenta ad coarguendum auctorem sufficiunt. Immo genus dicendi non paullum discrepat neque iniuria miratus sis, Maximum raro inserere locos ex litteris sanctis sumptos, quibus referti sunt libri de sacramentis. Sed mittamus — vix enim refert addere me non invenisse episcopum illum querentem de vocis fragilitate — spinosam hanc quaestiunculam, quam alii fortasse melius expedient. Hoc tamen exploratum habeo auctorem non esse Ambrosium librosque saec. V vel VI compositos esse.[388])

II. Apologia David altera. Cuius libri iam Erasmo Tillemontio aliis suspecti argumentum idem est atque Apologiae David prioris, neque pauca ad verbum fere consentiunt; cfr. e. gr.

Apol. II.	Apol. I.
3, 7 'peccavit quod solent reges, sed poenitentiam gessit et flevit, quod non solent reges'.	4, 15 'peccavit David quod solent reges, sed poenitentiam gessit, flevit ingemuit, quod non solent reges'.
3, 16 'Samson validus et fortis leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit; vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum; messes incendit alienas, et unius ipse mulieris accensus igniculo messem suae virtutis amisit'.	4, 16 'validissimus omnium Samson legitur, qui leonem etiam suis manibus strangulavit, sed utinam amorem suum suffocare potuisset; messes incendit allophylorum et ipse mulieris unius arsit igniculo'.
11, 61 'quoniam nostro vir sanctus auxilio non indiget, iam ipse vobis pro se loquatur et factum suum ipsius dicta defendant' (sequitur enarratio versuum nonnullorum psalmi quinquagesimi).	8, 41 'sed iam se ipse defendat, nam quinquagesimum psalmum ad eam scripsit historiam' (sequitur enarratio psalmi quinquagesimi).

Manifesta igitur est imitatio Ambrosiana. Concinnatus autem est liber non magni ambitus sermonibus brevissimis singulis deinceps diebus habitis, cuius rei excusationem auctor vocis tenuitatem fragilitatemque affert (5, 28 'uno enim die vel per angustias ingenii vel per fragilitatem vocis seriem non possum explere tractatus'. 10, 50 'superest adhuc et quartum mysterium, quod quaeso placidis accipiatis auribus et mentem nostram non verba pendatis'), id quod iam animadvertimus in libris de sacramentis. Verba XI 61 'propositum mihi fuit ut meminisse dignamini' non sunt Ambrosiana. Denique ne haec quidem argumenta contemnenda sunt, primum quod in altera Apologia nusquam respiciatur prior, deinde quod Augustinus unam tantum noverit eamque priorem, cuius locos laudat nonnullos (contra duas ep. Pelag. IV 11. contra Iulianum I 4, 11. II 7, 20). Quibus de causis removendum existimo hunc librum de scriptionum numero Ambrosianarum. Quod Erasmus auctorem eundem dixit,

---

387) Hom. XXIV (p. 277), LIX (p. 365), LXII (p. 377), LII (p. 347), XCVI (p. 475) etc.

388) De Ambrosii libro 'de sacramento regenerationis' (non 'de sacramentis'), cuius fragmenta nonnulla Augustinus servavit, infra dicendum erit p. 76.

qui librum de vocatione gentium conscripsit, res est incertissima. Sed non temere auctorem eundem esse conieceris, qui libros de sacramentis contexuit.

III. De lapsu virginis consecratae liber sermo est continens vehementissimam increpationem virginis cuiusdam consecratae, nomine Susannae, eiusque stupratoris. Inter eos, qui Ambrosio abiudicarunt, primus nominandus est Mazocchius, qui huius libri stilum tantum ab Ambrosiano differre dicit quantum haedi ab agnis. Idem nonnullas locutiones non Ambrosianas affert, velut § 12 'Susanna, cuius tu nomen baiulas'[389]), § 32 'te omni depopulatione dignam'. Maurini editores, etsi huius libri elocutio quibusdam non multum videatur discrepare ab Ambrosiana, fatendum tamen adserunt Ambrosium, ubi adhibeat orationem maxime concitatam, velut contra Maximum Auxentium Symmachum, minus densis ac brevibus incisis uti. Ceterum librum perantiquum esse dicunt ab Ambrosii fere aequali conscriptum. Neque eosdem fugit Nicetam quendam episcopum Gennadio teste scripsisse 'ad lapsam virginem libellum paene omnibus labentibus emendationis incentivum'.[390]) Opportune autem accidit, quod in codice bibliothecae urbis Epinal exarato intra annos 662 et 744 scripta extat 'epistola Nicetae episcopi de lapsu Susannae devotae et cuiusdam littoris (lectoris?)', quam Ballerinius editioni suae Ambrosianae inseruit (IV p. 401 sqq.). Cuius epistulae vel potius sermonis verba argumentumque eadem sunt atque sermonis illius Ambrosio tributi nonnullis omissis vel mutatis. Desinit autem post verba 'stridor dentium et fletus oculorum', quae leguntur X 44. Adiecta in cod. Espinaliensi est haec subscriptio: 'Hanc epistolam sanctus emendavit Ambrosius, quia ut ipso auctore fuerat edita non erat ita, quoniam ab imperitissimis fuerat viciata. Emendavi. Mediolano'.[391]) Quod si recte se habet, utrum exemplar sit Nicetae assignandum, utrum ab Ambrosio emendatum, quaeritur neque facile est dictu. Cum non paucis locis oratio in codice Espinaliensi melius procedat, Ballerinius Maurinos exhibere integrum Nicetae opus postea interpolatum additamentis quibusdam censuit. Idem pleraque quae in illo codice omissa sunt iam adnotavit. Ex quibus nonnulla scribarum culpa interciderunt, alia dubitari potest utrum genuina sint necne, alia bene omissa videntur. Unum affero locum, qui melius scriptus est in cod. Espin. quam in Maurinorum exemplari:

5, 19 (Maur.) Non es memorata, qualis ad te die illo (scil. consecra-	5, 19 (cod. Espin.) Non es memorata, qualis ad te die illo facta

389) Ad quod verbum tuendum Ballerinius (IV p. 381) affert locum ex Ambrosiastro qui dicitur.

390) Gennad. vir. ill. cap. 22: 'Niceas (cod. Vat. 'Niceta') Romatianae civitatis episcopus'. Civitatis nomen in Moesia sitae varie legitur: Remisiana, Romesiana, Romansiana, 'Ρεμεσίανα etc. Cfr. Corp. inscr. lat. III p. 268, ubi deest Gennadii mentio. De episcopo cfr. praeterea Tillemont, Mém. X p. 621 sqq.

391) Baller. IV p. 381.

tionis) facta est allocutio: 'adspice filia, intuere virgo et obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est dominus deus tuus?' (ps. 44, 11. 12) Reminiscere ergo quantus ad sponsi tui et domini nuptias convenerit populus. Servare te oportuit fidem, quam sub tantis testibus pollicita es, semper cogitare cui virginitatem spoponderis. Facilius te oportuit sanguinem cum spiritu fundere, quam perdere castitatem tuam.	sit adlocutio: 'intuere, virgo, quantus ad sponsi tui et domini nuptias convenerit populus. Servare te oportet fidem, quam sub tantis testibus polliceris, semper cogita cui virginitatem spoponderis. Facilius te oportet sanguinem cum spiritu fundere, quam perdere castitatem'.
5, 20 His tunc illo die consecrationis tuae dictis et multis super castitate tua praeconiis sacro velamine tecta es.	5, 20 His tunc in illo die consecrationis tuae dictis e. q. s.

Addidit Ballerinius praeterea lectiones duorum codicum bibliothecae Ambrosianae Mediol. saec. XIV et XV, quae nullius pretii sunt.

IV. Sermones tres admodum breves, qui Ambrosii nomen prae se ferunt, scripti extant in codice Sessoriano saec. VII—VIII (Reifferscheid, Bibl. patrum Italica I p. 116). Inscribuntur 1) 'De caritate ex lectione apostoli contra malos qui bonis invident'; 2) 'de perfecto'; 3) 'adversus eos qui dicunt possessionem non distrahendam, sed fructibus misericordiam faciendam'. Argumentum tribus omnibus commune est, versus scilicet evang. Luc. 12, 35 'vendite omnia quae possidetis et date elemosynam'. Primus edidit Leandro de Corrieris (Romae 1834)[392]), qui multum desudavit, ut sermones hos, qui nullius fere momenti sunt, Ambrosio vindicaret. Etsi autem multos conquisivit locos congruentes cum Ambrosianis sententiis neque quicquam in argumento offendit, tamen mihi non persuasit esse vere Ambrosianos. Usus enim verborum genusque dicendi refragatur, id quod mea sententia non tam leve est quam putavit ille editor, praesertim cum sermones sint perbreves.[393]) Saepius utitur auctor vocibus demandare, distrahere[394]) (= vendere), distractio[395]) (= venditio), praerogare (= ante erogare), similare (= similem facere), quas non Ambrosianas esse ipse fatetur editor. Addi possunt aliae velut 'adcorporare' (= conectere, Sermo de caritate § 1), ad quam defendendam male editor affert locum libri III de off. 7, 50, ubi de 'corporatis' agitur. Quae licet 'nasutis philologis' vix stomachum faciant[396]), tamen maxime idonea sunt, quae aliquam dubi-

392) Quem secutus est Ballerinius V p. 177 sqq. Cfr. Reifferscheid, Bibl. patr. I p. 125. Schenkl (Acta min. acad. Vind. LXXIV p. 271) codicem non vidit.

393) Tertiam fere partem loci efficiunt ex litteris sacris allati.

394) Roensch, Itala² p. 360.

395) Roensch l. c. p. 329.

396) Corrieris apud Baller. V p. 179 not. 4.

tationem moveant. Variam versuum ex litteris sanctis petitorum lectionem argumenti loco nolo afferre, quoniam in his ne ipse quidem Ambrosius sibi constat.[397]) De vero auctore horum totque aliorum sermonum, qui nunc Ambrosio nunc Maximo nunc aliis tribuuntur, adhuc certi nihil erutum est.

De scriptis Ambrosii deperditis.

Non pauca Ambrosii scripta temporum invidia interierunt, quae breviter hic recensebo.

I. Epistulae. Quarum magna pars iam non extat, velut ep. ad Basilium Magnum scripta initio episcopatus a. 374/375 (Basil. ep. 197 Migne Patrol. graec. 32, 709), ad Alypium (ep. 89), ad Satyrum fratrem (de exc. Sat. I 26), ad Theodosium Augustum scripta a. 394 post Eugenium victum (ep. 62, 1), ad sororem scripta a. 388/389 (ep. 41, 1), ad Gaudentium episcopum Brixianum (Gaud. Serm. XVI Migne 20, 956), ad Nectarium episcopum Constantinopolitanum (Sozom. Hist. eccles. VIII 6)[398]) aliae. Epistulas ipse Ambrosius in libros redigebat, ut testatur ep. 48, 7: 'haec tecum prolusimus, quae in libros nostrarum epistularum referam, si placet, atque in numerum reponam'.

Paulinus denique (vita Ambr. 36) tradit Ambrosium paullo ante mortem litteras dedisse ad Fritigil Marcomannorum reginam, quibus 'in modum catechismi' exposuerit, qualis reginae fides esse deberet.

II. Expositio Esaiae prophetae. Ambrosium multum tribuisse legendis Esaiae prophetae libris Augustinus testis est Confess. IX 5, 13, qui fragmenta nonnulla Ambrosiani operis 'Expositio Esaiae prophetae' inscripti servavit (de gratia Christi 49, 54. de peccato orig. 41, 47. de nuptiis I 35, 40 = II 5, 15. contra Iulian. I 4, 11. II 8, 22. contra secund. respons. IV 105. 108. contra duas ep. Iul. IV 11, 29. 30. 31. de bono persever. 23, 64).[399]) Qui liber conscriptus erat ante Expos. evang. Lucae, ubi (II 56) haec Ambrosius: 'quid sit autem' inquit 'in Hierusalem sisti domino, dicerem, nisi in Esaiae commentis ante dixissem'. Quo nescio an spectent etiam Cassiodorii verba (Inst. div. litt. cap. 3): 'dicitur etiam et S. Ambrosius prophetarum commentaria eloquii soliti dulcedine confecisse, quae tamen adhuc nullatenus potui reperire, quae vobis magno studio quaerenda derelinquo'.[400])

397) Ambrosianos locos Corrieris adscripsit in adnotationibus, ita ut facile comparatio institui possit.

398) Agitur de Gerontio, qui postquam diaconus Mediolanio fugit, dolo episcopatum ecclesiae Nicomediensis adeptus est. Data est epistula post a. 381, quo anno Nectarius ad episcopatum pervenit (Hefele, Concil. II² p. 5). Cfr. Tillemont, Art. 84 sur Ambr.

399) Fragmenta Ballerinius vol. II p. 895 sq. composuit.

400) Supra Cassiodorius Hieronymi in Esaiam commentarium commemoraverat.

III. Liber de sacramento regenerationis sive de philosophia. Augustinus in ep. 31 (34) § 8 ad Paulinum et Therasiam data a. 396 sese libros desiderare dicit, quos Ambrosius 'adversus nonnullos imperitissimos et superbissimos, qui de Platonis libris dominum profecisse contendunt', diligentissime et copiosissime scripserit. Opus eum dicere opinor, quod aliis locis inscribit 'de sacramento regenerationis sive de philosophia' (contra Iul. Pel. II 5, 14. II 6, 15), vel simpliciter 'de sacramento regenerationis' (contra Iul. Pel. II 8, 24) vel 'de philosophia' (ibid. II 7, 19. 20). Pluribus de hoc libro l. c. II 7, 19 agit: 'Audi ergo quid dicat in libro de philosophia contra Platonem philosophum, qui hominum animas revolvi in bestias asseverat et animarum tantummodo deum opinatur auctorem, corpora autem diis minoribus facienda decernit. Ergo sanctus Ambrosius: miror, inquit, tantum philosophum' e. q. s.; cfr. II 9, 32 'qui creatorem deum non solum animarum, verum etiam corporum adversus Platonicorum philosophorum asseveravit errorem'.[401]) Fragmenta ab Augustino servata non ita commode Ballerinius vol. IV p. 905 sq. composuit. Non respexit fragmentum satis longum a Claudiano Mamerto allatum, quod quin eiusdem sit operis non dubito.[402]) Neque scio an huc referenda sint Augustini verba Soliloq. II 14, 26: 'Nam et multos (libros) ante nostram aetatem scriptos esse arbitror, quos non legimus: et nunc, ut nihil quod nescimus opinemur, manifestum habemus et carmine de hac re (scil. immortalitate animae) scribi et soluta oratione, et ab aliis viris quorum nec scripta latere nos possunt, et eorum ingenia talia novimus ut nos in eorum litteris quod volumus inventuros desperare non possimus: praesertim cum hic ante oculos nostros sit ille, in quo ipsam eloquentiam, quam mortuam dolebamus, perfectam revixisse cognovimus. Illene nos sinet, cum scriptis suis vivendi modum docuerit, vivendi ignorare naturam?' Quibus vix alius designari potest nisi Ambrosius.

IV. Libellus ad Pansophium puerum scriptus a. 393/4, cum in Florentinorum civitate versabatur Ambrosius, in quam appropinquante Eugenio tyranno confugerat. Habitabat ibi in Decentis cuiusdam domo viri clarissimi, qui cum coniuge Pansophia fidem profitebatur christianam. Cuius filiolum, nomine Pansophium, subita infirmitate mortuum ad vitam ab Ambrosio revocatum esse Paulinus rerum mirabilium amantissimus narrat. Ad quem puerum libellum scripsisse fertur, 'ut quod per aetatis infantiam scire non poterat, legendo cognosceret'. Addit Paulinus, cur Ambrosius factum illud in suis scriptis non commemoraverit, non suum esse iudicare.[403])

V. In prologo librorum de bello Iudaico Ambrosius sese quat-

401) Cfr. praeterea August. Contra Iulian. VI extr. Contra secund. Iul. resp. II 8. 21. 31. 113.

402) De statu animae II 9.

403) Vita Ambr. 28. 50.

tuor regnorum libros, quos scriptura complexa sit sacra, stilo persecutum historiae in morem composuisse testatur.[404])

VI. Expositio fidei. Theodoretus Cyri episcopus in Eranistae sive Polymorphi dialogo II p. 93 (edit. Paris. 1642) fragmentum affert satis longum τοῦ ἁγίου Ἀμβροσίου ἐπισκόπου Μεδιολάνου ἐν ἐκθέσει πίστεως.[405]) Partem posteriorem inde a verbis τοὺς δὲ λέγοντας ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν Χριστόν Leontius monachus libr. I contra Eutychianos et Nestorianos (Gallandii Bibl. veter. patr. XII p. 671) laudat ut Ambrosii 'interpretantis sententiam divini symboli'. Eadem extat in Panoplia dogmatica edita ab Angelo Maio in Nova patrum bibl. II p. 621 (Ἀμβροσίου . . . ἐκ τῆς ἑρμηνείας τοῦ θείου συμβόλου).[406]) Aliam particulam (οὐκ ἀρχὴν ὁ θεὸς — δημιουργός) Iustinianus imperator in tractatu memorat contra Monophysitas p. 306 ed. Mai Script. veter. vol. VII.[407]) In libro λόγοι τῶν ἁγίων πατέρων edito ex cod. Vaticano ab Angelo Maio Script. vet. VII p. 18 haec leguntur: Ἀμβροσίου ἐκ τοῦ περὶ τῆς θείας ἐνανθρωπήσεως λόγου· τοὺς λέγοντας ψιλὸν ἄνθρωπον Χριστὸν ἢ παθητὸν θεὸν ἢ εἰς σάρκα τραπέντα. — καὶ μετ' ὀλίγα· ἢ τὰς δύο οὐσίας τοῦ Χριστοῦ κατὰ ἀνάκρασιν συγχυθείσας μίαν γεγενῆσθαι οὐσίαν καὶ τὰ ἑξῆς. κεῖται ἐν τῷ β κεφαλαίῳ.

Alia praeterea Ambrosii scripta interiisse iniuria statuerunt viri docti. Parum caute Baunard, qui vitam Ambrosii conscripsit parum critice elucubratam p. 459 (versionis Germanicae cur. a Bittl) inter libros Ambrosianos deperditos affert, quem contra Apollinarium ille scripserit, nisus loco Leontii monachi libr. I adversus Eutychianos p. 671 (Gallandii Bibl. patr. vol. XII cfr. p. 684). Sed verba ab illo laudata sumpta sunt ex Ambrosii libro de Incarn. dominica (V 35 et 44). Idem liber a Theodoreto quoque inscribitur κατὰ Ἀπολλιναρίου (Eran. sive Polymorphi dial. II p. 96 edit. Paris. 1642)[408]) vel περὶ ἐνανθρωπήσεως τοῦ Κυρίου κατὰ Ἀπολλιναριστῶν (ibid.).[409]) Ab eodem (dial. III p. 163) τοῦ ἁγίου Ἀμβροσίου Μεδιολάνου ἐκ τοῦ περὶ τῆς καθόλου πίστεως duo loci laudantur, de Incarn. VI 50 et de fide II 7, 57, tamquam ex eodem libro deprompti.

Simili neglegentia Ballerinius verba ab Augustino ep. 147, 52 allata fragmentum incerti operis Ambrosiani esse putavit (vol. I

---

404) Vide quae supra dixi p. 63.

405) Migne 16, 847. Idem fragmentum legitur in 'Patrum doctrina' ed. ab A. Maio Script. vet. VII p. 14 (Ἀμβροσίου ἐκ τῆς πίστεως περὶ τῆς θείας ἐνανθρωπήσεως cod, ἔκθεσις pro ἐκ Mai).

406) cfr. Mai, Script. vet. nova coll. VII p. 7.

407) ὁ ἐν ἁγίοις Ἀμβρόσιος λέγει τάδε· οὐκ ἀρχὴν e. q. s. cfr. praeterea Mai Script. vet. VII p. 18. 131. 134.

408) Verba laudata sunt libri de incarn. IV 23.

409) Libr. de incarn. VI 49 et 52. Eosdem locos Leo Magnus affert in epist. 165 (Migne 54, 1179) 'ex libro de incarnatione domini contra Apollinaristas'.

p. XXXI testim. 13), daturumque se esse promittit inter fragmenta operum deperditorum, ubi tamen frustra quaesivi. Est autem locus Expositionis evang. Lucae I 27. Neque scio cur idem editor (I p. XXXIII testim. 21) verbis ab Augustino de pecc. orig. 41, 47 laudatis ('in eo opere quod scripsit de resurrectione sanctus Ambrosius') notam adiunxerit 'vide fragmentum I libri de fide resurrectionis', cum legantur illa in libro de excessu Satyri fratris II § 6, qui inscribitur 'de fide resurrectionis'.

Cassiodorii verba Inst. div. litt. cap. 2: 'in tertio igitur libro antefati codicis s. Ambrosius Mediol. episcopus sermonem fecit de iudicio Salomonis' ut de peculiari Ambrosii sermone intellegantur non necesse est. Cum Maurinis designari illis verbis putaverim librum de virginitate, cuius capite primo Salomonis iudicium exponitur (cfr. de offic. II 8, 44 sq.).

Neque minus eiusdem l. c. cap. 5, ubi de libro sapientiae Salomonis agit, verba incerta sunt: 'de quo et pater Augustinus et sanctus Ambrosius homiliarum nomine nonnulla dixerunt'. Quod idem cap. 8 dicit sese subnotatum codicem epistularum omnium sancti Pauli, quem beatus Ambrosius suavissima expositione completum reliquerit, frustra quaesivisse, referenda haec sunt ad librum qui vocatur Ambrosiaster, cuius qui verus sit auctor nondum constat.[410])

Eulogius denique apud Photium (cod. 230 p. 271 B 29) Ambrosii epistulae ad Albinum quendam missae locum affert ἵνα τέλειος ἐν ἑκατέρᾳ φύσει τυγχάνῃ. Quem Albinum Seeckius non posse diversum esse existimat a Caeionio Rufio Albino, qui a. 389 praefectus urbi fuit.[411]) Sed idem fragmentum a Leontio monacho memoratum inveni ut Ambrosianum ἐκ τοῦ πρὸς Ἀντωνῖνον ἐπίσκοπον λόγου.[412]) Apud neutrum vero nomen recte scriptum est: fragmentum enim est Ambr. ep. 46 ad Sabinum episcopum datae (§ 6: 'ut esset perfectus in utraque forma').

Ordo scriptorum Ambrosianorum.

a. 377	de virginibus libri III.	377—385	de paradiso.
	de viduis.		de Cain.
	[de virginitate, post libr. de viduis.]		de Noe.
			Expos. Isaiae (periit).

410) Nuper Iosephus Langen Faustinum quendam Romae presbyterum auctorem esse probare studuit dissertatione 'De commentariorum in epistolas Paulinas qui Ambrosii et quaestionum biblicarum quae Augustini nomine feruntur scriptore' (Bonnae 1880); cfr. id. Geschichte d. röm. Kirche I p. 599 sq.

411) Proleg. Symm. p. CLXXXI.

412) Mai, Script. vet. VII p. 135.

a. 378 de fide libri I et II.
a. 379 de excessu Satyri.
ep. 1.
a. 379/380 de fide libri III—V.
a. 381 de spiritu sancto.
epp. 9—12.
a. 381/382 epp. 13. 14.
a. 381—383 de incarn. domini.
a. 382/383 aut 383/384 (hieme) epp. 15. 16.
a. 383—385 Apolog. David.
a. 384 epp. 17. 18.
a. 385 epp. 19. 20.
a. 386 Sermo contra Aux.
epp. 21. 22.
ep. 23.
a. 386/387 Expos. evang. Luc.
ep. 24.
a. 388 epp. 40. 41.
a. 390 ep. 42?
ep. 51.
a. 391/392 de inst. virg.
a. 391—394 ep. 56.
a. 392 ep. 53.
de obitu Valentiniani consolatio.
ep. 52.
a. 393 ep. 57.
ep. 58.
a. 393/394 libellus ad Pansophium (periit).
ep. 59?
Exhort. virginitatis.
a. 394 ep. 61. 62.
a. 394—396 Enarr. psalm. XXXV—XL.
ep. 63?
a. 395 de obitu Theodosii oratio.
a. 397 Enarr. psal. XLIII.

post a. 378 ep. 2.
post a. 381 epp. 3. 4.
post a. 384? epp. 85. 86.
post a. 385 epp. 25. 26.
post a. 386 Hexaemeron.
de Elia
de bened. patriarch.
de officiis.
Enarr. psalmorum.
epp. 34—36. 43—45.
post a. 387 Expos. ps. CXVIII
libri de patriarchis.
ep. 39.
post a. 388 de fuga saeculi.
Enarr. ps. LXI.
post a. 391 epp. 54. 55.
ca. 393—396 epp. 60. 84

III. De Ambrosio Vergilii imitatore.

De Ambrosii litterarum graecarum latinarumque studiis paullo difficilior est quaestio, cum raro auctorum quibus utitur afferat nomina. Inter poetas graecos semel Euripidem nominat[1]), semel Sophoclem[2]), ter versus Homericos laudat poetae nomine non addito.[3]) Sophoclea verba mutuatus videtur a Philone Iudaeo[4]), praesertim cum eidem epistulae (37) non pauca Philoniana immiscuerit veluti litteras a Calano gymnosophista ad Alexandrum Magnum datas.[5]) Neque minus Euripidei illi versus ex Philone petiti videntur.[6]) Quae de philosophis graecis profert, magnam partem Ciceronis libris didicisse eum verisimile est, ut docent maxime libri III de officiis ministrorum scripti. Solet autem non raro philosophos impugnare eorumque sententias aut inanes declarare aut, si quae bene dicta visa sint, ea translata affirmare ex litteris sacris, quarum auctores multo ante philosophos illos poetasque fuerint.[7]) Platonem imprimis, principem

---

1) De Abrah. I 9, 91 laudat Eurip. Androm. vv. 967. 968. Unde hauserit illud 'alter despiciens animo βαcιλέων τὰc πολυχρύcουc τύχαc imperialesque gazas' ep. 38, 8 ut invenirem mihi non contigit. Fortasse latet Euripideus aliquis versus; cfr. Bacch. 13 Λυδῶν τοὺc πολυχρύcουc γύαc. Alcest. 240 καὶ τάcδε τύχαc λεύccων βαcιλέωc. Haupt in Herm. vol. III p. 343.

2) Ep. 37, 28 'quis est qui Sophoclea in medium ferat carmina dicentia: Iuppiter mihi praeest, nullus autem hominum'; v. adn. 4.

3) De Noë 2, 4; 16, 57; de Abr. II 10, 68. de poenit. II 5, 32; cfr. Expos. evang. Lucae VII 15. de fide III 1, 4.

4) II p. 448 (Mangey) τὸν ἀψευδῶc ἐλεύθερον ἀναζητῶμεν, ᾧ μόνῳ τὸ αὐτοκρατὲc πρόcεcτι — ἀναφθέγξεται γὰρ ἐκεῖνο τὸ Cοφόκλειον οὐδὲν τῶν Πυθοχρήcτων διαφέρον 'Θεὸc ἐμὸc (sic cod. Med. vulg. ἐμοί) ἄρχων, θνητῶν δὲ οὐδὲ εἷc'. Fragmentum Aristoteles Ethic. Eudem. VII 10 p. 1242ª, 37 plenius servavit poetae nomine non addito

οὐ γάρ τι νόθοc τῷδ' ἀπεδείχθην,
ἀμφοῖν δὲ πατὴρ αὐτὸc ἐκλήθη.
Ζεὺc ἐμὸc ἄρχων, [θνητῶν δ' οὐδείc].

Verba θνητῶν δ' οὐδείc Bergkius ex Philone adiecit. Est Soph. frg. 684 Nauck, 769 Dind., ubi Ambrosii testimonium ignoratur.

5) Ep. 37, 34. Philo II p. 460 Mangey.

6) Buecheler in Mus. Rhen. vol. XLI p. 4.

7) cfr. e. gr. de Abr. I 9, 82. 91. II 7, 37. II 10, 70. De bono mortis 11, 51. De Tob. 14, 46 extr. De offic. I 10, 31. I 36, 179. Expos. ps. CXVIII 2, 5. 13. Epist. 28, 1; 37, 28 etc.

videlicet inter Graecorum philosophos[8]), ad fulciendos librorum sanctorum locos citare solet, quem in Expos. ps. CXVIII 18, 4 in Aegyptum profectum esse dicit, ut Moysis gesta prophetarumque oracula cognosceret, unde multa dialogis suis inseruerit, et quae sunt similia.[9]) Peculiarem ab eo librum de philosophia contra Platonicos compositum esse, qui iam non extat, supra dictum est p. 76. De Epicuro eiusque doctrina non malo videtur usus esse fonte; cfr. imprimis ep. 63, ubi Philodemum Hermarchumque citat.[10]) In describendo topazo lapide (Expos. ps. CXVIII 16, 41—43) commentarium psalmi graecum nescio quem secutus est, in quo descripta erant Xenocratea.[11]) Historicorum semel affert Xenophontem[12]), ex posterioribus usus est Eusebii Historia ecclesiastica[13]) et Flavii Iosephi libris.[14]) Plurima autem ex Philonis Iudaei, Origenis, Basilii scriptis deprompsit atque in suum usum vertit. Basilium nusquam nominat, Origenis nomen ter occurrit[15]); ex quibus eum pependisse iam Hieronymus intellexit.[16]) Philonianis imprimis referti sunt Ambrosiani libri Hexaemeron, de paradiso, de Cain et Abel, de Noë, de Abraham, de fuga saeculi[17]), ita ut pretium operae sit accuratius de ea re quaerere. Cuius auctoris maxime explanationem amplexus est allegoricam.[18]) Haereti-

8) De Abrah. I 1, 2. cfr. II 7, 37. Epist. 34, 1: 'ut illa patricia quaedam eorum prosapia Platonis disputat'.

9) Verba episcopi in Expos. ps. CXVIII l. c. haec sunt: 'Nunc dicamus etiam de iis qui poenas scelerum solverunt suorum. Nonne isti tulerunt culpae pretium et iam non integra his poena debetur? Clamat per Esaiam dominus: *consolamini populum meum . . . quia recepit de manu Domini duplicia peccata.* Discite unde Plato haec sumpserit. Eruditionis gratia in Aegyptum profectus, ut Moysis gesta, legis oracula, prophetarum dicta cognosceret, audivit consolationem populi, qui supra peccati modum videbatur fuisse punitus et hunc locum quadam adopertum dote verborum in dialogum transtulit quem scripsit de virtute'. Spectant autem non ad ipsius Platonis orationem, sed ad versus Pindaricos ab illo Menon. p. 81 B laudatos (vide Maurinor. adnot.).

10) §§ 13. 19. Ita enim nomina tradita 'Philominus' et 'Demarchus' restituenda sunt. Usener, Epicurea praef. p. XLIII et p. 356.

11) Xenocrates *lithognomonem* scripsit; cfr. Buecheler, Mus. Rhen. XL p. 304 sq. Haupt, Herm. I p. 34 sq.

12) De Abr. I 1, 2 'in eo libro quem Κύρου παιδείαν inscribit'.

13) Expos. ev. Luc. III 41. cfr. Vogel, De Hegesippo p. 30. Eusebii quaestiones evang. Ambrosius in Expos. ev. Luc. latissime excerpsit; cfr. Mai, Script. vet. I 1825 p. 101. 178. Nova bibl. patr. IV p. 217. 304.

14) Vide quae supra dixi de libris V de bello Iudaico p. 66.

15) De Abr. II 8, 54. Expos. ps. CXVIII 4, 16: 'qui multorum interpretationes diligenti excussit indagine'. Ep. 75, 1 'cum ipse Origenes longe minor sit in novo quam in vetere testamento'.

16) Apol. adv. libr. Rufini II 13 (Migne 23, 436) 'nemo tibi obicit, quare Origenem interpretatus es; alioquin Hilarius et Ambrosius hoc crimine tenebuntur'. Rufini Apol. in Hieron. II 22—25 (Migne 21, 601). Adde locos Hieronymianos supra p. 13 adn. 2 laudatos.

17) Adde epp. 8. 27. 28. 37. 43. 44. 64. 67 al. Specimina imitationum Origen., Basil., Philoniarum composuit Foerster, Ambros. p. 102—123. De Origene cfr. praeterea quae adnotavit Pitra Anal. sacr. III p. 246 sqq.

18) Philonis nomen Ambrosius non affert nisi de parad. 4, 25;

corum scripta in Ambrosii manibus fuisse per se intellegitur, in quos permultis locis invehitur. Apellis Marcionis discipuli tomum trigesimum octavum laudat in lib. de parad. 5, 28.

Inter latinos scriptores tres potissimum imitandos sibi proposuit: Sallustium, Ciceronem, Vergilium. De Sallustio supra dictum est.[19]) De Cicerone vix est quod moneam, cuius de officiis libros plane eum imitatum esse in componendis libris de officiis ministrorum satis constat.[20]) Neque minus in ceteris scriptis studere eum apparet ut assequatur aliqua ex parte genus dicendi Ciceronianum, nec raro elegantia quaedam in verbis eligendis collocandisque incidit.[21]) Omitto hic locos non ita multos, quibus Plautum[22]), Terentium[23]), Lucanum[24]), Livium, Tacitum alios imitatus est[25]),

---

eundem aperte perstringit Ep. 28, 1. De parad. 2, 11. De Cain I 8, 32. De fuga saec. 4, 20. De Noë 5, 12 (cfr. Foerster l. c. p. 291 adn. 22. 23).

19) Ad libros de bello Iudaico p. 64 sqq.

20) De qua re plures scripserunt, velut Bittner, De Ciceronis et Ambrosii de offic. libr. comm. (Brunsbergae 1849); Lêques, Conferuntur Ciceronis et Ambrosii de offic. libri (Montpellier 1849); Draeseke, Rivista di filol. IV (1876) p. 122 sqq. alii.

21) Ciceronianorum exemplorum quae mihi occurrerunt notabiliora haec affero:

de Tob. 14, 46 'quid est fenerare? hominem, inquit, occidere'. Cic. off. 25, 89.

Enarr. ps. I praef. 12 de Aspendio citharista cfr. Cic. Verr. I 20, 53.

Expos. ps. CXVIII 22, 10 'elegerunt disputationis tendiculas et aucupia verborum secundum dialecticae disciplinam'. Cic. Caecin. 65 (cfr. Ambr. Exp. ev. Luc. VI 38. De fide III 5, 37).

Exp. ev. Luc. IV 30 'blanda conciliatricula'. Cic. Sest. 9, 21 (cfr. Ambr. Exp. ps. CXVIII 13, 28; 15, 18).

de virginib. III 5, 25 'nemo enim . . . saltat sobrius, nisi forte insanit' (Cic. pro Mur. 6, 13).

de virginib. III 7, 32 'vela orationis pandere'. Cic. Tusc. IV 5, 9.

de fide I 15, 99 'non me involvo libris'. Cic. ad fam. IX 20 extr.

ep. 4, 1 'quasi quodam tui alloquii puleio refotus'. Cic. ad fam. XVI 23 extr.

ep. 48, 1 'non erit longi subselli'. Cic. ad fam. III 9, 2.

de exc. Sat. I 46 'est enim huiuscemodi gratiae vis, ut et cum refertur habeatur et habendo referatur'. Cic. pro Planc. 28, 68 (cfr. Gellius I 4).

ep. 39 (ad Faustinum) imitatio est epistulae Sulpicii ad Ciceronem de morte Tulliae (ad fam. IV 5).

Ciceronis praeterea videntur elocutiones quales 'insidias moliri' (Hexaem. V 8, 22), 'tempus terere' (de bono mortis 10, 43), 'longe lateque diffundere' (de Noë 33, 125), 'saxorum asperitas', 'asperitates montium' (de Nab. 5, 26. Exp. ev. Luc. VII 128), 'exantlare labores' (Exp. ev. Luc. V 112), 'se flagitiis ingurgitare' (Enarr. ps. XXXV § 15) aliae.

22) Ep. 18, 7 'quia nulla aetas ad perdiscendum sera est', cfr. Plaut. Truc. I 1, 1. De exc. Sat. I 55 'eos qui aliena quaererent recte accipitres pecuniae nominabat', cfr. Plaut. Pers. III 3, 5 (409). De Tob. 7, 26 'hamum vorare', de virginitate 18, 120, cfr. Plaut. Curc. 3, 61. Truc. 42.

23) De virginib. III 3, 13 'gemitus screatus tussis risus abstine' Ter. Heaut. II 3, 132 (373). De Nab. 4, 15 'sumptum exercent suum' Heaut.

ut ad Vergilianarum accedam copiam imitationum, quas quam plenissime colligere non inutile duxi, qua in re editorum Maurinorum adnotationes iuverunt.[26]) Ipsum Vergilii nomen, ut eius mos est, tacet. Integra Vergiliana verba non memorat nisi tribus locis.[27]) Reliqua omnia in suum usum transcripsit neglecta forma metrica mutatisque nonnullis[28]), eaque in re multum differt ab Hieronymo, qui integros Vergilii versus solet producere.[29])

A. Ex Eclogis.

1. Ep. 37, 24 'ut servitio ei liceat exire'. De Iacob II 3, 12 'ut servitio ei exire vix liceat'. De Ioseph 4, 19 'non licebat nobis exire servitio'; cfr. Hex. V 14, 49. De offic. III 8, 53. De Cain II 2, 9. Enarr. ps. XXXVII § 28 etc.	Ecl. I 40.

---

143 (cfr. Ambr. ep. 81, 2. De interpell. I 3, 6. Enarr. ps. XLIII § 41. De bello Iudaico IV 7, 10. IV 4, 3); v. Gronov. Monobibl. p. 7 sqq.

24) Ep. 6, 14 'misere in sua populum conversum viscera'; cfr. Lucan. Phars. I 2 sq.

25) In libro de inst. virg. 17, 112 haec leguntur: 'non pineae velamen eius (scil. virginitatis), non vincant cupressi, pudicitiam eius non turtures, simplicitatem eius non vincant columbae' (cfr. Hex. V, 19, 62 'pudicitia ad turturem refertur, ad columbam gratia'). Comparat cum his Casaubonus (Scr. hist. Aug. ed. Salmas. p. 207) Gallieni imperatoris versus epithalamii (Treb. Poll. vita Gallieni cap. 11):

> 'ite, ait, o pueri, pariter sudate medullis
> omnibus inter vos: non murmura vestra columbae,
> bracchia non hederae, non vincant oscula conchae'.

Non dubitat vir doctissimus quin Ambrosius hunc Gallieni locum imitatus sit et a sensu minus honesto ad honestum ac pium traduxerit, cum in magna fama apud eruditos illud carmen fuisse pateat ex Pollionis verbis, qui seriae historiae hos inseruerit versus. Quod ne audacius sit coniectatum vereor, quamquam similitudo quaedam negari non potest, iamque alii viderunt christianos scriptores versus 'minus honestos' similiter in suum usum transtulisse; cfr. exemplum a Carolo Weyman prolatum in Mus. Rhen. vol. XLII p. 637. — Ambr. de Elia 9, 32 'nare suspendit', cfr. Hor. Sat. I 6, 5. II 8, 64. — De Elia 12, 45 'delibutus unguentis', cfr. Phaedr. V 1, 12.

26) Plurima desiderantur in W. Ribbeckii indice imitatorum Vergilianorum.

27) De Abr. I 9, 82. II 1, 4 ('ait quidam') Enarr. ps. XLIII § 17 ('ut ab adversariis adsumamus testimonia').

28) August. Confess. I 17, 27 'proponebatur enim mihi negotium animae satis inquietum, praemio laudis et dedecoris vel plagarum metu, ut dicerem verba Iunonis irascentis et dolentis quod non posset Italia Teucrorum avertere regem (Aen. I), quae nunquam Iunonem dixisse audieram: sed figmentorum poeticorum vestigia errantes sequi cogebamur et tale aliquid dicere solutis verbis quale poeta dixisset versibus'. Confess. I 13, 20. De civ. dei I 3: 'Vergilium quem propterea parvuli legunt, ut videlicet poeta magnus omniumque praeclarissimus atque optimus teneris ebibitus animis non facile oblivione possit aboleri'.

29) Luebeck, Hieronymus quos noverit scriptores p. 167—191.

2. De Abr. I 9, 82 'unde et quidam poeta hoc sequendum putavit, sive in eorum usu, qui sibi docti et sapientes videntur, ipse hoc reperit, sive de nostris ipse transtulit, sive translatum invenit: pascite ut ante boves, pueri: submittite tauros'.	Ecl. I 45.
3. Hex. V 12, 39 'sunt gementes turtures et raucae columbae'. De Iacob II 12, 56 'non sic rauca resonant secreto in nemore columbarum murmura'.	I 57 sq.
4. De bello Iud. V 15, 22 'quid attexam Britannias interfuso mari a toto orbe divisas?' cfr. II 9, 102 'Britannia extra orbem posita'.	I 66.
5. Exp. ps. CXVIII 16, 23 'dumosa de rupe pendentes' (sc. capras).	I 76.
6. De Tob. 5, 16 'placidum stat ventis mare'. Hex. V 13, 40 'placidum ventis stat mare'.	II 26.
7. De ob. Val. 56 'spargant alii plenis lilia calathis'.	II 45 sq.
8. Exp. ps. CXVIII 16, 23 'cernere licet uberi lacte distentas' (sc. capras). cfr. ep. 43, 17 'ut suaviore suco lactis feta distendant ubera'. De bello Iud. III 6, 56 'nusquam sic lacte distenta pecus ubera gerit'.	IV 21 sq. cfr. VII 3. IX 31.
9. Exp. ps. CXVIII 15, 16 'matrem longo decem mensium fastidio pii fetus onera portantem'.	IV 61.
10. De offic. II 5, 21 'quia intermixtam solent habere sterilem avenam'.	V 37. cfr. Georg. I 154.
11. Ep. 18, 23 'mundus ipse, qui vel primum coactis elementorum per inane seminibus, tenero orbe concreverat, vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore, nonne postea distincto caeli maris terrarumque discrimine rerum formas, quibus speciosus videtur, accepit? Exutae humentibus tenebris novum terrae stupuere solem'.	VI 31—37.
12. De exc. Sat. II 130 'levi cornua quaerat in fronte'.	VI 51.
13. De off. I 14, 55 'varios terra se fundit in fructus'.	cfr. IX 40.
14. Ep. 44, 9 'quid igitur opus est ut explorem ortus signorum atque obitus'.	IX 46 (cfr. Georg. I 257).

B. Ex Georgicon libris.

15. De off. II 5, 21 'aut laetas segetes, quia intermixtam solent habere sterilem avenam'.	Georg. I 1 (cfr. Ecl. V 37).
16. Ep. 18, 17 'propterea Chaoniam frugem glande mutantes rursus in pecudum pastus et ad infelicis victus alimenta revocati concussa quercu famem in silvis miseram solabantur'.	I 8 (cfr. I 159).
17. Hex. III 8, 34 'putris glaeba'.	I 44.
18. Ep. 43, 17 'tauri depresso sulcis per totum diem aratro gemunt'.	I 45. 46.
19. Ep. 44, 9 'duris inaratae vomeribus findantur novales.'.	I 71 sq.
20. De poenit. II 1, 3 'imitemur laboriosos agricolas, quos non pudet fimo pingui satiare terram et immundo cinere agrum aspergere, ut fructus uberiores colligant'.	I 80. 81.
21. De virginib. III 4, 16 'mutatis ut fetibus arva requiescant'.	I 82.
22. Ep. 18, 25 'exerceri in fructus terrae ante nesciebant; post ubi imperare arvis sollicitus coepit agricola' e. q. s.	I 99.
23. Ep. 18, 20 'dum messes suas et ipsa miratur' e. q. s.	I 103.
24. Ep. 18, 17 'concussa quercu[30]) famem in silvis miseram solabantur'. De bello Iud. V 18, 12 'suco infelici miseram solabantur famem'.	I 159.
25. Hex. III 16, 65 'properaverunt arbores cito surgere, cito se in florem induere'.	I 188.
26. Ep. 18, 17 're vera quando ante vacuis avenis seges avari vota lusit agricolae?'	I 226.
27. Ep. 44, 9 'quid igitur opus est ut explorem ortus signorum atque obitus'.	I 257 (cfr. Ecl. IX 46).
28. Ep. 23, 4 'sed aliud est observare gentilicio more, ut qua luna quid adoriendum sit iudices, ut puta quintam esse fugiendam'.	I 276 sq.
29. Hex. V 24, 85 '(luscinia) insomnem longae noctis laborem cantilenae suavitate solatur'. cfr. de bello Iud. V 21, 66 'spe victoriae solantes laborem'.	I 293.
30. De Elia 16, 60 'murmur in auribus tamquam maris fluctuantis fragor et resonantia fluctu litora'.	I 358. 359.

30) cfr. Symmachi relat. (cui Ambrosius respondet ep. 18) § 15 (Migne 16, 970): 'quando in usum hominum concussa quercus'.

31. Hex. V 12, 39 'tum etiam cornix plena voce pluviam vocat'.	Georg. I 388.
32. Hex. IV 9, 34 'lunam certe quartam, si pura fuerit neque obtusis cornibus dare reliquis diebus usque ad exactum mensem indicium serenitatis existimant'.	I 432—435.
33. De exc. Sat. II 56 'quid de generibus arborum loquar, quae posito surgunt de semine'.	II 14.
34. Ep. 18, 18 'et unde Graecis oracula habita suae quercus' e. q. s.	II 16.
35. Hex. V 23, 77 'ex his foliis mollia illa Seres depectunt vellera'.	II 121.
36. De exc. Sat. II 70 'quod si veteres sapientes satis hydri dentibus in regione Thebana inhorruisse armatorum segetem crediderunt' e. q. s.	II 141. 142. (cfr. Aen. VII 526).
37. Enarr. ps. XLIII § 17 'Vere — maxima taurus victima, ut ab adversariis adsumamus testimonia'. cfr. de ben. patr. 11, 55 'bonus taurus quasi hostia . . . et totius mundi victima'.	II 146.
38. Hex. III 9, 38 'aconita quoque fallunt frequenter et decipiunt colligentem'.	II 152.
39. Ep. 28, 5 'horum igitur viae noxiae tortuosaeque serpentium, qui venenato lapsu corporis sese trahunt atque in spiram nequitiae sese colligunt'. cfr. de Tobia 12, 41.	II 154.
40. De off. II 5, 21 'quia aliquibus locis ieiuna glarea est'.	II 212.
41. Hex. V 12, 38 'avius igitur atque inusitatus in tali genere scriptionis sermo noster canoris avibus resonet atque resultet'.	II 328.
42. De virginib. III 4, 17 'et asperis manibus quibus luctantes inter vineta flectit iuvencos molliter ovium pressat ubera'.	II 357.
43. Hex. III 9, 41 'diverso munere fulcit agricolas, quibus deus, si bona sua norint, universa donavit'.	II 458 sq.
44. De Elia 12, 43 'barbari in ferrum ruunt'.	II 503 sq.
45. Ep. 55, 5 'et faciem, tauro propior, vultu videatur exprimere'.	III 58.
46. Ep. 43, 17 'equus tanto se iactans equite glomerat gressus superbos'.	III 116 sq.
47. Ep. 68, 2 'iacta sibi semina tamquam hostili duritia genitali excludit arvo'.	III 136.

48. De virginib. II 6, 41 'equorum vis plausae sonitum discit amare cervicis, ne recuset iugum'. De Cain II 1, 3 'equos videmus popularibus incitari studiis, gaudere plausibus, blanditiis delectari magistri'.	Georg. III 185. 186.
49. Hex. IV 4, 14 'puncta transeunt, fugit tempus irreparabile'.	III 284.
50. Ep. 28, 5 'vere sicut cicadae, quia de die in diem vivunt, questu rumpuntur suo'.	III 328.
51. De viduis 11, 70 'cum ipsi servare nec modum possint, sed iniusto sub fasce succumbant'.	III 347.
52. Ep. 63, 44 'bellator quoque strenuus ante expectatum stat in agmine, qui vult adversarii consilia praevenire'. cfr. de fuga saec. 8, 47 'paritura ante expectatum'. De bello Iud. IV 23, 23 '(urbem) ante expectatum cepit'.	III 348.
53. Exp. ps. CXVIII 6, 13 'illi sibila obtrectationum ora tollebant et sermonibus odii circumdabant innocentem'.	III 421.
54. Exp. ps. CXVIII 6, 13 'illi trisulcis ora[31] linguis micabant'.	III 439 = Aen. II 475.
55. De viduis 13, 76 'sunt enim qui virtutis loco ponant ferro culpam compescere'.	III 468.
56. Hex. V 21, 67 'quae (sc. apes) solae in omni genere animantium communem omnibus sobolem habent, unam omnes incolunt mansionem, unius patriae clauduntur limine'.	IV 153 sq.
57. Hex. V 21, 69 'cernas omnes certare de munere, alias invigilare quaerendo victum' e. q. s.	IV 158.
58. Hex. V 21, 69 'tenues inter domorum saepta ceras suspendere'.	IV 159—162.
59. ibid. 'opus ipsum suave, de floribus, de herbis dulcibus fundamina castrorum prima ponuntur. Quid enim aliud est favus, nisi quaedam castrorum species?'	IV 161.
60. ibid. 'stipare mella et intexta floribus horrea nectare quodam distendere'.	IV 163. 164 = Aen. I 432. 433.
61. ibid. 'alias sollicitam castris adhibere custodiam, alias futuros explorare imbres et speculari concursus nubium'.	IV 165. 166.
62. ibid. 'denique ab his praesaepibus apum fucus arcetur'.	IV 168 = Aen. I 435.

31) Restituendum ex Vergilio 'ore'.

63. ibid. 'et coalitu cerae florum odore fragrare mellis incipit suavitatem'. cfr. Hex. V 2, 6 'quod mella fragrant[32]), hoc tu corpore tuo spiras'.	Georg. IV 169 = Aen. I 436.
64. De virginitate 17, 107 'gratiam deo redde contemplationemque corporis velut navis saburram suscipe, ne in tantis mundi fluctibus iactantiae alicuius aura circumferat. Apis illa sapiens, cum aeris motus suspectos habet, lapillis saepe sublatis per inania se librat nubila, ne leve alarum remigium praecipitent flabra ventorum'.	IV 194—196.
65. Hex. V 21, 67 'quoniam neque inter se ullo concubitu miscentur nec libidine resolvuntur nec partus quatiuntur doloribus, et subito maximum filiorum examen emittunt e foliis et herbis ore suo prolem legentes'. cfr. Exp. ps. CXVIII 14, 24 'et ex herbis suavibus ore filios legere'. De virginib. I 8, 41 'quam te velim, filia, imitatricem esse huius apiculae, cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur'.	IV 198—201.
66. Hex. V 21, 68 'ipsae sibi regem ordinant, ipsae sibi populos creant'.	IV 201. 202.
67. De Abrah. II 1, 4 'genus enim immortale videtur esse, personae mortales sunt singulorum, ut hominum, ut equorum, ut apum, de quibus ait quidam: at genus immortale manet'.	IV 208.
68. Hex. V 21, 68 'itaque nulli sic regem, non Persae, qui gravissimas in subditos habent leges, non Indi, non populi Sarmatarum tanta quanta apes reverentia devotionis observant'.	IV 210—212.
69. Hex. V 21, 71 'denique regem suum summa protectione defendunt et perire pro eo pulchrum putant. Incolumi rege nesciunt mutare iudicium, mentem inflectere; amisso fidem servandi muneris derelinquunt atque ipsae sua mella diripiunt, quod is qui principatum habuit muneris interemptus est'.	IV 212—218.
70. Hex. V 21, 72 'itaque cum aves aliae vix in anno edant singulos fetus, apes geminos creant et duplici ceteris fecunditate praeponderant'.	IV 231.

32) Non 'flagrant'.

71. Hex. V 21, 69 'habent tamen spicula sua et inter mella fundunt venenum, si fuerint lacessitae, animasque ponunt in vulnere ardore vindictae'.	Georg. IV 236—238.

C. Ex Aëneidos libris.

72. De Iacob II 11, 49 'animamque victor effudit'. De off. III 22, 135 'effundit animum suum'.	Aen. I 98.
73. De bello Iud. V 46, 21 'subtractus est nobis ille praeruptus aquae mons'.	I 105.
74. Hex. I 8, 32 'nonne quo splendidior foris species loci eius effulgeat, hoc horrenti desuper scaena gurgustium eius intus obscurius fit? aut unde antrum clausum undique huiusmodi locum vocarunt, nisi quod atro inhorrescat situ atque offusione tenebrarum?'	I 164. 165.
75. De virginitate 17, 107 'alarum remigium'. Ep. 29, 17 'ut renovatis alarum remigiis alta petere non reformidet'. De bello Iud. III 2, 47 'implicatis remigiis alarum'. Hex. V 16, 55 'alarumque remigio nudatos'.	I 301 (VI 19). cfr. Aesch. Agam. 52 πτερύγων ἐρετμοῖϲιν ἐρεϲϲόμενοι.
76. Hex. I 8, 29 'pro spiritu, quem spiramus et carpimus aurae huius vitalis spiritum'.	I 387 sq.
77. Exp. ev. Luc. IV 3 'in vada caeca deductos'. ibid. X 149 'tamquam in vada caeca lentandum iter quam praecipitandum arbitror, quo minus rimosa nobis patescat[33]) oratio'. De Tob. 5, 16.	I 536.
78. De ben. patr. 5, 27 'dicentes esse credentibus refugium praeparatum, quo ventis quassata navigia possint subducere'.	I 551 (cfr. IV 53. IX 91).
79. Ep. 68, 23 'quae gremio solet blandae matris fovere'.	I 718.
80. De bello Iudaico IV 6, 7 'haec prima labes malorum'.	II 97.
81. Ep. 18, 17 'en quod factum, quae triste piaret nefas, fames, ut aiunt, publica vindicavit'.	II 184
82. ibid. 'suco miserabili deficientium ora lambebant'.	II 211.
83. Ep. 19, 14 'ut festa fronde fiant venustiora'.	II 249. cfr. IV 459.

33) Nescio an melius scribatur cum Erasmo 'fatiscat'; cfr. Aen. I 123 'rimisquc fatiscunt'.

84. De Elia 9, 29 'ille vino sepultus iacebat'. De Abr. I 6, 57 'nesciunt quid loquantur qui nimio vino indulgent, iacent sepulti'.[34])	Aen. II 265 (cfr. III 630).
85. De spir. sancto II prol. 13 'is, inquam, (Samson scil.) posteaquam spiritus dei discessit ab eo, longe mutatus ab illo Samsone qui rediit allophylorum indutus exuvias' e. q. s.	II 274. 275.
86. Hex. VI 9, 57 'si caput desit, nulla agnitio esse potest: iacet truncus ignobilis, sine honore, sine nomine'.	II 557 sq.
87. De exc. Sat. I 19 'spiritu vitam producere'.	II 637.
88. De bello Iud. V 1, 21 'frequens . . . telorum seges'. cfr. Ep. 68, 4 'telorum segetibus inhorrens'.	III 46.
89. De interpell. III 5, 23 'vana fames auri'. De Nab. 6, 28 'inexplebilis auri fames ac sitis'. De bello Iud. V 24, 52 'misera fames auri'.	III 57.
90. De Noë 10, 31 'denique si quando est pestilentia corrupto caeli tractu, prius ea quae sunt irrationabilia lues dira contaminat'.	III 138 sq.
91. De exc. Sat. I 8 'bos bovem requirit seque non totum putat et frequenti mugitu pium testatur amorem'.	III 487.
92. Ep. 19, 20 'si pereundum est, quia dolorem habui liberum, iuvat perire manibus Palaestinorum'.	III 606.
93. Ep. 50, 13 'sed et visu faciles et dictu affabiles circumerrent'.	III 621.
94. De virginib. III 4, 17 'molliter ovium pressat ubera'.	III 642.
95. De off. II 12, 62 'degeneres animos vita arguit'.	IV 13 ('timor arguit').
96. Hex. V 19, 62 'fertur etenim turtur ubi iugalis proprii fuerit amissione viduata pertaesum thalamos et nomen habere coniugii, eo quod primus amor fefellerit eam dilecti morte deceptam'.	IV 16—18.
97. De exc. Sat. I 23 'uterque enim nostrum ex alterius ore pendebat'.	IV 79.
98. De bello Iud. I 22, 27 'Iudaea recidiva'.	IV 344 (cfr. X 58, VII 322).
99. Hex. VI 4, 16 'nigro convectatur agmine	IV 404—408.

34) cfr. Ennii Annal. frg. 203 (Baehrens) 'nunc hostis vino domiti somnoque sepulti'.

praeda per campos, fervent semitae comitatu viantium, et quae comprehendi angusto ore non possunt, humeris grandia frumenta truduntur'.	
100. Ep. 6, 17 'avulsae de complexu patrum filiae'.	Aen. IV 616.
101. De Abr. I 8, 70 'quamvis senilem studio celeraret gradum'.	IV 641 'illa gradum studio celebrabat anili' (al. 'celerabat anilem').
102. De exc. Sat. I 19 'nihil mihi profuit ultimos hausisse anhelitus'; et infra 'et extremum spiritum ore relegebam, ut consortium mortis haurirem'. De bello Iud. V 23, 10 'ille ultimos ore anhelitus legeret'.	IV 684 sq.
103. Hex. II 3, 11 'dicant certe quemadmodum aer cogatur in nubem'.	V 20.
104. De Tob. 7, 26 'sudor effunditur, anhelitus quatit artus'.	V 199. 432. cfr. IX 811.
105. De bello Iud. I 38, 34 'furens animi Romam petit'. I 40, 120 'velut furens animi vociferari coepit'.	V 202.
106. De off. I 10, 32 'adversariorum declinat ictus et vigilanti exit obtutu'. Hex. VI 8, 50 'vulnus vigilanti aspectu exeas'. De Tobia 7, 27 'vigilanti exit obtutu'. De bello Iud. V 13, 16 'ille oculis vigilantibus lapidem praevidit celerique corporis saltu lapsum evasit'.	V 438 ('oculis vigilantibus exit').
107. cfr. Enarr. ps. I § 13 'spes commodi furetur labores'; § 30 'sensum furatur laboris'.	V 845.
108. De Nab. 5, 21 'saepe gradum protulit, saepe revocavit'.	VI 128 (cfr. IX 123)
109. Exp. ps. CXVIII 13, 16 'dubium quicquid est et ancipitis effectus, hoc malignum est; ut lux dubia maligna dicitur, ita malignum est quicquid admiscet malitiae tenebras veritati'.	VI 270.
110. De Tob. 12, 41 'echidna tamen fecunda poenis viscera trahens partu suo rumpitur'.	VI 598. 599.
111. Hex. V 14, 49 'quaedam (aves) ex natura, aliae ex institutione diversarum vocum obloquuntur 'discrimina'. De Iacob II 9, 39 'quis tam suavis numerus septem vocum differentias oblocutus, quam iste septemplici spiritus sancti gratia resultavit?' De interpell. II 10, 36 'ut septem vocum discrimina numeris modulantibus obloquatur'.	VI 646.

112. Hex. I 8, 28 'quia nuda gignentium nec toris herbosa riparum'. De off. II 16, 82 'iuxta eos in ipso riparum toro pascebantur'. cfr. Hex. III 16, 65 'si viridantibus toris fluviorum exundantium ripa decoratur'.	Aen. VI 674.
113. De spir. sancto II 5, 36 'gentiles homines per umbram quandam nostros secuti, quia veritatem spiritus haurire non poterant, quod caelum ac terras, lunae quoque stellarumque micantium globos spiritus intus alat, suis versibus indiderunt'.	VI 724 sqq.
114. De bello Iud. IV 11, 16 'Maximo soli datum, quod cunctando restituerit rem romanam'.	VI 845 sq.[35])
115. De ob. Val. 3 'quantos iste de Galliis usque huc totius tractu itineris populorum egit gemitus?'	VI 872. 873.
116. De ob. Val. 56 'date sacramenta caelestia, animam nepotis nostris oblationibus prosequamur . . . non ego floribus tumulum eius aspergam . . . spargant alii plenis lilia calathis'.	VI 883. 884 (cfr. Eclog. II 45 sq.).
117. Hex. V 12, 36 'venit in mentem avium natura, quae cum eunt cubitum quasi peracto laetae munere aethera cantu mulcere consuerunt'.	VII 34.
118. Hex. III 7, 30 'avis atavisque nobilis'.	VII 56.
119. Exp. ps. CXVIII 6, 15 'bonus coluber in gremium dilectae atque in ipsum intimae sinum mentis facilis illabitur et attactu nullo implicans ignem ossibus praecordia ipsa depascitur'.	VII 349 sq. 355.
120. Ep. 18, 2 'pretiosa et grandia sonant, veri effeta defendunt'. cfr. Exp. ps. CXVIII 18, 31 'in senectute, quae effeta viribus'.	VII 440 (cfr. 452).
121. Ep. 68, 4 'vere terra est ferrea, telorum segetibus inhorrescens et suis nuda fructibus'.	VII 526 (cfr. III 46).
122. De Elia 13, 47 'donec udae vocis aperiant iter'.	VII 533 sq.
123. De bello Iud. III 26, 85 'nisi rapto viverent'.[36]) cfr. Hex. V 21, 69.	VII 749. IX 610.
124. De viduis 5, 31 'bona et illa plane laboriosa stipendia castitatis, quae de suo opere quotidianoque penso conferat vidua nocturnis pariter ac diurnis iugi exercens labore pensa	VIII 411—413.

35) v. Ennii versum frg. 191 (Baehrens).

36) 'rapto vivere' occurrit etiam apud Sallust. hist. frg. III 48, unde petitum putat Vogelius (Acta sem. Erlang. I p. 358).

temporibus ... ut intemeratum defuncti coniugis cubile custodiat, alere dulces liberos possit'. cfr. Hex. V 24, 85.	
125. De spir. sancto I prol. 17 'muros armis circumsonabat hostilibus'.	Aen. VIII 474.
126. Hex. V 11, 32 'quam ingentia illic et infinitae magnitudinis cete! quae si quando supernatant fluctibus, ambulare insulas putes, montes altissimos summis ad caelum verticibus eminere'.	VIII 691. 692.
127. Ep. 18, 31 'omnibus in templis arae'.	VIII 718.
128. Hex. V 15, 52 'homines quam inviti subeunt vigiliarum munera, quam aegre unusquisque in castris periculum sortitus excubat, quod tuendum sibi regali praeceptione committitur'.	IX 174. 175.
129. De ob. Val. 78 'beati ambo, si quid meae orationes valebunt! nulla dies vos silentio praeteribit, nulla inhonoratos vos mea transibit oratio'.	IX 446 sq.
130. Hex. IV 3, 11 'iam sole terris infuso'.	IX 461.
131. De Iacob II 12, 56 'non oculos cuiusquam pressit aut ora morientis clausit, non lavit vulnera'.	IX 487.
132. Hex. V 1, 4 'siquidem et navis acta remis labitur et aquas sulcat carina'.	X 197 (cfr. V 158).
133. De exc. Sat. I 38 'quam gratus error'.	X 392.
134. Hex. VI 4, 20 'spinis suis clauditur atque in sua se arma colligit'. De bello Iud. IV 1, 44 'et sese in arma colligens'.	X 412.
135. De bello Iud. II 18, 6 'totius erat nodus ac mora belli'. cfr. de ob. Theod. 7 'mora belli'.	X 428 ('pugnae nodumque moramque').
136. Ep. 29, 19 'vana veri refellas'. cfr. ep. 24, 1 'ne cuiusquam sermo veris[37]) prius vana intexeret'.	X 630 sq.
137. De spir. sancto II prol. 12 'ut morte obita resurrectionis requiem consequamur'. De exc. Sat. II 25 'iam vero obita morte'.	X 641.
138. De exc. Sat. I 33 'felix igitur tam opportuno obitu, quia non est in hunc servatus dolorem'.	XI 159.

37) Ita Maurini cum plerisque codicibus; sed nescio an melius legatur 'veri', quod nonnulli ms. exhibent, ut hic quoque subsit imitatio Vergiliana.

139. Ep. 37, 30 'et quaedam furta bella'.[38])	Aen. XI 515.
140. Hex. VI 6, 37 'eximia leonis pulchritudo comantes cervice toros excutit vel sublato pectore attollit ora'. Ep. 37, 13 'plerique emptores leonum sunt et tamen non dominantur leonibus; sed ita subiciuntur versa vice, ut, si exasperatos eos excutere cervice toros viderint, fugiant'.	XII 6 sq.
141. Hex. V 16, 55 'nam depositi patris artus fovet'.	XII 395.
142. Ep. 43, 17 'oves quoque meliora pabula legunt'.	XII 475.

Quae exempla, etsi fortasse non pauca ab aliis poterunt addi, sufficere arbitror ad illustrandam rationem, qua Ambrosius Vergilianos versus locutionesque in suum usum transtulerit studiisque suis accommodaverit. Longe plurima igitur inveniuntur in Hexaemero et in epistulis, inter quas primum obtinet locum ep. 18.[39]) Secuntur libri V de bello Iudaico[40]), libri II de excessu Satyri, libri III de officiis, Expositio psalmi CXVIII. In reliquis minor extat exemplorum copia. Bis aut pluriens exempla 1. 3. 4. 6. 8. 24. 48. 52. 65. 72. 75. 77. 84. 88. 102. 105. 106. 111. 112. 134. 137. 140 ab Ambrosio adhibita sunt.

---

38) Hanc locutionem Vergilius a Sallustio mutuatus videtur (Hist. I 86 'gentis ad furta belli peridoneae'), unde petivit Ambr. de bello Iud. I 30, 89 'vir ad furta belli peridoneus'; cfr. I 32, 53 'ut se habent furta belli'. V 15, 25 'quae licet furta belli videatur audere'.

39) In qua undecim extant exempla; secuntur epp. 43. 68. 37. 44. 19. 28. 29. 6. 23. 50. 55. 63.

40) Ex decem et septem exemplis quae composui haec in aliis quoque Ambrosianis scriptis occurrunt 8. 24. 52. 75. 88. 89. 102. 106. 134, id quod in quaestione de librorum illorum auctore neglegendum non est.

IV. De codice Treverensi
qui continet Ambrosii Expositionem ps. CXVIII.

Extat Ambrosii Expositio psalmi CXVIII optime scripta in codice bibliothecae Treverensis publicae membranaceo saec. XI no. 1285 (Cat. mss.: 120. Num. Loc.: 1170). Qui a v. d. Keuffer bibliothecae custode comiter Bonnam missus dignus visus est qui totus conferatur. Conscriptus est in sancti Eucharii monasterio, quod postea sancti Matthiae nomen accepit.[1]) Constat foliis 187; psalmi expositio desinit in folio 185. Quae restant paginae hymnis nonnullis ecclesiasticis locum dederunt. Foliorum numeri manu posteriore neglegenter scripti sunt mendose repetitis numeris 63, 85, 88. Quaterniones numeris aut litteris notati erant in ultimae quaternionum singulorum paginae margine inferiore scriptis, ex quibus pars servata, pars deleta est.[2]) Codex non ab uno scriptus est, sed facile diversorum scribarum manus distinguuntur, et ita quidem ut nonnumquam appareat scribas singulos quaterniones litteris implendos inter se distribuisse. In fine quaternionis tertii litterae longis intervallis positae sunt ad explendum reliquum paginae spatium, id quod similiter factum est in fine quaternionum V VII IX XIII XV XVI XVII; contra premendae litterae erant in fine quaternionum VI et XX. Non raro manus altera et posteriores superscripserunt vel ad marginem lectiones adnotaverunt, quas distinguere non semper facile est. Permultae litterae initiales rubrica illitae sunt, primae singulorum sermonum plerumque artificiosiore pictura exornatae.

Primi quaternionis folium primum cum periisset nescio quo casu, in quo scripta erant titulus principalis et prologi paragraphi duae priores, callidus quidam monachus, ut completus esset liber, versibus sex prioribus folii alterius deletis novum prologum brevissimum de suo adiecit hunc[3]):

---

1) A. fere 1127; cfr. Monum. Germ. VIII Script. p. 226 sqq. Libri tegumento ab utraque parte imago sancti Matthiae cum nominis subscriptione impressa est. Eucharii nomen deprehenditur in verbis, quae indocta manus in superiore primae paginae margine lusit ΚΟΔΗ ΓΩC, ΛΓΥΟC ЄΥΚΑRΙΩC. Bibliothecae Treverensi publicae codicem comparavit Wyttenbach bibliothecae custos a. 1814.

2) Servata sunt quaternionum 3, 6, 7, 8, 10, 12, 13, 19 signa haec C, F, G, H, K, XII, N, XVIIII.

3) Inscriptio rubrica picta haec est: *Expositio S. Ambrosii Ep. in Psl. CXVIII per sermones XXII.*

Dicturus Adsistente Deo, qui A *et* Ω *est, de centesimi decimi et octavi psalmi pulchritudine eiusdemque indagaturus sublimitatem et mysteria prologo nimis extenso immorari vanum duxi et superfluum*[4]*), ne vagari aut in infirmitatibus videar gloriari, quod nonnulli assolent, mira in eo promittentes, de capite autem quod .V.* ē.[5]) *ea quae sunt substantialia vix leviter attingentes. Transeamus ergo ad psalmum de quo tractandum.*

Quae sequitur vox *Cuiuslibet* ad auctorem huius novi prologi ignotum referenda videtur. Iam incipit oratio vere Ambrosiana, § 3 scilicet prologi genuini (*Titulus autem psalmi Alleluia est* e. q. s.).

Orthographiae, quae plerumque satis bona est, ut adsit specimen, haec affero: *columpnas, dampnare* sim.; *cotidie, cottidie* (nusquam *quotidie*), *eculeo, locuntur, secuntur* sim.; *iocunditas, vendicare, malivolus* sim.; *intellegere, neglegentia* sim.; *conectere, conexa* sim.; *quicquid, quicquam* sim.

Compendia crebro adhibita sunt tralaticia, qualia sunt apls *apostolus*, dd *David*, dr *dicitur*, g° *ergo*, fr̄e *fratre*, m̄s *meus*, n *nisi*, p *per*, q *qui*, q° *quo*, qm̄ et quō *quoniam*, q°q *quoque*, quom° *quomodo*, sic̄ *sicut*, s; *sed*, t̄ra *terra*, u° *vero*, ut *vel*.

Verborum elementorumque commutationes confusionesque, quae non raro offendunt, sed minoris momenti sunt, in indice variarum lectionum omittam; sed subicio specimen:

his pro *iis* I 5. II 22. III 3. 15. X 23 etc.[6])
animus — *anima* V 7. X 28.
alienus — *alius* V 20. XIII 12.
adversus — *adversum* II 10. V 27.[7])
dominus — *deus* II 2. 29 saepius.
iunior — *iuvenior* II 5. 16.
malus — *malignus* XIII 16. XVIII 6.
mysterium — *ministerium* XI 13. XIII 6. XVI 36.
quia — *qui* I 11. II 9. III 9 saepius.
quoniam — *quia* II 9. X 18. 22.
est omissa I 8. II 2. III 1. 6 saepius.
est addita II 18. III 8. 20. V 22 saepius.
ergo, enim, etiam, igitur saepius confunduntur.

Verbum simplex pro composito IV 17 *flueret*, IV 22 *trita*, VII 13 *mundat*, VIII 35 *pellere* etc.[8])

---

4) Quod omnino non cadit in Ambrosium, qui scriptis suis prologos praemittere minime dubitat; velut Enarrationem psalmi I satis fuse praefatus est.

5) *quod v(erbum) e(st)*? cfr. Exp. ev. Luc. I 5.

6) *huiusmodi* pro *eiusmodi* VIII 48, *hisdem* pro *iisdem* XIV 1.

7) *rursum* — *rursus* VI 9.

8) I 5 *murmurantem* pro *immurmurantem*; cfr. Hexaem. V 13, 41.

Compositum pro simplici IX 18 *commutare,* XII 43 *positus* (pro *situs*), XVI 16 *elucent,* XXI 14 *conresurgas* etc.

Singularis pro plurali III 26 *peccatum mundi,* VII 30 *laudem,* IX 2 *levavit desiderium,* X 32 *post laborem,* XIII 15 *super seniorem* etc.

Pluralis pro singulari IV 25. V 28 *vanitates,* V 38 *bases aureae,* VII 33 *accipite,* VIII 57 *peccata mundi,* XI 17 *credunt — iudicati sunt* etc.

Tempora denique et modi saepissime discrepant, sed ita ut sit plerumque Maurinorum lectio praeferenda. Similitudo quaedam discrepantiae in hisce cernitur exemplis:

II 6 hauriebat profundae secreta sapientiae (*Maur.* profunda).
II 11 tantam praerogativam caritatis (*Maur.* tantae).
III 27 legitimum tempus quietis (*Maur.* legitimae).
V 22 in omnem finem viarum (*Maur.* omnium).
VI 14 divino munere benedictionis (*Maur.* divinae).
VIII 41 invisibilium criminum nexus (*Maur.* invisibiles).
VIII 46 spiritalis nequitiae tenebras (*Maur.* spiritales).
X 46 sincerae pietatis unda (*Maur.* sincera).
XI 6 de illa superna spei praesumptione (*Maur.* supernae).
XV 16 consortium communis naturae (*Maur.* commune).

III 16 quia qui hic purgatur (*Maur.* quia hic purgatus).
V 5 mansio significat (*Maur.* mansio est significans).
VI 9 cum iterum apparet (*Maur.* iterum apparens).

VIII 1 qui timentes deum sunt (*Maur.* qui timent deum).
XIII 17 operantes (*Maur.* qui operantur).
XV 2 habens — sis (*Maur.* habeas aurem corporis).
XX 47 operarii iniquitatis (*Maur.* qui operamini iniquitatem).

Transmutationes verborum, quales sunt 'habere consortium supplicii' pro 'supplicii habere consortium' (I 13) similes, quae frequenter reperiuntur, verbaque vel enuntiata omissa et menda scribarum manifesta neglegenda censui.

Lectiones variae.[9])

Prol. 3 in his enim uere deus laudatur (*M add.* hymnis)

Prol. 3 denique in superiore psalmo passio domini immaculato ore laudata est (*M* denique — laudarent)

I 2 non prius 'qui scrutantur testimonia eius' dixit (*M* scrutatur)
3 excidit columnas septem (*M* subdidit)[10])
4 quae multa praeclara opera (*M* probata)
dilecti expectando aduentum impacientis more in [aduenientis sponsi mox *2. m. superscr.*] oscula ruit dicens[11])

9) *M* lectionem significat Maurinorum, *B* Ballerinii editoris Mediolanensis, *T* codicis Treverensis.

10) De Cain I 5, 19 'fulsit columnas septem'; Vulgata habet 'excidit'.

11) *M* 'impatiens morae'; cfr. de offic. I 49, 242 'naufragium impatiens morae incidat'; de exc. Sat. I 22 'impatiens absentiae'.

I 5 displiceret, quamuis longiore quam ferre iam poterat morando [-do *in ras.*] aduentus

6 ubi gratia non habet innocentiam

9 si quis uero in uia domini ambulat
quod licet mysticum sit, tamen — habet
idem tamen quamuis parata occasione potiendi

10 noli sicut caecus [esse *2. m. superscr.*] oculis corporalibus aut sicut surdus [auribus *2. m. superscr.*]

uidere ri
11 claudis ne uideas

12 sed non solum (*M* sed non sum solus)
plena est terra gloria maiestatis tuae. Plenus est mundus

14 et expoliauit omnibusque nudum reliquit[12])

18 in cuius patrimonium [ius tyrannidis aduersario tribuit [*2. m. superscr.*], in cuius corpus
alios autem [non dereliquit *2. m. superscr.*] apostolos [quos *2. m. superscr.*] cum uidisset

19 deus deus respice me (*M et Vulgata* in me)

Subscriptio: Explicit sermo de littera prima quae est Aleph, incipit de littera secunda in eodem psalmo quae dicitur Beth.[13])

II 1 uerum quia is qui corrigitur ante in errore fuit (*M* corrigit *scil. viam*)
nisi quod ante deflexum fuit
amfractus
ut diuersarum cogitationum conuersus auferat dicens

2 nec tortuosos sequamur amfractus[14])
uineae ponuntur (*M male* vineta)

3 recordationem habentes lapsuum
ut abolefatiat inueterata atque diuturna (*M addunt post abolefaciat* in iuventute facta)

4 secretus a turmis (*M* turbis)
ne trahenda essent longo diutius fune peccata

7 deseruit uiam mundi (*sic etiam B; M* vitam)
arbitrum iusti — metuit
iohanne

8 in hoc ergo iuuene spectato hoc est praeuide magna mysteria[15])
quam relegauerat id est repulerat in Eua[16])
non tantum sed et

9 de populo suo /// Petrum Iohannem Iacobum

---

12) *M* 'exspoliavit omnibus nudumque reliquit' melius; cfr. VI 25 'nuda virtutum', Exp. ev. Luc. IV 7 'spiritalium nudus'. VIII 51 'nudam pomorum'. Hex. I 8, 28. de Cain II 8, 26 etc.

13) Similes sed breviores subscriptiones extant reliquorum sermonum, quas non commemorabo.

14) *M* 'tortuosi serpentis sequamur anfractus'; sed cfr. II 20 'tortuoso errabat amfractu'; Epist. 45, 10 'tortuosis angulatur amfractibus'.

15) Ita edit. ante Maur.

16) *M* omittunt 'id est repulerat'; qui aeque omittunt 'id est in vestigiis' II 15, 'id est tenaci' V 46, 'id est tres pueri' VII 28, quae additamenta non videntur necessaria.

II 9 obtunsa facta
decoram ante delicta[17])
10 [custodiebat autem id est expectabat *2. m. superscr.*] Denique custodiebat ut faceret
num se
13 nisi ut sciat unusquisque homi/// ad imaginem
14 praeueniris [-ris *in ras.*] dum cogitas
15 in calcaneis id est in uestigiis gregum[18])
16 cognoscere uiam suam iunior ut corrigat[19])
T om. verba praedam includit *quae desunt etiam in codicibus a B inspectis*
18 quod quamlibet impossibile esse dixit, sic intelligimus[20])
et quia illum ante capere
19 in syon tempus exspectans (*M* in se)
21 qui cum sequi deum uelit (*M* vellet)
22 sed neglegentia et desidia medici uirus uulneris serpit
25 Laodiceae dicit. Haec dicit testis
26 dum sine praeiudicio locuntur
ideo uir loquatur serius et non otiose
verba tempus tacendi et *om. T*
27 non auro non argento non pecunia comparari potest regnum coelorum
28 abscidant (*M* abscindant)
32 uinetis oliuetis segetibus (*M* oleis *non bene*)
33 habemus scriptum: equitatui meo[21])
non igitur unum equum
unde et scriptura dicit currus
intellige enim est
34 princeps populi qui sit interpretatione serpentinus
III 4 quo ea petitione sis dignior (*M* quod)
5 libertus est domini. Quare non praesumat fauorem domini tam pretioso emptus sanguine[22])
6 seruitus quam pro nobis seruiuit
beata seruitus qua et tu seruis *2. m. superscr.*[23])
ubi caritatis (*M* ubi est castitatis)
phalerari sibi magis quam nodari uidentur[24])

---

17) *M* 'me decoram ante dilectam', *B* ex octo codd. restituit 'derelictam'.

18) cfr. adn. 16 ad II 8.

19) *M* om. 'suam'; sed cfr. II 15 extr. 'ut corrigat viam suam', II 17 'qui potest corrigere viam suam', II 18 'ut corrigat iuvenior viam suam'.

20) *M* 'hoc quoque libro' pro 'quamlibet', mox habent 'sic tamen intelligimus'.

21) Sic etiam Vulgata; *M* 'equae meae'.

22) Vide Ballerinii adnot. ad hunc locum.

23) Desunt in codd. Maurinorum et Ballerinii; sed iam illis ad sensum complendum non inutilia visa sunt.

24) *M* 'vinculari' ex cod. uno Vatic. receperunt, quos secutus est *B*.

III 7 nardum meum[25])
8 Si locum quaerimus, cuiusdam regionis est, quia in Iudaea et locus sic dicitur, in quo[26])
si scindatur lignum (*M* si non incidatur lignum)
in carne fraglabat
constrictus erat uerbum cum esset homo factus
Quapropter
9 praedicabat. meruit audire
et ipsa speciosa es et decora (*M* bona es et decora)
nisi
10 retributione quod speret
licet rarus sit (*M* iste *pro* sit)
14 quod tradidit ecclesia
ar
quo purificentur
16 ueniet ergo ignis — qui exurat
quando dicet dominus[27])
custodiā tua
20 ~~multa~~ uerba ~~custodiam~~ quia cum unum uerbum cognouerit
uidemur
nec difficile doceri cum dixerit
sed apostolus succurrat et dicat: puto et ego spiritum dei habeo *desunt in T et in codd. Mediol.*
21 Heliab (*M* Oliab, *alii* Eliab)
aliis angelicum (*M* evangelium)
22 remedium suae aegritudinis poscit
non audiuimus dicentem (*M* et docentem)
24 Nonne Moyses tantus?
quod declarabat/// (*M* quo declarabatur)
26 et ut uisitem templum[28])
secus
quia non soluebatur
et in triduo suscitabo illud (*M* excitabo)
quia nihil possederit et
27 septimo anno exire seruitio[29])
significans forte tempus (*M* fore)
qui ex istis diebus (*M* qui sex istis diebus)[30])
28 et adhuc integra reseruatur *om. T*

Veteres edit. et maxima pars codicum exhibent 'nudari', unus 'onerari'; *T* recte 'nodari'.

25) *M* et Vulgata (Cantic. 1, 11) 'nardus mea', itemque III 8 'nardus Cypri' (*T* 'nardum Cypri').

26) Alterum 'Engaddi' *T* omittit.

27) *M* 'quod dicet'; iam *B* ex codd. Mediol. restituit 'quando dicet'. In *T* 'dicet' correctum est ex 'dicat'.

28) Item Vulgata (Ps. 26, 4), *M* 'considerem'.

29) *M* 'exire a servitio'. Ambrosius 'exire servitio' solet dicere non addita praepositione; cfr. indicis imitationum Vergilianarum exemplum primum supra p. 83.

30) Eadem scripturae discrepantia V 10.

nec senectus perditum dare

III 31 quae sibi nec mors possit auferre
33 bona conscientia cum examinatur probatur
34 sequitur quintus uersus: increpasti
35 superiorem enim subruit (*M* subripuit)
40 in sequentibus autem (*M* ait *pro* autem)
41 opprobrii loco dicitur (*M* ducitur)
audi quem pro nihilo habeat deus (*om. ceteris*)
reprobauit — arrogantia sua *om. T; suspecta fuerunt Maurinis.*
pro nihilo aestimantur (*M add.* ab illo)
cū
42 imperiis conferrent quod dignum supplicium censerent
cum uenisset presbyterium plebs
erat fastigio principatus
44 sederunt ut ostenderetur
bonum non esse concilium (*M* consilium)
46 seruus autem tuus meditatur[31])
47 et rerum probantur euentu (*M* ex rerum)
IV 2 incipit uersus (*M* coepit)
3 sollicitudine uitae huius (*M* mundi)
atque
curuatur uulpium foueis se inserit
4 meretriciis quibusdam nos capit illecebris[32])
5 in Thalpio (*M* Thalpioth)
in terrarum inlecebras (*M* in terras illecebrarum)
et supra muros aedificauit ecclesiae
8 caro non sunt quia non sunt in carne
11 non negat lapsus (*M* tacet)
qui solet coaceruare peccata (*M* acerbare)[33])

---

31) *M* cum Vulgata 'exercebatur' (Ps. 118, 23).

32) *M* minus bene 'meretricis'; cfr. de poenit. II 10, 96 'propter amores meretricios', de virginib. III 3, 13 'meretricios amores', de Isaac 4, 24 'imaginem . . . meretriciis quibusdam illitam fucis'.

33) Verba *acerbare* et *coacervare* Ambrosio usitatissima sunt, tertium accedit *acervare,* quae dignoscere non semper facile est, praesertim cum frequenter in codicibus confundantur. Ad usum illustrandum haec ex copia maiore deprompsi exempla:

coacervare crimina (de Iacob I 5, 19. de bello Iud. V 22, 49), *flagitia* (Enarr. ps. XXXVII § 46. de bello Iud. IV 6, 6), *exitia* (de bello Iud. V 18, 55), *praecepta* (de Abr. I 2, 3), *aggeres* (de bello Iud. V 36, 4), *pecunias* (de offic. II 16, 80), *praedam* (de bello Iud. III 3, 12), *multitudinem* (de bello Iud. II 14, 22), *amentiam* (de bello Iud. II 12, 8), *aerumnam* (de interpell. IV 7, 21), *maestitiam* (de bello Iud. I 40, 50), *librum* (de fide V prol. 6), *delictum* (de Noë 28, 105), *peccatum* (de Iac. I 4, 16), *luem* (Enarr. ps. I § 27), *errorem* (Exp. ps. CXVIII 15, 31); *coacervatio doloris* (Exp. ev. Luc. VII 133).

acerbare dolorem (de interpell. I 2, 4. de ob. Val. 3), *invidiam* (de Iacob I 4, 13. epist. 5, 4. de bello Iud. I 40, 15 [ubi non necessaria est Weberi adnotatio: 'an *augebat* vel *acervabat*?'], de offic. III 22, 136 [ubi lego *acerbandam,* non ut Maurini *acervandam*]), *vilitatem servitii*

IV 11 uidetur in se deleuisse (*M* doluisse)
12 sed addidit tertio (*M* *om.* tertio)
et ne
17 sed habeat (*M* si habeat)
19 quod Christus acclinatio sit (*M* caro Christi)
21 hieme perusta atque aestate comam parit (*M longe aliter*)
florentibus menbris (*M* meritis)
24 maioris austeritatis est[34])
V 2 uiam iusticiarum tuarum[35])
ne uoluntaria carpat compendia
8 uelut mortalis diuinitatis (*M* murali)
9 diuinae [*in ras., fuit ut videtur* mundanae] fundebat redemptionis
10 annus ex illis diebus constat (*M* sex)[36])
quinquage qui iubileus dicitur
11 in tempore illo anno//// symo umbra est dies
15 ab his copiis praeparatis (*M* inde copiis *etc.*)
uel aliqui
27 utilitatem alibi habent (*M* alii)
28 de uiridibus frondibus luctantes habere coronas
29 per fenestras tuas (*M* per fenestras oculorum tuorum)
ante
30 quā uideris (*M* cum)
ne capiaris oculis (*M* nec)
si loquax te meretrix (*M* *om.* loquax)
intrat mors si loquaris, intrat mors si multum loquaris (*mendosa repetitio*)
31 cognosce quae sit uanitas sensuum quam oculi tui mystici uidere non debeant *altera manus ad marg. adscripsit inserenda post verba* animae tuae uidere non debeant
non in antiquitate sed in nouitate *2. m. superscripsit ante* non inflauit
32 ne te saeculis alligandum praebeas (*M* saeculi vinculis)
odor
34 ne forte immundus nares
a foetidis peccatorum (*M* et foetida)
35 ecce sunt nares (*M* hae)[37])

(ep. 2, 23), *poenam* (de interpell. IV 7, 22), *bellum* (de bello Iud. IV 13, 18), *molem belli* (de offic. III 1, 5, ubi Maurini legunt *accrvabat*), *crimen* (de Abr. I 6, 49; cfr. Verg. Aen. XI 407: 'formidine crimen acerbat') Item restituendum puto hoc verbum de Noë 26, 94 (*iniquitatem*), de bello Iud. I 45, 38 (*aegritudinem*), de offic. III 6, 41 (*periculum capitis*).

acervare errores (de Ioseph 3, 18; cfr. *coacervare errorem* in Expos. ps. CXVIII 15, 31), *opes* (de bello Iud. V 18, 38). Nostro autem loco aut cum codice *T* legendum videtur aut *acervare peccata*.

34) *M* 'auctoritatis', quam lectionem Mediolanensis quoque editor reiecit.

35) *M* cum Vulgata 'iustificationum' (Ps. 118, 33).

36) cfr. III 27 (adn. 30).

37) Eadem discrepantia cernitur VIII 33.

V 35 odor suauitatis ecclesiae (*M* suavis)
36 claritate solis aeterni (*M* charitate *non recte*)
38 quid de his dicam (*M* de Iudaeis)
sed inscitia in eo est (*M* inscientia)
timor non inuitat ad lapsum (*M* nutat)
41 nec esse [*corr. ex* est] inuentum in ore eius dolum
43 dilutum est omne peccatum (*M* deletum)[38]
46 et tenero id est tenaci[39]
47 audit et dicit (*M* audet)
VI 1 cuius interpretatio sonat est uel et (*omissis ceteris*)
2 ut maledicto superato [-ato *in ras.*]
3 da nobis et reliqua usque ut inhabitet gloria in terra nostra[40]
5 sua prece resuscitauit
6 salit super ecclesiam (*M* super Adam)[41]
8 ora [-a *in ras.*] diuinitatis (*M* odorem)
12 Dorcaticon uisus acutioris est. Quid hoc aptius Christo[42]
13 obtrectationes[43] ora tollebant
ego autem inquit orabam
18 dilecta sibi ubera praebentis [*in ras.*]
20 in teneros annos (*M* in teneris annis)
23 uultibus amatoriis dilecta (*M* amatoris)[44]
26 tempus secandi aduenit quo — condantur (*M* quoniam — conduntur)
fructu curuescit[45] uuarum
sunt et tempora temptationum radices habentes
27 ex ore tuo quae tollunt uerbi semen e saxo ne fructum afferant
28 praesertim si uitam redarguat quod doceri praesumat
30 gradum prouehens (*M* promovens)
31 quid sit qđ [đ *in ras.*] ingreditur
33 coarctatus malitiae suae laqueis strangulatur
33 quia non erubescit auctorem
ut arguat
non confunditur redemptorem
nec
34 nec in actu reprehendatur redarguatur
35 ad implendum praecepta (*M* implenda)
VII 1 gratiae [*corr. ex* gratia et] consolatione

---

38) cfr. 'abluere peccatum' de spir. sancto I 15, 151. de poen. II 2, 12.
39) cfr. II 8 p. 98.
40) Locum (Ps. 84, 7 sq.) perscriptum exhibent Maurin. codd.
41) cfr. VI 12 'salit enim super ecclesiam'.
42) cfr. Maurin. adnotatio.
43) h. e. obtrectationis, *M* obtrectationum.
44) cfr. 'meretriciis' IV 4 supra p. 101 adn. 32.
45) Altera manus superscripsit 'uel turgescit', sed 'curuescit' tuentur loci Ambrosiani de Isaac 7, 60 'baccis onusta olea curvescit' et de exc. Sat. II 61 '(olea) onusta prole baccarum fructus sui ubertate curvescit'.

VII 2 temporalia recusemus futura (*M* temporalium incuriosi futura)
regere ualeamus (*M* noverimus)
3 ergo Dauid [uocatus erat dei uerbo et spem in eo habuit *2. m. superscr.*] quoniam
deus enim quaecumque (*M* sanctis *pro* deus)
si quis ut sunt proposita secutus
4 uocatus sum apostolus, ab inuitante promissum posco
5 potest etiam populis credentibus, potest etiam populis electis alloquium istud aptari, [potest et surrecturae ecclesiae conuenienter aptari *2. m. superscr.*][46])
8 de paradisi amoenitate (*M* felicitate)
n
9 deuotionem nulla superborum iniquitate adtentatus ait
10 euidentissime comprehendentissimeque
12 edormierint somnum suum
et bene somnum dormiunt } (*M* somnium)[47])
uiri sancti hoc esse propositum quo
13 quia puto putat unusquisque quod huius disceptatione
14 immunda est ante deum omnis tumiditas cordis [*Prov. 16, 5*]
igneo
15 curru eleuatus
16 et contra [qui non nouit, non habet unde consoletur. Quapropter custodiamus iudicia dei *2. m. superscr.*] quia iudicia
17 huiusmodi [habet gratiam *2. m. superscr.*] ut
18 pusillanimitas tenuit me pro peccatoribus[48])
ut ex eorum qui arguebantur
21 habere nihil in se quod accuset et iustus non esse
23 cum per quosdam uindicare se posset
Abisai (*M* Abessa)
dixit ei ut malediceret [*II Reg. 16, 10*]
esset a perfidis Iudaeis
iudicaretur sed ex
24 seueritate iusticia aliena persona est
crimen arguere [a *corr. ex* u]
25 etiam currendo non pascuntur, sed ruminare
26 percrepuisse (*M* praecrepuisse)
quia remissio est omnium peccatorum denique iustitias
or
27 in organis ~~amizatis~~ [*sic*][49])
28 exeat seruitio (*M* exuat se servitio)[50])

---

46) Eadem manus VII 6 verba 'Paulus contra nomen — de consolatione', quae extant apud *M*, superscripsit.

47) cfr. de Nab. 15, 63. De interpell. IV 8, 28.

48) In extrema paragrapho versus (Ps. 118, 53) ut apud Maurinos legitur.

49) In margine adscriptum est 'ferro ligatis'.

50) Utrumque ab Ambrosio adhibetur, rarius tamen 'exuere se servitio' quam illud Vergilianum 'exire servitio' (cfr. indicis imitationum

VII 28 Hebraei id est tres pueri naturam[51])
30 tempus praedicandi (*M* precandi)
31 squalorem inmundiciae non ueretur
32 retegenda mandata (*M* relegenda)
absint, ut his
superioris offensam (*mox om.* eam)
33 perfecta caritas (*M* securitas)
sed in lumine dī est quibus adest Christus (*om. sequentia* nox est quibus se denegat)
34 ut tanto magis exaudiaris (*M* quando magis)
35 denique his posterius ait (*M* in posterioribus)
uel operis
36 nisi forte quia processu ~~opem~~ suae fidei ecclesia dum nudatur dominus plus amatur
rimamur
37 et dum eas secreto mentis uoce cantamus

VIII 1 ergo qui timentes deum sunt[52])
cui
3 non sit corporalium possessio
4 si pro me offerat pro me est, si pro me interueniat pro me est *et* hoc est non alii tributarius — ipse mihi hoc est *om. T*
6 hoc est portio mea, haec est portio mea Christus
9 sed utique dominum uerum ait (*M* sed verum deum)
10 quicumque remiserit [*Matth. 19, 29*]
centuplum fiet (*M* centuplo)
centum pondera auri (*M* pondo)
11 sed non habent a domino (*M* debent)
13 unde et sanctus Paulus
quia non sunt consumptae [*Ep. ad Coloss. 1, 24*]
14 et inuenit eum (*M* venit in eum)
15 sed etiam et Pharao potuit esse, uterque
et tu si uis [ut] deus esse
17 uisu cepit fulgorem quem miratus [*corr. ex* mirari *ut videtur*]
qui
19 homines sunt etsi quem nobilem
i datum cui
cuius regiae potestatis commissa pars
exemplis
20 ex his ergo sancti Moysi comprehendamus uidere dei uultum
qui
quasi innocens
21 illud ei dicitur (*M* dicit)
ut deus fieret (*M* in deum)

Vergilianarum exemplum primum p. 83). De Abr. II 5, 19. Enarr. ps. I § 22. De benedict. patr. 11, 56. De Cain II 3, 11. Epist. 72, 8.

51) cfr. II 8 supra p. 98 adnot. 16.

52) Alia exempla similia in huius capitis praefatione composui p. 97.

VIII 23 patibulum ierusalem dominus
24 praeuaricationis reum tenuit quē [-ē *in ras.*]
praeiudicio attrita
25 postea contraxit offensam (*M* propterea *pro* postea)
alterum si non esset ab accusatore
potest igitur haec dici (*om.* non)
26 nonne qui communionem indulget indigno
27 ab ecclesia separatum (*M* a corpore ecclesiae)
28 dixerit propheta (*M* scripserit)
secundum eloquium tuum (*M* verbum)[53])
29 misericordia angelus (*M* archangelus)
31 et conuerti pedes meos in testimonia tua [*Ps. 118, 59*][54])
32 in ipsis coactionibus
cogitans quaeris^que^ uiam
33 ecce nempe sunt (*M* hae)[55])
34 hic itaque cogitauit (*M* utique cogitaverit)
forsitan dixisset unusquisque: cogitaui uias meas et auerti pedes meos in testimonia tua. Ergo prius[56])
mulierem [si auerterit non tantum pedem sed et mentem ut *2. m. superscr.*] diligens concupiscens
35 ne forte mens inflammet ardorem
37 contra quae luctandum nobis[57])
uideret a siris (*M* Assyriis)
quae essent haec grauia (*M* quam)
40 quibus possessio — diffunditur (*M* quoad)
detestabilis sim usu peccatorum (*M* detestabilissimus peccatorum)
41 et proiciamus a nobis (*M* abiciamus)
opera manus tuae (*M* opere)
42 quae duri peccatores ligant (*M* dure)
43 quibus reguntur (*M* quem sequuntur)
spei
uinculis caritatis asstricti et amatores
uel
laqueos eorum uel perniciem mentis incurramus per nostrae
alius perniciem lapsum
mentis incurrat ne animae nostrae
custodiuntur nec causas
nec excubiae cautionis habemus intentas
44 praescriptura defendit (*M* praescripto)
cum diceret ad custodiendum tibi
45 addidit media nocte surgebam docens surgendum esse

53) Eadem discrepantia XI 7.
54) *M* 'averti', idem *T* paullo infra.
55) cfr. V 34 supra p. 102.
56) Idem praebet Reg. cod. a Maurinis inspectus.
57) *M* 'lucta'; cfr. Enarr. ps. XXXVI § 17 'nobis lucta cum saeculo est'.

VIII 46 spiritalis nequitiae tenebras[58])
48 seruito conuiuio (*M* te servato)
51 tibi ipse fias meridies (*M* facias meridiem)
52 omni agendum uirtute (*M* tempore)
56 sed quibus timor iste non sanctus uidetur
misericordiae indigent (*M* misericordia)[59])
58 uelut effigiem quandam coelestis includere potestatis
in r r
IX 2 et occurrit intepetatione quod
per dubia et praerupta (*M* devia)
leuauit desiderium (*M* levant desideria)
5 Hieremiae scripta
recordatione dictorum (*M* delictorum)[60])
6 pecunia honor aurum (*M* *om.* honor)[61])
7 siquidem est et seueritas dei in bonitate ut recurrat unusquisque
a recto
8 qui autem corde declinauerit
9 ΦΩΡΤΙΟΝ ΜΟΥ ΟΤΙ ΧΡЄϹΤΟΝ[62])
10 ipse enim mihi dedit cor quo sciam cognitionem ueram [*Sap. 7, 17*][63])
15 etiam iustus disciplinam saecularem accipit
fructus euangelii homines sunt hoc est rationales sancti
17 cum odiosis non habentibus pacem eram pacificus [*Ps. 119, 7*][64])
Ecce [multiplicatae sunt nequitiae spirituales *2. m. superscr.*] quia si(c) multatus est, ecce [multiplicata est iniquitas *2. m. superscr.*] quia ei innocentia sua nihil prodest
obtrectatione autem iniqui (*M* inimici)
18 reddere potest. Qui si et amissis filiis
20 sequitur VII (*M* ideoque subdidit)
21 et probauit affectu (*M* effectu)[65])
X 1 potentia alicuius aduersatur
3 dabit in sepulturae fossura os suum [*Thren. 3, 29*][66])

---

58) *M* melius 'spiritales nequitiae', quam locutionem saepissime Ambrosius usurpat; cfr. IX 17. X 14. XI 21. 26 etc.

59) Utramque Ambrosius novit constructionem. De parad. 1, 2 'indigent eorum', Enarr. ps. XLVIII § 13 'indigeo redemptore' al.

60) In adnot. ipsi Maurini 'dictorum' concinnius esse dicunt.

61) cfr. adnot. Ballerinii.

62) Graeca vocabula vel enuntiata huic scriptioni inserta in nostro codice plerumque depravata corruptaque sunt utpote scripta ab homine graecae linguae imperitissimo.

63) *M* 'eorum quae sunt' pro 'cor quo sciam'.

64) *M* 'cum odio habentibus pacem', Vulgata 'cum his qui oderunt pacem'.

65) Idem mendum VIII 18 'irritus quidem erat postulationis affectus' (pro 'effectus').

66) *M* 'dabit in sepultura os suum', Vulgata 'ponet in pulvere os suum'.

X 3 ne dum ferire [potens iniuriam faceret, indicium humilitatis non exhiberet *2. m. superscr.*][67]
non aliter esse saluandam (*M* servandam)[68]
4 unde et populi duci — cupienti ait
que
6 non in auium [au *in ras.*] ceterarum more curuatus animantium
7 et pretiosum uir misericors [*Prov. 20, 6*][69]
ob gratiam
8 nisi studiosam tui ~~operationem~~
10 et pretiosum uir misericors [*cfr. X 7*]
altero te perspiciens altero subicias altero recognoscas[70]
et quicqid fueris tibi soluis et quicqid fueris tibi proficit
11 ut hominis nomen admittat
nec illam in incendium mittit
12 quam cum secundo remigio labitur fluctu et uentorum flatu
14 estis saluificati [*Ep. ad Ephes. 2, 5*][71]
illi laudant, filius hominis sedet
16 conformet qui amisisti
17 uoluit saluare quod fecerat [*cfr. X 3*]
caro nostra saluatur [*cfr. X 3*]
18 cetera animantia (*M* ceteras animantes)
21 sine auditu (*M* auditione)
milis
esse sapientis si sed qui
22 quoniam in uerba tua speraui (*M* quia — supersperavi)
quod uult ipse in se seruare si possit
si uidearis et prosis
25 ecclesiae in illa muliere figuram esse (*M* ecclesiam — figuratam esse)
26 quas imagini dei congregamus iniurias
uel minimam contumeliam (*M* minimo)
nisi fortis existeret
28 animaeque defecisset. dominus quidem
32 diuitias rerum — causas (*M* regum — causa)
prosperitate letetur
subiret constantiam aequanimitate tolerantiae
33 secundo prouentu (*M* secundorum)
que
34 egregiam et singularem prophetae expetat uirtutem
et cingi animam (*M* ungi)[72]
36 diuina consolatio (*M* digna consolatione)

---

67) Eadem editores ante Maur. legunt.
68) X 17 bis eadem discrepantia deprehenditur.
69) *M* addunt 'opus'; cfr. X 10 ubi *B* quoque 'opus' omittit.
70) cfr. Maurinorum adnot.
71) *M* 'salvi facti'.
72) XII 28 'ungamus igitur oleo lectionis nostrae mentis lacertos'.

X 37 in illa die (*M* hora)
41 est correctio nostra (*M* corrector est nostri)
inequitantes uiduis ac pupillis[73])
quomodo existimem
42 exerceri in praeceptis domini nisi quia dixit
se cupiat uindicare (*M* incipiat)
44 prophetaeque doctrinam (*M* propheticamque)
45 propheta tantus (*M* tantum)
46 crimen euellere (*M* crimina eluere)
uel nudis cogitationibus inquinatum (*M* immundis)
aqua turbida influat (*M* turbidum fluat)
sincerae pietatis unda (*M* sincera)
confessione peremit (*M* praevenit)
XI 3 ut tamquam corporeas fatigationes[74])
longa quadam intentione (*M* intensione)[75])
me dei inhians
4 suscipiens ergo dextera animae maeae et de sua uirtute mihi imperciens
etiam hoc exemplo (*M*, *om.* hoc)
7 in eloquium tuum [*Ps. 118, 82*][76])
uno ab oculorum tuorum [*Cantic. 4, 9*][77])
9 currente de proelio [altero post alterum qui nunciaret *2. m. superscr.*] positis in turre
11 cognoscendae ueritatis (*M* divinitatis)
12 non forensi sermone sapientiae sed in ostensione spiritus
13 perceptio continentiae (*M* praeceptio)
14 molliori ductu (*M* mollior)
16 persecuntur nos (*M* persequentium)
meritorum poenis (*M* praemiis)

---

73) *M* 'puellis' minus bene. Solet enim Ambrosius viduas et pupillos componere; cfr. e. gr. XII 44 'viduae vel pupilli'. XVI 6. 7. De offic. II 29, 144 'viduarum causa et pupillorum'. II 29, 146 'viduarum victualia et pupillorum'. De bello Iud. V 43, 12 'deposita viduarum vel pupillorum'. 'Inequitare' autem idem fere significat ac 'premere, urgere, illudere' saepiusque est ab Ambrosio usurpatum: De bello Iud. V 5, 11 'Simoni inequitabat [ita Cassel., vulgata est 'inquietabat'] Iohannes'. De ob. Theod. 7 'et inequitare hostis mora belli videretur'. De offic. I 48, 232 'quibus peccator insultat conviciatur inequitat'. Epist. 10, 10 'is nunc Mediolani — inequitavit' [codd. nonnulli 'inquietavit']. Epist. 70, 21 'insultare . . . et inequitare quod' e. q. s. Eodem sensu invenitur apud Macrobium Saturn. VII 15, 15 '(medicina) audet inequitare philosophiae', et Arnobium Advers. nat. V 20 'tam foedis inequitare mysteriis', VII 30 'frustra inequitas nobis'.

74) *M* 'corporeae fatigationis'. Veteres editt. ut *T*.

75) Eadem discrepantia XXII 23.

76) *M* 'verbum', Vulgata 'eloquium'; cfr. VIII 28.

77) *M* 'uno ab oculis tuis', Vulgata 'vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum'. In cod. *T* altera manus 'ab oculis tuis' superscripserat, quae posterior erasit.

XI 18 ne possit exurgere (*M* excutere)[78])
20 propheta refutat [-ta- *in ras.*] atque (*M* refugit)
25 offendit [quando mediastino filio delyrante *2. m. superscr.*] contumeliam
29 ne pausillulis uineis noceant[79])
XII 1 legisti Maria gestabat omnia
2 nihil saeculare nihil corporeum *desunt in T*
Christo digne sentire (*M* digna)
7 quomodo permanet habitator (*M* potest permanere)
8 et hic uel locum consideremus (*M* ethicum)
9 continuos non nouit (*M om.* non)
15 somno torporis (*M* corporis)
19 curuauerunt genua ante Baal (*M om.* ante)[80])
20 ipsam uel in (h)emicyclio (*M* hemicyclo)
21 abundantes in omni bono (*M* verbo)
22 et in locum suum uadit (*M* trahit)
23 immanitatis impietate (*M* impietatis immanitate)
inanes et ignobiles habebantur (*M* immanes)
28 ut in incertum nec *desunt in T*
40 quia mea largicio est. Non est meus quem aura mobilitatis inquietat ... Non est meus uini crapula temulentus illuuie
impurus cupidus
ambicionis gloriae saecularis ebrius in periculum qui non potest sobriae moderationis seruare uestigium (*ita editt. ante M*)
Ut quid mihi eum (*M* Quid mihi ad eum)
qui
41 ut ego aut moerore mutor aut indignatione, [non est Christi *2. m. superscr.*] Uenit *e. q. s.*
43 adhuc in corpore positus (*M* in corpore adhuc situs)
me expectauerunt peccatores ut perderent me (*M* iusti ut deducerent me)
44 atque ex pectore fidem extorquere conati sunt (*M om.* ex pectore fidem)
cogitatione peccati (*M* contagione)
50 ne nos coarctaremur (*M* coartemur)
tangitur
51 in exitu ~~canitur~~ [*sic man. poster.*]
in amplis autem fiducialiter agit, platea enim (*M* plateis *pro* amplis)

78) Ut *T* etiam cod. Reg., reliqui libri 'excutere', quod num iure praelatum sit a Maurinis dubitari potest.

79) 'Pausillulis' pro 'pauxillulis'. *M* 'pusillulis', quam vocem Georges lexico suo (edit. VII) inseruit, etsi altero testimonio non confirmatur; neque enim delegare debuit ad Ambr. Cant. cant. 2, 62. Cfr. de exc. Sat. II 68 'pauxillulum'. Hex. VI 9, 54 'pauxillitas' (codd. duo 'pusillitas'). De spir. sancto I 16, 156 'pauxillitatem' (*M* cum parte codicum 'pusillitatem').

80) cfr. XII 40 'mihi sua colla curvavit'.

XIII 1 Mem littera sonat in latinum ex intimis et ut alii ignis ex ultimis et utrumque (*M longe aliter*)
2 in uos in igne irae meae (*M* in vos ignem)
5 quomodo [super eos intellexit *2. m. superscr.*] quos
6 gladium quo Christi nomen non refutet
10 testimonia tua meditabar (*M* meditatio mea est *Ps. 118, 99*)
ex noui
et illo respondere et ex illo supra illos intelligo, qui non intelligebant
12 sunt alienorum iudicio (*M* aliorum)
erogata
13 siquidem dei gratia ad doctrinam maturitatem aetatis progreditur
14 de quibus dictum est *om. T*[81])
indocilem (*M* indocibilem)
sponsum autem incanae iudicium senectutis incensum est et ueterani consilii[82])
longaeuitate profertur (*M* praefertur)
15 quae in coelo sursum est (*M om.* sursum)
16 ab omni inquit uia mala (*M* maligna)
tactus
diuino est spiritu (*M* honoratus)
labatur non malum
ut ad unum affectibus et currentem [cuncta in praeceps suscipiant probra atque toto e *2. m. superscr.*] uestigio feratur in uicium, docet quemadmodum uiae istius *c. q. s.*[82])
lubricam [declinans semitam *2. m. superscr.*] itineris huius
17 cum perducunt ad dei templum (*M* prodeunt)
operantes (*M* omnes qui operantur)[83])
20 per uirginis uterum (*M* partum)[84])
Christus nostri conformis (*M om.* nostri)
altero per imaginem. Per imaginem dei et carnis et itinera tua cognoui et te secutus ueram cognoui uiam
24 inebriauit gratia spiritali ut anxios iucunditate mulceret; susceptione etenim corporis uisitauit ut sanaret infirmos[85])
26 quod filicem inuisam pascit (*M* quae — parit)[86])
pabula sacramenti (*M* pascua)
28 secundum mandatum domini (*M* verbum)
sicut habetur
XIV 1 uel in alia interpretatione Pascua

---

81) Legendum esse puto aut cum cod. *T* aut 'isti sunt seniores plebis de quibus dictum est quia'.
82) cfr. Maurin. adnot.
83) cfr. XX 47.
84) XIV 4 'per virginis partum'.
85) Enuntiata transmutata sunt ut XIV 29.
86) cfr. IV 21 ubi *T* exhibet 'parit', *M* 'pascit'.

XIV 2 interpretatio [quae est pascua hoc est fidelium. Quae sunt pascua][87]) nisi Christus?
lilium quod sit splendor (*M* lilium hoc est splendorem)
pascua uerba sunt (*M* libri)
4 multa saciaret (*M* saturaret)
6 lumen refulsit ei (*M* circumfulsit eum)
7 is nostro ore (*M* isto nostro ore)
mitte oleum ne deficiat tibi quia *desunt in T*
non oleae terrestris (*M* oleum terrestre)
hoc oleum curat aegrotos (*M* sanat)
si autem in te est tenebrosa (*M* *om.* in te)
10 operantibus [cum sit quidem angustiis opertus *2. m.superscr.*] sed non angustus ad intellegendum
operimento corporeae tenebris constitutus
11 hanc sicut lucernam et sicut in nocte
15 oboedire nequeat communis officio naturae
16 ulcere graui — saeuis uulnerum uibicibus
atque
17 deus potestates
22 ei esset oblatum (*M* domino)
23 nihil sine ratione *desunt in T*
24 iuxta promissum dei (*M* secundum)[88])
ore flores[89]) legere
26 sed non in omnibus oris uoluntaria placent
noli dicere quia iunior sum
qui excusandum aut officium suum certa aliqua causa necessitate concedant
29 propterea in manibus meis anima mea. ego tamen nec periculis territus tuae legis oblitus sum[90])
31 habent tamen propria sua (*M* proprietates suas) singulae manus sapientiae. Nam in dextera eius longitudo uitae est[91])
33 quae totam complectitur (*M* qua)
in
quia laeua sapientiae sunt
longitudinis et gratiae plenitudinem
quod longitudinem uitae complecteretur aeternae
ti
34 partis aut derelectis (*M* paratis)
inani//[92]) saecularis iactantia dignitatis ambiuit

87) Quae uncis seclusi in rasura leguntur.
88) § 27 etiam Maurini 'dominus iuxta promissum suum' habent.
89) Legendum cum *M* 'filios', cum sit imitatio Vergiliana; cfr. indicis supra positi exemplum 65 p. 88.
90) Enuntiata transmutata sunt ut XIII 24.
91) Primo scriptum erat ut *M* habent, emendavit manus posterior; cfr. § 33 'quia in laeva sapientiae sunt divitiae et gloria' et infra 'neque enim communis vitae similis vita in dextera est sapientiae, sed longitudo vitae est'.
92) Fuit 'inanis'.

loqui
XIV 34 in Esaiae libro dicuntur
non polluerit atramento insipientiae sed spiritalis ea gratiae candore mundarit
35 regnum coeleste diuini status promissione reseratum est
39 ante te laqueo uenator, ante quasi praedam
42 dando leges meas — ero memor
comminiscens
sibique qui obliuisci
44 cum in carcerem traderentur (*M* truderentur)
46 nolite exaltare cornu uestrum (*M* cor)
sis
XV 2 quod superflue habens aurem corporis qui
uirtutem animae quae examinat quaecumque audiuntur habent amputatam
4 grauibus incuruata peccatis[93])
5 ab Hieremia non excidium Iudaeorum[94])
6 in uia stare consueuerant (*M* debuerant)
ut cedros Libani (*M* ultra)
7 praesentem seruitutem (*M* praesentium)
8 fratris defuncti ritu// ueteri//
passionis sic habetur
11 istius et affectus lubrici passionibus
14 iam cetera dentes et genas (*M* iam certe)
sicut coccineum resticulum[95])
uel modestia uerecundi (*M* modesti ac)
15 quanto ergo dominus noster perpendat affectum[96])
nec
16 quod creatus sum matrem
17 qui non eguisti ut uinceres (*M* diceres)
18 abducere potuerunt (*M* deducere)
19 itaque fratricidium pater quidem fleuit (*M* parricidium)
28 sperandi auctoritas (*M* sperantis)
31 per superbiam sua mundare peccata
et quia cum discessisset poenituit
finitiora uel uicina conectant
32 quando omnes peccatores sumus (*M* sub peccato)
33 uide quid subiecit his (*M* nam subiecit)
posthabet ecclesiam et ad cultus transgreditur
34 siue hoc siue [illud sit e diuerso unum significamus pecca-

93) *M* 'incurvatam' scil. 'cervicem', quae tamen vox longius videtur abesse.
94) *M* negationem, quam habent veteres editiones omnes, in suis codicibus non invenerunt.
95) Sic etiam *B*; Maur. 'coccinum'. Sed cfr. XVIII 22 'resticula coccinea', Exp. ev. Luc. X 104 'chlamydem coccineam', de poenit. II 10, 94 'veste purpurea atque coccinea'.
96) Vide Maurin. adnotat.

torem alterum praeuaricatorem *superscr. fortasse 1. m.*]
quia minuit

XVI 1 oculo utimur uidendi munere, sed uidemus ea
ita peccatores

5 quia sicut iugi loco uitulae adtrahunt iniquitates

9 perfidia pertinaci (*M* perfidiae pertinacia)

10 alterius pocius quam (*M* magis)

11 hic precatus est[97]) aerumnam
sacerdotum primum (*M* sacerdotem)

12 ne tentet uos inquiens satanas propter[98])

13 tradidit satanae (*M* tradidi satanae dicit)

15 quomodo calumniatur singulos (*M* singulis)[99])

16 nomen eius extinxit (*M* lumen)

21 habe ergo oculos (*M* habet)
unde mens humana (*M* ut)
et super plenitudinem. unde: et nos omnes (*om. ceteris*)

22 gemellinos creant (*M* gemellos)

29 quia baptizatos licet — mundari

30 uere dentium fulgor (*M* verus)

34 remunerationem non sperat (*M om.* non)
ut possit cohibere (*M* sciat cavere)
sed ut redundare sibi crederet (*M add.* non)

37 quo melius tempore subueniret. [iam uenit et abiit et iterum uult uenire et tempus nescire *2. m. superscr.*]

38 omnia deus tempora fecit (*om. voce* nam)

41 unde et nominatus est ab eo loco in quo gigni//tur
reuerti nequiuisse (*M* regredi)

42 ΠΡΑCOCΙΛΗC[100])
bene insignitus mirabilis summo studio dignus habetur dif-
insignitur
ficile inuenitur et repertus raro tamen

43 hoc enim plerique ad conuersionis studium reuocare solebant quod (*om. voce* propter)

45 restringit a luxu (*M* luxuria)

XVII 1 Fe littera XVII latine significat erraui seu os aperui. Merito lacrimabilis
exitus inquit aquarum traxerunt oculi mei [*Ps. 118, 136*][101])

---

97) Ita correxit 2. m.; fuit 'precauit', quod retinent Maurini iure opinor. Cfr. XVII 23 'quam iure precavit' (*T* praecatus est). Apol. David 6, 27 'eo usque precavit'. Priscian. VIII 29 (Keil, Gramm. Lat. II p. 396) 'preco' et 'precor' dici testatur.

98) *M* om. 'inquiens satanas', *B* om. 'inquiens'.

99) Addenda videtur cum *B* aliisque editoribus negatio.

100) h. e. πρασοειδής, quae vera lectio est (πρασοιδής *M* et *B*); cfr. Haupt in Herm. I p. 35.

101) *M* 'deduxerunt', *B* 'descenderunt'; cfr. § 36 'sed ego in graeco codice meo κατέβησαν legi hoc est descenderunt, in quo potest fieri ut

XVII 2 aduenas atque peregrinos ciuitatis iure conexuit[102])
4 nisi qui non obscuram (*M* secundum obscuram, *B* in obscuro)
maior quaedam — in ultimo statu — necessitate — deiecit
6 offensum deum esse permisisti sed ut caldeorum errores
patrum[que] cognationem (*paullo superius* cum Abraham *pro* cum in Abraham)
ego quoque pastor malignum feci (*M* quippe)
9 cum benedictiones ederet (*M* ediceret)
10 hoc os aperuit non solum Christo (M aperi)
14 pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis[103])
16 quid sibi uult quod ait (*M* addidit)
calceat ergo se carnis anima uel ecclesiastica gratia
bonus gressus est uestigium castitatis
non ad praecipitium (*M* praeceptum)
17 corpus suum peccatis immune seruauit (*M* peccati)
19 accinctus diuinitate et generatione calceatus humana
23 iure praecatus est[104])
25 ut Ioseph non solum adulterii obiectione (*M* oblatione)
ad crimen
inuitamento herilis illecebrae
elogio
composito quod ipse
30 uultus rutilans offunditur (*M* rutilantis ostenditur)
32 tamquam decursus descendunt aquarum
35 oculi mei caligauerunt [*Thren. 2, 11*][105])
XVIII 1 oportunae consolationis indigent[106])
4 Moysi legis oracula et prophetarum dicta
5 debet expectare certamen quia nemo sine certamine coronabitur
sed labore exercitos ornat uictoria
6 quia os eius ad iracundiam irritaui. [Et sub alia littera *2. m. superscr.*]: ita foris sine filiis fecit et ab intus mors [hoc est sicut in paradiso fecit ita et in huius saeculi erumna deseuit. Inuidia enim diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Iustus es domine *2. m. superscr.*] Clamabant Hebraei *e. q. s.*
ego pastor feci malum[107])

---

in utramlibet partem duarum adiectione aut diminutione litterarum scriptor erraverit'. Vide etiam quae praecedunt.

102) *M* 'advenis atque peregrinis — iura'; cfr. de Cain II 3, 12 'eaque gratia populos conectit'.

103) Enuntiata transmutata sunt ut XIII 24. XIV 29. Eodem ordine in extrema paragrapho leguntur.

104) cfr. XVI 11 adnot. 97.

105) *M* et *B* 'conturbatum est cor meum'. De poenit. II 6, 47 versus ut in cod. *T* legitur.

106) Pro Maurinorum 'oportebat consolationem sequi — indigent'.

107) *M* 'malignum' ut supra XVII 6.

XVIII 6 unicus a se filius posceretur (*M* a sene)
7 culpae suae poenas luit[108])
11 iugulato^tam heresim
tricem h
generatorumque perfidiae (*M* generatoriumque)
r
zelus domus tuae conrodit me [*Ioan. 2, 17*][109])
19 uiriditatis excluderet (*M* exueret)
coepit non est hic in natura
sed deuio lapsa est errare progenies sed usus in culpa
20 illud morum uel operum examinatur argentum
Christum per fidem facit
hic ignis habitare hic ignis extinguere
ignitum domini alloquium[110])
29 Moyses non imperauit sed obtemperauit[111])
30 atque indefessa conseruet (*M* inoffensa)
31 quasi uilis et abiecta contemnitur
35 acceperit [quae ad uitam aeternam non pertinuerint *2. m. superscr.*] quod non
37 sicut enim testamentum uetus [uenit non soluere sed im-
sicut
plere ita nouum certificare *in margine scr.*] sed omnis
gratia
38 non fuisset facta
42 ergo mors dominata est in eum utique qui dixit non dominabitur
XIX 1 febresque sunt animorum (*M* fervoresque)[112])
v
2 morbi uires urget (*M* vis)[113])
5 quae restinxit ignes (*M* restrinxit)
cupiditatem quae [compescuit insolentiam uiciorum *in margine scr.*] quae
8 nec uiuens clamat (*M* uiuentis)
corde
sed non audiunt (*M* exaudiunt *om. voce* corde)
10 denique et ipsius loci (*M* ut)
11 noli pro possessione quia terrena est (*M* terra)[114])
14 diminutione gratiae (*M* deuotionis gratia)
22 ad sacrificii spiritalis oblationem feriatam transmissum

---

108) 'poenas' in ras. 1. manu, *M* 'pretium'.

109) Sed § 12 cum *M* 'deuorauit'.

110) *M* 'eloquium'. Eadem discrepantia § 21, ubi *B* facit cum *M*, cum § 20 praeferat 'alloquium', quod utroque loco scribendum est; cfr. § 22 'ignitum domini alloquium', ubi codices consentiunt.

111) *M* 'impetravit' non bene; cfr. Hex. II 2, 4 'imperat naturae, non possibilitati obtemperat'.

112) 'Fervor animi' Ciceroniana locutio est; cfr. § 2 'animi fervore'.

113) Cfr. Enarr. ps. XXXVI § 18 'ne diutius vis ulceris serpat'; de interpell. IV 2, 4 'ne medicamentis compungatur vis ulceris'; de Elia 6, 18 'veneni vires (virus?) evacuans'.

114) cfr. XXII 13 ubi contraria cernitur discrepantia.

XIX 23 in cubiculo meo (*M* cubili)
quia etiam in cubiculo quaesiuit (*M* cubili)
24 ibi dederunt mandragorae odorem (*M* tibi)
sed feminas grauis odor significat. Ergo — coeperunt [-erunt *in ras.*]
euersata quadam imbecillitate (*M* evirata)
28 qui audit tantam (*M* quia vidit)
manus tuae non operentur — largiantur — subleuent — honorent
mortuos honorent tumulis sepulturae (*M* tumuli sepultura)
29 fastigia pietatis (*M* pinnae)
31 in sermonibus suis [a mane usque ad uesperam iudicium domini operiendo: quod uidens cognatus eius esse intolerabile, consilium dedit negotii consummandi partito cum aliis onere *in margine leguntur*] qui ad hoc munus electi sunt
35 sed is et a lege dei se separat et ab aeterna uita (*om. ceteris*)
37 et ubi est dei spiritus ibi deum esse, et ubi est deus ibi spiritum eius esse praesentem
indiuidua copula trinitatis (*M* individuae)
38 quod procedens toto orbe
41 qui contriti sunt corde (*M* contrito)[115])
XX 1 beluinae obscenitatis (*M* feditatis)
3 ut simus humiliores (*M* humiles)
6 generationis suae insigne (*M om.* suae)
cum luctari se paruuli uiderentur in utero eius[116])
12 si sic eum uolo manere [*Ioan. 21, 22*]
14 caro illius subiit (*M* illa)[117])
glorietur
nemo de meritis nemo[118])
15 habet paleam quae possit exuri (*M* stipulam)
16 est ergo humilitas[119]) in secundis et prosperis
17 numquid ditior *desunt in T*
per Christi humilitatem (*M* per unius domini Iesu oboedientiam)
18 quaerebat. [Ego inquit si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum *in margine scr. 2. m.*]. Accipe
19 qui non nubunt neque ducunt uxores sederunt [*Matth. 22, 30*][120])

115) XIX 42 'contrito corde', XXII 5 'corde contrito' saepius.
116) *M* 'iactare se'; 'luctari se' ferri nequit, debuerat esse 'inter se'. Cfr. Enarr. ps. XXXVI § 57 'in matris ventre luctati sunt', de Cain I 1, 4 'easque exsilire intra uterum sentiret suum'.
117) Ibid. 'mortem caro illius gustavit'.
118) Eadem manus quae infra secuntur verba 'misericordiam invenire quoniam' superscripsit.
119) In margine 2. m. haec adscripsit 'laboriosae fatigationis; est et humilitas virtutis atque propositi quam'.
120) cfr. Exhort. virgin. 4, 19.

XX 20 uirtutes. Amorem dei te probato imitari caritatisque coelestis et addidit[121])
agonem
21 certaminis coronam
25 unde et dominum accipiens in templo ait (*M* vidit enim dominum)
29 non ergo multum misericors (*M* num)
31 nulla offensione *desunt in T*
36 scitis iure imperat (*M* iuris)
37 nisi quod possit nolit (*M* posse)
non uult posse quod non amat, non uult aduersus fidem
38 licere quod non noceat (*M* liceat)
40 quemadmodum per mensuram dat gratiam, ne super mensuram sit, ita per mensuram
singulorum opera pensantur, ut si bona malis praeponderant
42 nostra leuare peccata (*M* eluere)
43 secundo successu (*M* secundante)
44 persecutiones acerbae (*M* persecutionis acerba)[122])
45 si nulla te persequeretur (*M* nisi illa)
46 mentem hominis frequenter allidunt (*M* elidunt)
47 operarii iniquitatis (*M* qui operamini iniquitatem)[123])
48 discedere a fide (*M* desciscere)
49 oris autem confessio fit (*M* ore)
56 ultimus uersus litterae huius (*M* sequitur versus octavus)
ita
sicut est initium sapientiae timor domini Plenitudo sapien-
sicut
tiae dilectio. Lex enim sapientia plenitudo legis dilectio ita plenitudo uerborum
57 martyrii passione (*M* martyrum)
58 caue ne ligna caue ne stipulam ad iudicium tecum deferas
XXI 1 super uulnus malagma uel pannus[124]) alligatur a quibus omne uulnus fouetur
3 uulnera dura (*M* vulneris)[125])
4 transilibit calix (*M* pertransibit)
8 terribilem conspectus specie contuetur
detraxit dona adduxit unde
11 ille uindicauit et saba in uiri excelsi a domino Iesu[126])

---

121) Longe aliter Maurini; cfr. Ballerinii adnot.

122) cfr. infra XXI 3 'vulneris dura' (*T* uulnera dura). Maurinorum lectio magis Ambrosiana videtur. Similia enim sexcentiens apud Ambrosium inveniuntur, velut 'correptionum saeva' (Enarr. ps. I § 7), 'persecutionum saeva' (Enarr. ps. XXXVI § 25), 'dura saxorum, nemorosa silvarum' (de exc. Sat. II 64), 'irriguo fontis' (ep. 63, 26) etc.

123) cfr. XIII 17.

124) Verba 'uel pannus' in rasura leguntur (1. m.?)

125) cfr. XX 44. adnot. 122.

126) Vox 'invaserat' inter 'ille' et 'vindicavit' deest.

XXI 13 murem uel hominem abhominabatur
14 iniquitatem exsecrantur (*om.* et refugit)
15 sine ullis iracundiae imprecationibus
16 nunc discimus quia (*M* dicimus)
17 non commentis uel poetarum fabulis
efficiat miles bella
ut [u- *in ras.*] corporea ipsius fortitudinis et confecto bello pacem formet
18 et pater filium (*M* fidem filii)
20 uides sine liberis iustum et honoribus temptaris
typus legis qui excludere (*M* quae)
uersatus
semper legis populus in ancipiti bellorum est
21 ubi pax est et multa pax
24 quoniam omnes uiae meae in conspectu tuo [*Ps. 118, 168*][127])
XXII 1 sed quid est quod interpretatur? (*M* sed vide quid interpretetur)
5 quanto inprobior est uita (*M* improbabilior)
13 regem istum terrae (*M* terrenum)[128])
14 et quid dicam? Rogans sic unusquisque
16 satis longaeuo cursu istius diuturnam (*M* istius vitae)[129])
20 locuti fueritis reddetis (*M* fuerimus reddemus)
obsepias, ne loquaris quae saeculi sunt, audias quae saeculi sunt. Sed quod peius est
23 ab omni intentione mentis (*M* ab omnis intensione meditationis)[130])
25 in umbra laudamus *et* in terra aliena sumus *desunt in T*
28 dum tu moraris in montibus (*om. verbis* dum tu versaris)
ni
29 serpenti/// diu ulceris uenena (*M* serpentis diri)
34 ne tu propter me portare dubitares (*M* pro te)[131])
37 spectandi ac tuendi (*M* speculandi)
14) cf. p. 195, 22.
15) cf. p. 201, 8 quod tamen quin designatoris incuria ortum duxerit ipse vix dubito.

pingue reddidit ει litteris sibi ipse tamen non constans.[1]) denique quod ceteri scribae interdum admiserunt, ut vitiose inter binos versus dirimerent voces[2]), id hic evitasse videtur. accedit quod plane in alio argumento haec fragmenta versantur, ut mox exponam.

separanda igitur duco haec ab eis quae adhuc conposuimus; notandum autem videtur quod haec fragmenta omnia designavit Malesci, inciderunt Celentano et Corazza. hoc volumen in sequentibus littera IV b designavi. quod si in his impugnanda erant quae caussis non additis de voluminum partibus indicaverunt Neapolitani, de ceteris haud aliter statuemus. externa enim pagellarum forma, litterarum species, scribendi ratio, argumentum testatur conponenda esse ea quae e volumine 444 petita dicunt Neapolitani.[3]) tamen multum est quod conveniat cum illo quod primo loco descripsimus. stigme supraponitur post enuntiatum finitum[4]), spatium expletur eodem modo <[5]), ποητῆς[6]), πόημα[7]), πόηϲιϲ[8]), ποητικόϲ[9]), ποεῖν[10]) — numquam ποιεῖν — scribitur. designavit haec fragmenta omnia G. B. Casanova, inciderunt complures. argumentum quoque quod condicione mox exponenda cum primi illius voluminis fragmentis cohaeret, in sequentibus primum illud nota IV a, hoc IV a_1 vocabimus.

fragmenta denique quae volumini 463[11]) adscribunt Neapolitani neque formae externae neque argumenti similitudine cum ceteris iunguntur. linea in margine sinistra addita enuntiati finis indicatur[12]); ceteroquin caret notis. fragmenta haec omnia Celentano designavit, inciderunt complures. IV c hoc volumen vocabimus.

iam de singulorum voluminum argumento et de nexu quo cum ceteris de re poetica commentariis cohaereant quaerendum est. initium faciamus a volumine illo [963 IV c] quod modo descripsimus. id enim ab hoc loco omnino alienum est: ad rhetoricam spectat artem non ad poeticam. docere hoc possunt fragmenta duo ab Usenero edita in indice Epicureorum. primo [CA. IV p. 206, Usenerus l. s. s. v. Ναυϲιφάνηϲ] invehitur in Epicureos qui artem rhetoricam ipsi non excolentes pueriliter in Nausiphanem declamant, Idomeneum

---

1) cf. p. 195, 2 μεικρῶν, 4 Εἴλιον, 18 βελτείουϲ, 165, 6 γεινώϲκειν, 201, 7 Εὐρειπίδει; sed cf. 195, 14 Εὐριπίδην.
2) cf. 114, 19 εἰϲ πάν|τ', 117, 23 ἐ|ν (vol. 460), 192 κα|κόϲμον (vol. 1074).
3) CA. XI p. VIII: 139. 141—51. 153—54. 167. 181. 197.
4) cf. p. 142, 4. 143, 6. 144, 11 etc.
5) cf. p. 143, 4. 151, 13. 167, 2. 5 etc.
6) cf. p. 141, 3. 148, 10.
7) cf. p. 145, 7. 151, 7.
8) cf. p. 144, 8.
9) cf. p. 148, 5. 151, 5.
10) cf. p. 146, 8. 154, 11. cf. 153, 7: ἐποποία.
11) CA. XI p. VIII p. 182—91. 204—8.
12) cf. p. 182, 14. 184 fr. a, 4. b, 11 etc.

ipsorum sectae hominem extollunt. altero [CA. IV 208, Usenerus s. v. Ἀπολλοφάνηϲ] per ironiam describitur quantopere audientes inflammaverit Apollophanes rhetor quidam, ut videtur. in ceteris quoque fragmentis ars rhetorica tractatur cf. 190 fr. b, 13 τὴν ῥητορικήν, p. 205, 6 τοὺϲ ῥητορικούϲ, p. 207, 13 περὶ τῆϲ ῥητορικῆϲ, dum ex vocabulis artis poeticae propriis ne unum quidem occurrit. non dubitamus igitur statuere scripta haec esse περὶ ῥητορικῆϲ ab Epicureorum adversario.[1])

gravissimum volumen est IV a, cuius partes supra eruere conati sumus. quod qua ratione cum ceteris cohaereret Gomperzius — qui tamen de ambitu huius voluminis haud recte statuit, ut supra monuimus — expositurus, locos indicavit, ubi in ceteris scriptionibus hoc respici videretur.[2]) quae nobis denuo examinanda erunt. primum autem quaerendum esse puto, quaenam inter hoc volumen (IV a) et volumen n. 994 (CA. VI 127—187) intercedat necessitudo. gravissimos locos iam Gomperzius opposuit, qui ad restituenda ea quae ex volumine 994 petita sunt, Oxoniensi quoque huius voluminis apographo usus est. sunt autem hi.

CA. IV 134. Col. XXVI.
(= Phil. π. π. l. II fr. 19.)

.......κῶϲ κ[αὶ ὅτι (?) ἡ
δ]ιάνοια οὐ βλέ[πεται,
κ]αταλείπετα[ι τὸ ἀνα-
5 κ]ινοῦν κατὰ τ[ὸν ἦ-
χο]ν. δεινὸν δ' ὡϲ ἐλέγε-
τ]ο, εἰ παρὰ τὸ τὴν διά-
ν]οιαν βλέπεϲθαι ἀπο- <
ϲτ]ερεθήϲεται ὁ ἦχοϲ <
10 το]ῦ ἰδίου· θεωρητέον
τοί]νυν καὶ ἐπὶ τῶν ὅ- <
λων] οὐ τὸν ἦχον αὐτὸν
13 χωρὶϲ ὑ]ποτεταγμένων...

(sequuntur incerta.)

19 ὅτι δ' ἀρχηγὸν ἡ φωνή,
20 καὶ ἐκ τῶν ὀρνέων ἔϲ-
τιν ἰδεῖν. καὶ γὰρ ἐπ' ἐ-
κείνων χωρὶϲ τοῦ ἐκ-
πίπτοντοϲ ἤχου ἀπο-
τελεῖταί τιϲ καὶ ἔναρ-

CA. VI 155.

βαρβαριζόντων ἑτερο-
φών]ων, τοῦ μ[ὲ]ν ἡδέω[ϲ
ἡ]μᾶϲ ἀ[κ]ούει[ν], τοῦ δὲ [τ]ἀ-
ναντ[ία]· κἂν διὰ μηδὲν
ἕτερον ἢ διὰ τὸ[ν ἦχ]ον γεί- 5

1) cf. Usenerus l. s. „scriptor incertus (puto stoicus)".
2) Academy 1873 p. 37. Studien l. s.

25 θρος φωνή, καθάπερ <
καὶ ἐπὶ τῆ[c ἀηδόν?]oc ‖

vs 12 ὅ[λων Usenerus; ὁ[μοίων de quo ego cogitaveram spatium excedit.
vs 19—26 rest. Gomp. Acad. p. 37. cf. Nachlese zu den Bruchstücken der griechischen Tragiker p. 12—13.

CA. IV 162. Col. LXII.
(= Phil. l. II. fr. 20.)

φέρεται· τὴν δ' ὑπο[τετα-
γμένην ἔνν[οιαν ἀ(?)..
φῶμεν νῦν· οὐδ[ὲ γὰρ ὁ
cίττακος οἶδεν ἐ[φ' ᾧ λό-?
5 γῳ διαλεχθεὶc τή[κει, ἀλ-
λ' ὅμως ἀποτελεῖ [καλοὺc?
τοὺc ἤχους, οὕτω[c ὡc
ὁ ἄνθρωπος' καὶ......

CA. IV 137. C. XXVIII.
(= Phil. l. II. fr. 21.)

5 ἐπὶ τῆc ἀη[δόνος καὶ ἐ-
πὶ τῶν ἄλλων ὀρνέων,
οὕτω τοίνυν καὶ ἐπὶ <
τῶν ἑλληνιζόντων ὁ
μὲν ἦχος ἀποτελεῖ τὸ
10 ἴδιον κατὰ τὴν δ[ι]ά[νοιαν —
ἢ δεινὸν ἂν εἴη, [τὰ ἴ]δι-
ὰ τὸν ἑλληνιcμὸν ἀπο-
cτερεῖcθαι ⊢ περιcπᾶ-
ται δ' ἴcως ὑπὸ ἄλλων
15 τινῶν, οἷον [ὅτα]ν ἐπὶ τοῦ
πλευcι ?]διᾶν Cοφοκλῆc
λέ]γῃ 'ναῦται δ' ἐμηρύ-
[cαν]το νη[ὸc ἰcχά]δα', φε-
ρόμεθα γὰ[ρ ἐφ' ὃ βο]ύλε-
20 ται καὶ ὁ [ποητ]ὴc, οὐ
[κ]ἐπὶ τ[ὸν κ]αρπόν, [καί]περ ἴcωc
γενομέν[ηc τι]νὸc πλη-

plurima restituit Gomp. l. s.
vs 10 κατὰ τὴν [χ]ά[ριν ? Gomp.
vs 11 τὰ ἴδια Us., τὸ διὰ Gomp.
vs 16 τοῦ[δε κατ' ἰ]δίαν Gomp. πλευcιδιᾶν vel ἐξορμιᾶν commendabat Büchelerus.
vs 21 [ὥc]περ Gomp.

νηται καὶ ἐ[πὶ] τῆc ἀηδό-
νος καὶ τῶν ἄλλων ὀρ-
νέων, πῶc ἀποδεικτι-
κόν ἐcτι τοῦ <τὸ>ν ἐκ τῆc
ἀρθρώcεωc ἦχον ἀπ[ο- 10
τελεῖν τινα χ[ά]ριν;

cf. Büchelerus, mus. Rhen. t. 25. p. 624 sq. Gomperzius, l. s.

CA. VI 153—154.

ὥcτε
τοῦ λε[γ]ομέν[ου] βουλη|θεὶc
ὑπόδειγμα παραθεῖ-
[ν]αι, περ[ιc]πωμένο[υ ὑ]πὸ
διανοήμ[ατοc ἤχου?
κατεχώριcεν οὐ[χ ἧττ]ο[ν.
οἷον γάρ, φηcίν, καὶ ὅταν 5
Cοφοκλῆc εἴπῃ 'ναῦται.
δ' ἐμηρύcαντο νηὸc ἰc-
χάδα.' [φε]ρόμεθα γὰρ ἐφ' ὃ
βούλε[τα]ι κ[αὶ] ὁ ποητήc,
οὐ[κ ἐπ]ὶ τὸν [κ]αρπὸν [κα]ί- 10

cf. Büchelerus, Gomperzius l. s.
vs 3 περιcπώμενο[ν ὑ]πὸ διανοη-μ[άτων τοῦτο Gomp.
vs 4 οὐχ ἧττον Büch. l. s., οὐχ ἡμεῖc Gomp.
vs 10 [ὥc]περ Gomp.

γῆς πρὸς τ[ὴν ἀκ]οήν,
ἐν ῃ μᾶλλον ἄν τις ἐ-
25 ξεδέξατο τὸν καρ-
π]όν· τ[ὸ δ]' αὐτὸ καὶ [ἐ]π' ἀλ-

CA. IV 157. C. L.
(= Phil. l. II. fr. 22.)

λων συμβαίνει πλειό- <
νων· λέγει δ' ὡς οὐδὲ τὴν —

περ ἴςως γεν[ο]μέ[νης]
τινὸς πληγ[ῆς] πρ[ὸ]ς [τ]ὴν
[ἀκοήν, ἐ]ν ἧ[ι μᾶλλο]ν ἄν
τις ἐξεδ[έξα]το τὸν καρ-
[πόν. τὸ] δ' αὐτὸ καὶ ἐπ' [ἄλ- 15
λων συμβαίνειν πλειό-
νων, ὡς κα[ὶ] ἐπὶ τῶν ἄλ-
λων τοιοῦτο συμβαί-
νειν ὑπολαμβάν[ει —
παραθεωρ[ητ]έον δ' ἅμα 20
καὶ τὸ φύρειν ὁμοῦ δ[ι-
άνοιαν ἀκοῇ, λέγοντα
γείνεcθαί τινα πληγὴν
πρὸς τὴν ἀκοήν, ἐν ῃ μᾶλ-
λον ἄν τις ἐξεδέξατο 25
τὸν καρπόν. ἀ[λ]λὰ τόδ[ε —

haec qui inspicit dubitare nequit, quin illud quod manibus tenemus volumen IV a ante oculos habuerit, cui debentur quae volumine 994 traduntur. quae enim apud hunc leguntur CA. IV p. 137 vs 13 — p. 157 vs 2 verbo tenus exscripsit CA. VI 154, 5—19, ac praemisso βουληθείς vs 1, addito φηςίν vs 5 indicat alius philosophi se adponere verba. sequuntur a vs 20 quae ipse contra disputat scriptor. etiam quae in pagina 218 adposui huius scriptoris verba — CA. VI 155, 1—11 — ad ea quae e volumine IV a exscripsi spectare, totius disputationis demonstrabit enarratio.

quam ita institutam fuisse credo. voluminis IV a auctor adversarii cuiusdam sententiam labefactare studet, qui edixerat verborum significatione subaudita tolli fructum, quem e verborum sonitu capere posset poeta. incipit ab eo quod in utriusque sententia commune est, sonitum iucundum esse in verbis, quae non ad sententiam quae ipsis subest necessaria quadam cum vi audientis animum convertunt. iam producit adversarii illam sententiam verborum significatione subaudita dilui sonitum. miram hanc dicit et contrarium eo demonstrare conatur, quod in avium cantu simillimum quid accidere exponit. quod quomodo in singulis praestiterit hodie cognoscere iam non licet. tamen hanc eius ratiocinationem fuisse pro certo habeo: in avium quoque cantu non nihil tribuendum est articulatae voci, non omnia perficiuntur sono illo quem sponte edunt aves. immo haec articulata vox primarium videtur atque illud quo maxime delectamur. si igitur in avium cantu pulcherrimum non efficitur nisi iuncta sint sonitus et vox articulata, eodem modo apud homines in dictione re vera laudabili coniuncta sint necesse est sonitus et quae verbis subiectae sunt sententiae. — adscripsi e nexu simili petitum fragmentum [IV 162 a] quo tamen non continuatur pagina anteposita. psittacus qui qua de re loquatur

ipse ignarus summopere homines quosdam delectare potest, pro exemplo est sonitum pulchrum effici posse sententiae nulla ratione habita. hoc igitur fragmentum cum eis quae in summa pagina 134 leguntur conponendum erit. argumentatio autem quam in media et ima hac pagina cognovimus, p. 137 concluditur paene eisdem verbis quibus p. 134 instituta est: ἢ δεινὸν ἂν εἴη κτλ. si in avium cantu subaudita vox articulata non laedit aures, immo voluptatem cumulat, in dictione etiam ornata subauditae in singulis verbis sententiae non offendunt, immo delectationem perficiunt. id autem, ut in verbis audiatur simul sonus qui efficitur litteris non sine cura conpositis ac sententiae, verbis quae insunt, illi proprium videtur esse τοῦ ἑλληνίζειν: δεινὸν ἂν εἴη ἀποστερεῖσθαι τὰ ἴδια τὸν ἑλληνισμόν.

ex eis quae contra disputata erant in vol. 994 ultima modo servata sunt CA. VI p. 155 cf. p. 219. intellegimus negasse illum voluptatem ullam percipi posse ex articulatis quae ex avium faucibus exeant vocibus, quo ut fundamento alter nisus erat. itaque ne ea quidem quae ille de sociando cum sententiis in dictione ornata sonitu inde effecerat, huic probantur.

adnectitur — CA. IV 137, 13 — alia disputatio arcte cum prioribus cohaerens. scriptor cui quae in vol. IV a exstant debentur postquam exposuit, quomodo ex sua sententia bene iungantur ἦχος et διάνοια, iam docet quomodo fieri possit, ut privaretur poeta sonitus opera auribus gratissima. pro exemplo ei est Sophocles, qui quod — fr. 690 Nauck — ἰσχάδα navis ancoram esse voluit, non ficum, quem e voce bene sonanti capere potuit fructum diluit ipse. novam enim hanc vocis ἰσχάς significationem animo dum percipiunt auditores, pulcher quo praedita est vox sonitus inauditus diffluit.

tota haec tractatio refertur, ut supra monuimus, in vol. 994. p. 154. cf. p. 219. servatur ibi refutationis quoque quam ille adiunxerat initium hoc. παραθεωρητέον δ' ἅμα καὶ τὸ φύρειν ὁμοῦ διάνοιαν ἀκοῇ, λέγοντα γείνεσθαί τινα πληγὴν πρὸς τὴν ἀκοὴν ἐν ᾗ μᾶλλον ἄν τις ἐξεδέξατο τὸν καρπόν.

pauca haec servata sunt verba, dignissima tamen de quibus explicatius agatur, indicium enim praebere videntur a quanam schola steterit uterque scriptor.

CA. IV 137, 18 sq. exponitur audientes Sophoclis illum versum deduci ad ancorae notionem, quam ipse voci ἰσχάς inesse voluit Sophocles, quamquam ictus fiat in aures quo fici potius memoria audientibus excitetur. obicitur CA. VI 154 ita statuentem confudisse illum, quae mentis sint et quae aurium.

haec inlustranda sunt e philosophorum veterum de auditu et de voce humana sententiis. redit autem quaestio ad enarrandam Stoicorum et Epicureorum doctrinam. nam quae his de rebus statuerat Plato[1]), leviter modo immutata repetierunt Stoici; hi for-

---

1) Plat. Tim. p. 67^{b}: ὅλως μὲν οὖν φωνὴν θῶμεν τὴν δι' ὤτων ὑπ'

mulas invenerunt posteris omnibus decantatas.[1]) Aristoteles autem et Peripatetici[2]) non ad eas usque doctrinae pervenerunt subtilitates, quibus nobis nunc opus est.

Stoici[3]) igitur a mente loquentis emitti docuerunt spiritum quo pulsum aerem auribus accidere audientium. corpoream habuerunt vocem, ut quae aures feriat hominum.[4]) auditum dicunt spiritum, qui ab auribus usque ad animi partem illam principalem, quam in corde collocaverunt vel in capite[5]), porrigatur. hunc moveri cum in aures intret vox, quae similiter ut in ceram anulus verborum imprimat characteres.[6])

aliter rem sibi fingebat Epicurus.[7]) ille noluit aera feriri a spiritu quem edimus loquentes, sed hunc ipsum fluxum quem e pectore ut vocem emittimus servari credidit et perferri ad audientium aures, divisum quidem in aequalium partium corpuscula, quae tamen et inter se invicem et cum ore cohaereant loquentis. labris

---

ἀέροc ἐγκεφάλου τε καὶ αἵματοc μέχρι ψυχῆc πληγὴν διαδιδομένην, τὴν δ' ὑπ' αὐτῆc κίνηcιν, ἀπὸ τῆc κεφαλῆc μὲν ἀρχομένην, τελευτῶcαν δὲ περὶ τὴν τοῦ ἥπατοc ἕδραν, ἀκοήν. Aetius [Plut.] plac. IV 19. p. 407^{b} 22 D. Πλάτων τὴν φωνὴν ὁρίζεται πνεῦμα διὰ cτόματοc ἀπὸ διανοίαc ἠγμένον καὶ πληγὴν ὑπὸ ἀέροc δι' ὤτων καὶ ἐγκεφάλου καὶ αἵματοc μέχρι ψυχῆc διαδιδομένην. idem IV 16. 406 D.: Πλάτων καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ πλήττεcθαι τὸν ἐν τῇ κεφαλῇ ἀέρα. τοῦτον δ' ἀνακλᾶcθαι εἰc τὰ ἡγεμονικὰ καὶ γίνεcθαι τῆc ἀκοῆc τὴν αἴcθηcιν. cf. praeterea Theophr. physic. opinion. de sens. 5. p. 500, 14 D.

1) Laertius Diog. VII 55: ἔcτι δὲ φωνὴ ἀὴρ πεπληγμένοc, ἢ τὸ ἴδιον αἰcθητὸν ἀκοῆc ... ζῴου μὲν ἔcτι φωνὴ ἀὴρ ὑπὸ ὁρμῆc πεπληγμένοc, ἀνθρώπου δὲ ἔcτιν ἔναρθροc καὶ ἀπὸ διανοίαc ἐκπεμπομένη. quid intersit inter Platonis et Stoicorum sententiam Pollux docere potest (II, 4. 26): φωνὴ ἀὴρ πεπληγμένοc· πλήττει γὰρ τὴν ἐπιγλωττίδα (Stoicorum doctrina). ἢ πλῆξιc ἀέροc· πλήττεται γὰρ τοῖc φωνητηρίοιc καὶ ὡc διηχὴc ἐξηχεῖ (ita Plato καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ).

2) Aristot. de anima II 8 p. 420^{b} 25: δεῖται δὲ τῆc ἀναπνοῆc καὶ ὁ περὶ τὴν καρδίαν τόποc πρῶτοc. διὸ ἀναγκαῖον εἴcω ἀναπνεομένου εἰcιέναι τὸν ἀέρα. ὥcτε ἡ πληγὴ τοῦ ἀναπνεομένου ἀέροc ὑπὸ τῆc ἐν τούτοιc τοῖc μορίοιc ψυχῆc πρὸc τὴν καλουμένην ἀρτηρίαν φωνή ἐcτιν κτλ. cf. ib. p. 419^{b} 33—35. Arist. probl. XI 23 p. 901^{b} 16: ἡ φωνή ἐcτιν ἀήρ τιc ἐcχηματιcμένοc καὶ φερόμενοc.

3) de Stoicis testimonia congesserunt Menagius ad Laert. VII, 55. Schmidt de Stoicorum grammatica p. 16—17 adn. 27—31. cf. praeterea Prantelius in historia logicae t. I p. 414—15. Zellerus in philos. Graec. hist. t. III, 7^{3} p. 68 adn. 6.

4) Laertius l. s. Aetius IV 20 p. 410 D. Eustathius ad Il. II 490 p. 261, 23.

5) Laert. VII 159; Aet. IV 21 p. 411^{a} 22 D.

6) Aet. [Plut.] IV 21 p. 411 D.: .. ἀκοὴ δὲ πνεῦμα διατεῖνον ἀπὸ τοῦ ἡγεμονικοῦ μέχρι ὤτων. id. IV 20 p. 410 D.: αἰcθανόμεθα γὰρ αὐτῆc (scil. τῆc φωνῆc) προcπιπτούcηc τῇ ἀκοῇ καὶ ἐκτυπούcηc καθάπερ δακτυλίου εἰc κηρόν.

7) cf. Epicuri epistola ad Herodotum Laert. Diog. X 52—53. Epicurea ed. Usener p. 13, 10 — 14, 8. Aetius [Plut.] IV 19, 2 p. 408 D. = fr. 321 Us. Lucr. IV 524 — 614. II 410 — 13 — quos adfert Userus ad Epicuri l. s. p. 377.

primoribus conformari dixit verba, quae quoniam ea qua indicavi ratione accedunt ad aures, ita has afficiunt, ut plane id exaudiatur quod voluerit interlocutor.[1]) doctrinae subtilitates altius non persequar; adscribam verba quaedam Epicuri in hac ipsa disputatione adhibita quae reducent nos ad voluminum locos illos unde huc delati sumus.

Epic. ad Herod. L. D. X 53 p. 14, 2 Us. οὐκ αὐτὸν οὖν δεῖ νομίζειν τὸν ἀέρα ὑπὸ τῆς προιεμένης φωνῆς ἢ καὶ τῶν ὁμογενῶν σχηματίζεσθαι (πολλὴν γὰρ ἔνδειαν ἕξει τοῦτο πάσχειν ὑπ' ἐκείνης), ἀλλ' εὐθὺς τὴν γινομένην πληγὴν ἐν ἡμῖν ὅταν φωνὴν ἀφιῶμεν, τοιαύτην ἔγκλισιν ὄγκων τινὸς ῥεύματος πνευματώδους ἀποτελεστικὴν ποιεῖσθαι, ἣ τὸ πάθος τὸ ἀκουστικὸν ἡμῖν παρασκευάζει. paullulum variata doctrina quam supra exposuimus profertur. quod mittam.[2]) verba modo quae litteris distinxi velim conferantur cum illis quae in volumine IV a legimus: καίπερ ἴσως γενομένης τινὸς πληγῆς πρὸς τὴν ἀκοήν, ἐν ᾗ μᾶλλον ἄν τις ἐξεδέξατο τὸν καρπόν. priore loco quin πληγή idem sit quod φωνή dubitari nequit: flatus ille corpusculorum materiae cuiusdam aeriae notatur quem loquentes eicimus. eandem interpretationem alteri loco adhibendam esse credo. dicit ille: si in scaena ἰσχάς vocem pronuntiabit actor, ictus quidam incidet in aures audientium, in quo fici notionem inesse omnes primo auditu putabunt. in ictu nemo unquam verbi notionem adsequetur. πληγή vertendum est flatus, quod superiore loco — p. 222 — ponere nolui haec ne praeciperem. „beim Anhören dieses Sophoklesverses trifft eine Schallwelle unser Ohr, in der wir zunächst die Feige verstehn" — sive „verstehn sollten". quod e doctrina Epicuri dictum puto verbis Epicureis.

sed ab altera quoque parte licet proficere. respondetur ab adversario — vol. 994 CA. VI 154—155, confudisse illum quae aurium — i. e. quae sensuum sint et quae mentis. quod nullius scholae sectatoribus rectius obicitur quam Epicureis, a nemine sine dubio aliis obiectum magis miraremur quam ab homine Epicureo. Epicurum enim constat sensibus inter criteria secundum quae verum quid sit diiudicamus primarium locum tribuisse. rationi ille fidem maiorem quam sensibus haberi noluit: πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθή-

---

1) cf. Epicurus ap. Laert. l. s. p. 13, 12—15 Us. Lucr. IV 547—54:
hasce igitur penitus voces cum corpore nostro
exprimimus rectoque foras emittimus ore,
mobilis articulat verborum daedala lingua
formaturaque labrorum pro parte figurat.
hoc ubi non longum spatiumst unde una profecta
perveniat vox quaeque, necessest verba quoque ipsa
plane exaudiri discernique articulatim:
servat enim formaturam servatque figuram.

2) contra Peripateticorum sententiam supra — p. 222 adn. 2 (Arist. probl. XI 23) — a nobis adlatam disputari monet Usenerus Epic. p. 317.

cεων ἤρτηται [Epic. fr. 36]. hic praeterea compluribus locis verba facit de dignoscendis in singulis verbis sonis et sententiis. conferre licet cum eis quae CA. IV 134 (Ph. l. II fr. 19) 6—13 et 137 (fr. 21) 11—13 leguntur talia: Ep. ep. I 37 (p. 4. 14 Us.) πρῶτον μὲν οὖν τὰ ὑποτεταγμένα τοῖc φθόγγοιc, ὦ Ἡρόδοτε, δεῖ εἰληφέναι . . . Ep. fr. 36 (Laert. D. X 31): . . ἀρκεῖν γὰρ τοὺc φυcικοὺc χωρεῖν κατὰ τοὺc τῶν πραγμάτων φθόγγουc. Ep. fr. 255 (Laert. D. X 33): παντὶ οὖν ὀνόματι τὸ πρώτωc ὑποτεταγμένον ἐναργέc ἐcτι.[1]) e Stoicis Boethum, Chrysippo aequalem, διάνοιαν inter ipsa iudicandi instrumenta eduxisse Laertius testis est.[2]) sed haec quae nostro loco leguntur ab alius quoque scholae sectatore proferri potuisse in hominem Epicureum concedendum erit. hunc huius inquisitionis fructum tenemus, certum ut spero, Epicureae doctrinae addictum fuisse illum cuius sunt quae volumen IV a praebet, diversas partes secutum esse voluminis 994 auctorem.

priusquam autem adcuratius de scriptore hoc Epicureo quaeratur, perficienda sunt ea quae ad hunc excursum nos abduxerunt. circumspiciendum est, num aliis quoque locis quae in volumine IV a leguntur impugnentur in volumine 994 vel respiciantur. non iterum factum est, ut totae serventur columnae quae nexu tam bene perspicuo inter se cohaereant, ut illae quas in p. 218 sq. conparavimus. at quod in his pro certo cognovimus quae ratio inter duos hos commentarios intercedat, si in utroque volumine easdem quaestiones tractari, eadem dicta adhiberi videbimus, statuamus necesse erit, e volumine IV a transscripsisse haec voluminis 994 auctorem.

quod in hos locos cadere credo.

CA. VI 163.
(vol. 994.)

φώνητοc οὐ δύναμαι
cυν[ιδεῖ]ν, οὐ γὰρ . . CΕΝΙ
. . . . ΜΕ
. . παραπλή[cια λέγ]ειν
5 καθάπερ καὶ τὸ κ[ε]λαρύ
ζειν τὴν ΟΠΗΝ ΤΩΝ Υ
ΠΑΤΩΝ . . ΠΩ καὶ τὸ Ο
. ΙΑ . ΙΝΤ . Π . . τῶν ψή
φ]ων ἦχ[ο]c ΙΗ . . Λ . ΛΟΝ
κτλ.

CA. IV 112 (fr. 2).

(παρόντων γὰρ)
ὀρ]θῶν ὀνομά[τ]ων ὁ ποη-
τὴc] ἀπ' αὐτῶν λαμβα-
νει τοὺc] ἤχουc, ὅταν εἴ-
πῃ 'τοῦ] μέν ⟨τε⟩ προρέον-
5 τοc ὑπ]ὸ ψηφῖδεc ἅπα-
cαι ὀχλεῦ]νται'' νῦν γὰρ
ὡc μίμη]μα ὑπεβάλ-
λετο ὁ τ]ῶν ψήφων ἦχοc
. . . . . . ωc ἀλλαγῇ ὀνο-
10 μάτων καὶ] ῥήματοc —

quamvis mutila sint quae in pagina e sexto volumine adscripta cognoscuntur, tamen quod ibi vs 8—9 manifesto ὁ τῶν ψήφων

1) haec ut adponerem monuit me Usenerus.
2) VII 54.

ἦχος legitur cohaerere haec certum est. quod in priore loco vs 5—7 exstare videtur τὸ κελαρύζειν τὴν ὀπὴν τῶν ὑπάτων sensu caret. corrigendum credo τὴν ⟨ῥ⟩οπὴν[1]) τῶν ὑδά⟨τ⟩ων quod confirmatur eis quae ex persimili disputatione restant apud Hesychium et scholiastam in ipsum hunc qui adhibetur Homeri versum Φ 261: κελαρύζει· ἠχεῖ· φωνεῖ ἢ συνεχῶς ῥεῖ. ἔστι δὲ ἰδίωμα ἤχου (Hes. s. v. κελαρύζει). κελαρύζει· μετὰ κελάδου ῥεῖ (schol. Dind. IV 265) — κέλαδον fortasse in fine vs 9 restituendum erit. ut opposita sententia in hoc fragmento conspiciatur, initium ita fere supplendum censeo (ὅτι ἔνεστιν ταῖς φωναῖς φύσει ἦχός τις) ἀ]φώνητος — hac de ultima voce dubito.

pergo ad

CA. VI p. 144 conferendum cum his: CA. IV 120 (fr. 3).

(praecedunt obscuriora.)
17 ἀπ[ὸ] τούτ[ο]υ φανερῶς..
.ΦΙΛΛ.........ν]ομίζ[ο-
μεν καὶ [π]ρῶτον ΤΟΤΑΙ.
20 Τ.....Τ.Ν πολλάκι[ς
θ]έσεις ο....ΥΝ ἢ λυπεῖν
διὰ τὸν ἦ[χ]ον, ὡς τὸν λω-
τὸν καὶ τοὺς λωτοφά-
γους Α.....Ε ΚΑΛΥ...
.ΝΑΙ..ΑΤ.... ὄ]νομα
κατὰ τὸν ἦ[χ]ον ἡδὺ τῇ ||
p. 145 ἀκο[ῇ] ΩΡ.ΘΕΠ.....
....

vs 21 verbum desidero quale τέρπειν.

praeter id quod in uno haec versantur argumento nil eruere licebit. fortasse subest disputationi Homeri locus ι 91 sqq.:

οὐδ' ἄρα Λωτοφάγοι μήδονθ' ἑτάροισιν ὄλεθρον
ἡμετέροις, ἀλλά σφι δόσαν λωτοῖο πάσασθαι
τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπόν — κτλ.

φαίνειν τ......... 4
ΤΑ εἰ γὰρ ὅτι ΑΤ..... 5
μενον καὶ τὸν λω[τὸν λυ-
⟨π⟩εῖν δὶς τεθέντα...

vs 7 κ charta

CA. IV 127.

(praecedunt obscuriora.)
......πο]λλάκι θέσεις 18
τέρπειν ἢ λυ]πεῖν διὰ τὸν
ἦχον] ...
......δ]ιὰ τὸν λω-
τὸν].....
....ὄνο]μα ἡδὺ προς- 24
πίπτειν πρὸς] τὴν ἀκ[οήν.

hoc ultimum fragmentum conponendum esse cum pagina adposita e CA. VI Gomperzius monuit Academy l. s.

eodem modo respicit CA. VI 171 ad ea quae exstant CA. IV 130:

CA. VI 171.

21 δυσχέρεια Π....Χ...ΙΝ
καὶ τῇ Κ..ΕΓ.....πρὸς
τοῦτο καθόλου τὴν δυσ-

CA. IV 130. (fr. 24.)

φησὶ τοίν[υν 13
καὶ (?) [καθό]λου τὴν δυ[ση-
χίαν οὐ]κ ἄλλοθεν π[α-
ραγίνεσθαι, ἢ ἐκ τῆ[ς

1) ῥοὴν mavult Usenerus.

ηχίαν μὴ ΑΝΠΟΘΕΝ ΗΙ
τῆς δυστομ[ίας] παρα
(κολούθημα)

μὴ ἂν πόθεν ᾖ quod vs 24 exstare videtur caret structura.

δυστομίας· ὃ γὰρ ἂν [φρά-
σαι τις μὴ δύναιτο, τ[οῦ-
το οὐδὲ τὴν ἀκοὴν [ἡδέ-
ως προσδέχε⟨σθ⟩αι. 20

vs 20 ΤΑΙ charta.

eadem doctrina ab utroque exhibetur; hoc quoque loco — ut p. 134. 137 factum vidimus — ille cui debentur quae in volumine IV a exstant, alius refert sententiam, qua de in sequentibus pluribus agit.

denique

CA. VI 143.

6 .ΑΠΑ.ΔΟΝΑΙ.ΟΗΔΕΙΑΣ
.φωνῆς ἀλλα ΠΩ μη-
δὲν ἡμᾶς ἄνευ τῶν φω-
νηέντων φθέγγεσθαι
10 ..ΟΔ.καὶ..Ο..τοῖς μὴ
κτλ.

vs 7—8 ΜΗ..
.ΔΕΝΗ.ΑΣΟΝΥ charta

CA. IV 160. Col. LIX (fr. 11).

ἀποδοῦναι περὶ | ἀληθές'.
φησίν, ὅτι οὐδὲν
δυνάμεθα φθέγξασθαι χω-
ρὶς τῶν φωνηέντων' ἐν
γὰρ τού]τοις οὐδὲν ἀπερεί- 5
δεται], ἀλλ' αὐτὸς ὁ ἦχος'.

sine dubio eodem nexu cohaerent. sed quae priore loco in tabula leguntur ita mendis obruta sunt, ut de sententia recuperanda desperandum sit.

quae his ultimis paginis conposui, si deessent ea a quibus profecti sumus, id quidem docerent unum ex his scriptoribus alterius sententias respexisse, illis debemus quod priorem fuisse voluminis IV a auctorem, illius commentarium ante oculos habuisse eum, cuius verba volumen 994 praebet, pro certo habemus.

dolendum est quod huius libelli apographum Neapolitanum tam hiulcum est ac mendosum, ut de scriptoris doctrina paene nihil statui possit. ad sonitus curam spectant fragmenta quae in antecedentibus tetigimus omnia. ἦχος in ceteris quoque saepissime legitur. sed in ultima modo scriptionis parte certiora quaedam cognosci possunt. inde a pagina 181 disputationis terminus est ἡ τραχύτης[1]), dicendi genus asperum quod efficitur cumulatis consonantibus et semivocalibus. mutas litteras ille effert hac similitudine usus p. 183, 4 sq. ὥσπερ κόλλα τις ἢ γόμ[φ]ο[ς] ἢ εἴ τι τοιοῦτο π[ρὸς] τ[ὴ]ν ξυλίν[η]ν σύ[νθ]εσιν, οὕτως ἔχει καὶ τὸ ἄφωνον πρὸς τὴν τῆς λέξεως σύμπηξιν. hunc in modum ἡ τραχεῖα λέξις et quae huius dictionis ceterae videntur species, ἡ λέξις εὐπαγής, ἡ πολυγράμματος[1]) etc. tractantur usque ad finem libelli.

Oxoniense apographum plura praebere atque melius depicta

---

1) cf. Hermogenes π. ἰδ. β' rh. Gr. ed. Speng. II 381 sq., Demetrius π. ἑρμ. Sp. III 300 sq.

contendit Scottius[1]), quo adhibito haec ultima pars in plurimis bene restitui poterit. de nexu qua haec cum volumine IV a iuncta sint nova prolatum iri non credo.

Pergentibus nobis in via supra indicata quaenam ratio inter volumen 1081 [CA. VII p. 81—123] et nostrum illud IV a intercedat inquirendum est. Gomperzius[2]) hoc quoque a Philodemo conscriptum credit duas ob causas. primum quod CA. VII p. 117 manifesto enuntiatum legitur quod praeterea exstat CA. IV p. 174. tum quod CA. VII p. 100 et 103 inpugnatur Heracleodorus aliquis, quem inter adversarios numeret Philodemus in libri quinti col. XXI vs 28 [CA. II 182. vol. Herc. Ox. II 139]. at quoniam de locis ubi Heracleodorus commemoratur seorsum agendum erit, hoc interdum mittamus. primum illud quod adtinet verba utrique volumini communia haec sunt: τὰϲ ἀκοὰϲ δοκεῖν ἡρωικῶν ϲωμάτων ἀκούειν. his verbis adversarii cuiusdam sententia in maius aucta, ut videtur, refertur, qui postulaverat, ut personis ita digna fieret dictio, ut aures quoque heroes sentirent loquentes. haec in volumine 1081 non uno loco reiciuntur, cf. CA. VII p. 114. 117. 120. in volumine IV a pagina altera quae plane in eodem argumento versetur non invenitur. at eo ipso loco — p. 174 — verba quae elegit scriptor magis eius esse videntur, qui adversarii futtilitates rideat, quam eius qui alterius sententiam laudibus amplectatur. paucis ut quae ipse sentiam aperiam: mihi haec non ab adversariis scripta videntur — immo ab eodem, vel potius eisdem: nam in eis quoque quae in CA. VII p. 81—123 ut unius voluminis 1081 relliquiae edita sunt duo conmixta esse volumina mihi persuasissimum est. ita autem divido: cum volumine IV a conponenda sunt omnia praeter ea quae in pag. 81—93. 95. 98. 100 leguntur: haec autem cohaerent arctissime cum IV b. in omnibus inter se conveniunt quae IV a et VII a, quae IV b et VII b vocavi. in VII a quoque conspicuus est pulcherrimus ille calami ductus quem in IV a laudavi. eadem est pagellarum latitudo, totidem litterae in singulis versibus conponuntur. adest hic quoque linea illa qua in fine versus spatium expletur in IV a.[3]) πόημα[4]), πόηϲιϲ[5]), ποητικόϲ[6]) leguntur, plenioris scripturae exemplum nullum. servatur iota, nusquam ει reperitur. contra in VII b in paucis his fragmentis non desunt huius scripturae exempla.[7])

sunt in his pagellae dimidiatae; partes dexterae vel sinistrae, superiores vel inferiores paginarum. summa cura quaesivi, itane ex

1) catal. p. 77.
2) Studien l. s.
3) p. 104, 5. 6. 105, 3. 9. 10 etc.
4) p. 101, 12. 104, 4. 7. 9. 109, 4. 6. 7. 9 etc.
5) p. 102, 9. 114, 12.
6) p. 46, 7.
7) κεινεῖ p. 103, 3. 8. ἐπιγείνεται 83, 3. Εὐρειπίδηϲ 89, 17.

his quaedam cohaereant, ut certo argumento opinio mea confirmetur. per multum molitus inveni demum quae eiusdem paginae partes videbantur, at ne haec quidem tota coire voluerunt. de his loquor.

CA. IV 171. CA. VII 86.

κἂν ὅλως ἀγνο[ήcη]ι τὸ νο-
οὐμενον, λέ[γειν] μ[η]δὲ ἓν
βλάπτειν, εἰ [κατ]ὰ τὸ ἴδιον
ἀγαθὸν ὁ ποη[τὴ]c μὴ ἀπο-
5 πίπτοι΄ τίνα γ[ὰρ τ]ρόπον, ὦ
Κορύβαντες, ὅ[λωc?] τὸ πόημα·
πάντες οὐχ [ὡc] τερέτιcμα
καὶ κροῦμα νο[οῦ]μεν, ἀλ-
λὰ λέξειc ἐκ τοῦ [καλ]ῶc cυντί-
10 θεcθαι διανόημα cημαι-
νούcαc, οἷον ὁ [λό]γοc οὐ πέ-
φυκεν ἂν ὅλ[ωc ἀγ]νοῆται
τὸ νοούμεν[ον] .μενοντι
οὐκ ἀποπιπτ....προcτιθει
15 οὐ καθ' ὃ ποητ[ὴc]..ΝΤΑΛΕΞΕ
κτλ.

vs 6 ε[ἴπερ] scribendum censet Buchelerus

in his cohaerent manifesto quae in vs 1—12 utriusque paginae leguntur. contra sociari nullo modo possunt quae in inferioribus exstant. cum autem quae in CA. IV p. 171 a vs 12 leguntur in eodem pergant argumento, contra quae CA. VII 86, 13 sq. agnoscantur plane alio spectent[1]), altero loco falso duo fragmenta conglutinata esse statuemus. quod eo quoque conprobatur quod post νοούμενον, a qua voce incipit fragmentorum dissensus, maius conspicitur spatium, quam quanto in ceteris bini versus dirimi solent. quae ut tristia schedarum harum fata nuntiant tamen recte me iudicasse de volumine IV b et VII b demonstrant. in vol. IV a et VII a certissimo hoc argumento uti non licet, attamen cohaesisse haec ipsa fragmenta testantur. in inlustranda eadem Philoxeni ut videtur dictione versantur CA. IV 177 et CA. VII 94 — fr. 49 et 51 — poeta bonus qui sit plane eodem modo definitur CA. VII 120 et CA. IV 113 — fr 46 et 47 —, non id adpetendum esse ut volgus delectet poeta, ut VII 121 ita IV 133 — fr. 56 et 57 — statuitur. itaque certum habeo ex eodem commentario haec petita esse.

pauca de ceteris voluminibus addenda sunt. vol. 1676. [CA. XI p. 147—66] de quaestionibus est plane diversi generis. εὐφωνία maxime in his tractatur cf. Col. XII p. 165 πῶc οὐκ, ἐὰν τὸ [μ]έ-

1) haec cum eis cohaerent quae CA. VII 92 tractantur.

[τ]ρον τις ἢ τὸ κῶλον ἐκβιβάςῃ, διὰ τῆς μεταθέςεως ἀνελεῖ τὰ καὶ τὴν ἀκοὴν ἐπιτέρπως διατιθέντα, οὐ μέντοι γε, ὡς οὗτος οἴεται, ςυνάξει διὰ τούτου τὸ τὴν ἀ[ρε]τὴν τοῦ ποήμ[α]τ[ο]ς ἐ[ν εὐ]φωνίᾳ κεῖςθαι. τὴν γὰρ εὐφωνίαν οὐκ... Col. VII p. 160: ἐκ τῆς μεταθέςεως δυςχεραίνομεν, ὑπὲρ οὗ τρόπου τοῦ παντὸς λα[λ]ήςω ... ψυχαγωγία quonam modo efficiatur quaeritur Col. IV p. 157 ὅτι οὐ διὰ τῶν τοῦ λόγου διανοη[μ]άτων καὶ λέξεων ἐξερ[γ]άζεται τὴν ψυχαγωγίαν, ἀλλὰ διὰ παραλλαττόντων ... cf. VII p. 159: ψ[υ]χαγωγοῦςιν οὐ παρά τινος λαβόντες ἀλλ' αὐτοὶ γεννήςαντες..., ςύνθεςις laudibus effertur Col. VIII p. 161 [ςυν]θέςει ὅταν εὑρίςκ⟨η⟩ται τὸ μὲν [ςα]φὲς τὸ δ' ἀςαφὲ[ς] ἢ τὸ μὲν [ε]ὐκρινὲς τὸ [δ' ἀ]μ[φίβ]ολον ἢ τὸ μὲν [ἀς]τεῖον τὸ δ[ὲ φαῦλ]ον ἤ τι τῶν ἀνα[λόγω]ν τοῖς εἰρημένοις ... cf. Col. II p. 155 ἀλλ' ὁμοῖα λέγεται κατὰ τὸ φαύλως ἐν τοιούτῳ ςυνκεῖςθαι καὶ τοῦτο κρείνεται νοήμα[τ]ος οὐκ [ε]ὐτυχεῖ δηλώςει.... altiora quaedam tanguntur fr. IV p. 148: ἐπ[ὶ] τοὺς προλόγους ἀπιθανώτατον εἶ[ναι] δοκοῦς[ι] πρᾶγμα... et fr. V p. 149: ἀπαγγελεῖν [κ]αὶ περὶ ἀνδρὸ[ς] ... π[ο]λυτρόπου καὶ πο[λ]υ[μ]νή[ςτου?].... cum lanio comparatur poeta fr. XI p. 153, cum sculptore Col. III p. 156. in quibus sunt quae conveniunt cum eis quae de conpositione (ςύνθεςις) disserens in quinto libro exponit Philodemus. sed nexus qui inter fr. II p. 147 et CA. VII p. 90, quam paginam supra p. 227 volumini VII b addiximus, intercedit suspicari me facit volumen 1676 avulsam esse illius scriptionis (VII b) partem. — reliqua autem volumina tam exigui sunt ambitus, ut de his certa coniectura proferri nequeat.

haec igitur quo nexu cum ceteris cohaereant diiudicare non audeo; satis habeo quod de voluminibus quae in CA. t. IV., VII editae sunt certum ferre licuit iudicium.

restat ut de scriptionum quarum in CA. IV et VII continuas deteximus partes argumento exponatur et auctore. volumen IV a et VII a quod vocamus homini Epicureo tribuendum esse supra vidimus. sed adcuratius quoque de auctore statui posse credo. cuius voluminis enim fragmenta dum restituere studeo, haud paucis illum vidi quaesiisse, quaenam vis singulis insit litteris (fr. 1—16). indicabatur inserto φηςὶν (IV 120 [= fr. 3] vs 18, IV 160 Col. LIX [= fr. 11] vs 2), indirecta quae in his plerumque adhibetur oratione, ex alius doctrina haec repetita esse. quae cum reputarem memoria occurrit loci alicuius e Philodemi libro quinto, quem adponam.[1])

CA. II 187 [= II 200], vol. Herc. Ox. II 144.

. . . .

(praecedunt incerta.)

4 ... καὶ μηδ' ὅταν τὴν

1) in quo quod vs 9 et 11 licet describere emendatum Usenero debeo.

5 cύνθεcι[ν] ἐπαινῶμεν, ἀ-
ποcπᾶ[ν] α[ὐ]τὴν τῶν ὑπο-
τεταγμένων. τὰ δὲ
περὶ τῶν cτ[οι]χείων, ἐ-
ν ο[ἷc] τὴν κ[ρί]cιν εἶν[α]ί φη-
10 cι τῶν cπου[δαίω]ν ποι-
ημάτων, τίνοc αὐτῶ[ι
καὶ πόcηc ἡδονῆc [γ]έ
με[ι π]αρεcτακότεc ἐν
τ[ῶι] δευτέρῳ τῶν ὑ-
15 π[ομν]ημάτων, δι[ὰ τὸ
καὶ περὶ ποιήματοc εἶ-
ναι κοινῶc, ἀποδοκιμά-
ζομε]ν παλιλλογε[ῖ]ν,
ὥc[τ]ε τὰc παρὰ Ζήνωνι
20 δόξαc ἐπικόψαντεc
ἤδη μεμηκυcμένον
τὸ cύγγραμμα καταπαύ-
cομεν.

in quibus verba τὰ δὲ περὶ τῶν cτοιχείων, ἐν οἷc τὴν κρίcιν εἶναί φηcι τῶν cπουδαίων ποιημάτων, nullus dubito quin ita vertenda sint: quae autem de litteris, in quibus iudicium ille inesse dixit, num valeant quid poemata etc. cτοιχεῖα potuerant sane dicta esse elementa i. e. summa praecepta, quibus derigi ille iusserat de poematis iudicium — sed exspectaremus τὰ περὶ τῶν τῆc κρίcεωc cτοιχείων — neque bene subiunguntur quae vs 11—13 leguntur: τίνοc αὐτῷ [scil. scriptori illi] καὶ πόcηc γέμει ἡδονῆc. quodsi ipsum volumen IV a in his respicitur, haec quae IV a VII a hucusque vocavi Philodemi sunt libri de poematis secundi relliquiae. refertur enim in his de scriptoris cuiusdam sententia qui mirum quantum tribuit singulis litteris cf. inprimis p. 115, 8 sq. [= fr. 4] καθόλου γὰρ τὴν τοῦ μῦ πρὸc τὸ ἄλφα cυναφὴν ἄτοπόν τι ἔχειν περιcπῶcαν . . ἡμῶν τὴν ἔννοιαν ἐπὶ ψυχικήν τινα διάνοιαν —. non totum librum in disputatione de litterarum vi versatum esse docent fragmenta. immo haec ipsa pars fuisse videtur quaestionis quaenam in poematis sit vis soni. omnia enim haec fragmenta quae ad ἦχον spectant manifesto inter se cohaerentia quin secundo Philodemi libro tribuenda sint dubium esse nequit. contra quae praeterea in vol. IV a VII a leguntur de conpositione et delectu verborum, de poetae officio, num eidem libro adiudicanda sint dubitari sane potest. sed quoniam ab eodem scriba haec exarata sunt omnia, quoniam frustra circumspexi vestigia quibus seorsum haec olim tradita esse indicetur, iungenda interdum haec putavi.

quae sufficiant de volumine IV a VII a, Philodemi libro secundo, cuius fragmenta in sequentibus proponam.

sed erant quae ut IV a_1 seponenda duximus p. 217 haec in singulis mire congruunt cum libri secundi Philodemei fragmentis. quod ita explicandum esse crediderim, ut scriptoris quem secuturus sit primum paucis Philodemus indicaverit sententiam, quemadmodum in libris de re musica factum videmus. sed cavendum erit, ne nimis tribuamus fragmentis his perditissimis. e quibus quae aliquatenus quidem intellegi possunt addidi in calce huius scriptionis p. 273—76.

ad quaestiones plane alias volumen IV b VII b nos deducit. inquiritur, utrum praeferendus sit poeta qui fabulae argumentum ipse invenerit, an ille qui ab alio inventum melius excoluerit — cf. CA. VII 91. 93. CA. IV 195. 172 —, num ei solum laudandi sint qui honestae vitae et proborum morum personas in poematis exhibeant, an ei quoque qui improbas potius imitentur — cf. CA. VII 88. 89. 95. CA. IV 201. id ipsum fortasse quod in diiudicandis poematis respiciendum hoc esse negat scriptor — probine depingantur mores an improbi — ad Philodemum facit. accedit quod Stoicorum rideri videntur de poetae officio praescripta.[1]) denique dictionem ab auctore adhibitam esse quae Philodemo est in deliciis Gomperzius adnotavit.[2]) itaque haec quoque fragmenta viginti et tria Philodemo ego tribuerim.

ultimo loco quaerendum reliqui, num inde fortasse efficere quid liceat de librorum singulorum auctoribus, quod in nonnullis nominatur Heracleodorus, homo ceteroqui non minus ignotus quam haud pauci alii quorum memoria ex his chartis suscitata est. proficiscendum est a Philodemi in libro quinto verbis, quae ita scribenda esse censeo.

CA. II 182, vol. Herc. Ox. II 139.

23 ἀλλὰ γὰρ ἐ[π]εὶ καὶ τὰ
πρὸς τοῦτον εὐτρέπισ-
25 ται, τὰ [ἐπὶ] τῷ Κρα[τίπ-
πῳ ? πρέπει θ]εω[ρ]ῆσαι·
ἀπο[τυγ]χάνει τοίγαρ
οὖν [τῆ]ς Ἡρακλεοδώρου
καὶ τῶν ὁμοίων δό[ξ]ης,
30 οὐ γ]ὰρ τὴν σύνθεσιν, ἀλ-
λὰ τὴν ἐπιφαινομένην
α]ὐ[τῇ] φωνὴν ἐπ[αινεῖ,
ὡς κ]αὶ τῆς Ἀνδρομέν[ους[3]),
πά]ντῃ γε νομίζων ὁ-
35 μολογεῖν αὐτὸν καὶ διὰ
πα]ντὸς τοῖς εἰρημένοις.

---

1) VII 90. Usen. Ep. s. v. Στωικοί.

2) IV 198 κἂν βάλῃ καλῶς, cf. Studien l. s.

3) hic recurrit CA. IV 200 = fr. 67, ubi praecedit sententia vere Epicurea. an hic latet ib. 113 = fr. 47?

adversario, cui quod nomen fuerit — Κράτιππος an Κρατερὸς an Κρατύλος an Κρατῖνος — incertum manebit, obicitur error, quem in enarranda Heracleodori de conpositionis pretio sententia commiserit. quonam igitur animo in Heracleodorum fuerit ipse Philodemus hoc e loco non adsequimur.

sed alium invenisse mihi videor, ubi ipse Philodemus hanc sententiam quae Heracleodoro supra adscripta est vehementer reprehendit:

CA. II 181, vol. Herc. Ox. II 138.

28 [ἄ-
θλιομ μὲν γὰρ κ[αὶ τὸ τὴν
30 ἐπι[φ]αινομένην τῆ[ι
συνθέσει τῶν λέ[ξε]ων
εὐφωνίαν εἰσάγειν καὶ
ταύτης ἀνατιθέναι τὴν
γνῶσ]ιν τῆι τριβῆι τῆς ἀ-
35 κοῆ]ς, ἀθλιώτερον δὲ
κτλ.

haec sine dubio ad eandem spectant doctrinam; quam cum e priore loco Heracleodori esse comperimus, tum ex altero licet statuere ab ipso Philodemo inpugnatam esse.

reliqui autem de Heracleodoro loci obscuriores sunt, quam ut certa sententia eruatur — praeter unum hunc ubi ita contra illum disputatur.

CA. VII p. 100 (vol. VII b).

.... κεινεῖ
γὰρ οὐ τὰ ἀπόητα, ἀλλὰ τὰ
5 πεποημένα: διανοήματα δὲ
καὶ ταῦτ' ἔστιν', 'Ηρακλε-
οδώρου νομίζοντος ὅλως νό-
ημα μὴ κεινεῖν', ἀλλ' οὐ μό-
νον τὸ ἀπόητον' ὥστε [κα]τα-
10 γελάστως ἐπιφέρει * * *

rest. Usener. Epic. s. v. Ἡρακλεόδωρος.

Heracleodorus animos movendi vim in sententia inesse negaverat. contra monetur sententiam a poeta artificiose excultam hac vi praeditam fore, incultam non fore.

hoc quoque loco plane contraria censuisse Philodemum licet demonstrare. ille sententiis primarium in poematis adtribuerat locum. conferantur verba, quae subsequuntur ea quae in pagina hac adhibui.

CA. II 181, vol. Herc. Ox. II 138.

.. (ἄθλιομ μὲν vs 28)
... ἀθλιώτερον δὲ τὸ
τὴν cύνθεcιν αὐτὴν τῶ[ν
λέξεων, διανοίᾳ γνω- ‖ p. 182
ριζομένην, πότερον φαῦ-
λα ἢ cπουδα[ῖα ἔ]χει
τα]ῖc ἀλόγοιc ἀκ[οαῖ]c καὶ
μηθὲν πολυπραγμο-
νούcαιc τῶν ἐπιτευγμά-
των ἢ διαπτωμά[των
ἀνάπτειν.

certum iam Heracleodorum Philodemi habebimus adversarium. atque hoc novum nobis praebet indicium volumen IV b VII b ipsius Philodemi continere scriptionem.

in fine praefationis, quid singulis his disputationibus adsecuti simus placet conponere. in quarto et septimo CA. voluminibus duarum scriptionum partes continuas deteximus. alteram Philodemi libri secundi relliquias praebere ex ipsius in libro quinto verbis conclusimus; alteram eidem tribuendam esse veri simillimum visum est. ceterum contra ea quae in Philodemi libro secundo leguntur disputantem cognovimus illum, cuius verba servavit volumen 994, quem ab Epicureorum doctrina alienum fuisse exposuimus. unum hoc miri quid habet, quod repertus est in bibliotheca, a Philodemi fautore sive Piso is fuit sive alius quis condita, libellus in quo huius inpugnantur sententiae. sed huius domus quae fuerint fata nescimus. id videmus etiam post Philodemi tempora libros additos esse.[1]) et quoniam de voluminis 994 ratione iudicare aliter non possumus, quam fecimus supra p. 221 sqq., statuamus necesse est adversariorum quoque libris contra ipsos Philodemi commentarios conscriptis locum in huius bibliothecae pluteis concessum esse. fortasse Philodemus ipse ut Chrysippi[2]) sibi libros conparaverat ita aequalis quoque adversarii accivit libellum, ut quae ille contra monuerat agnosceret et occasione data refutaret.

Iam Philodemi subiungamus fragmenta[3]); prius autem novus pagellarum disiectarum quem voluimus esse ordo paucis inlustrandus erit. opinionem quoque meam de singulorum fragmentorum argumentis breviter indicandam esse putavi.

1) Scottius, catal. p. 15; vol. 817 carmen de bello Augusti Aegyptiaco. Baehrens poet. lat. min. I 212 sq.

2) vol. 1038 Χρυcίππου περὶ προνοίαc β'. Gercke Chrysippea fr. 19—25.

3) omisi pauca modo fragmenta (fr. 122. 128. 129. 155 a. 158. 159 a. 160 a. 161. 170. 173. 202. 203) ita lacunis destituta, ut de pristino tenore reficiendo plane desperandum sit.

conposui primum omnia quae de sonitu sunt fragmenta — fr. 1—25. praemisi [fr. 1] paginam quae ex initio scriptionis Philodemeae petita videtur. adversarii sententiam refert scriptor.

sequuntur quae de singularum litterarum vi servata sunt — fr. 2—16.

de fragm. secundo supra dictum est p. 224—25.

fr. 3 littera $\bar{c}$ an $\bar{\xi}$ auribus sit gratior quaeritur. cf. Dion. Hal. d. v. c. cap. XIV pag. 80 R. ἄχαρι δὲ καὶ ἀηδὲς τὸ $\bar{c}$, καὶ πλεονάςαν ςφόδρα λυπεῖ· θηριώδους γὰρ καὶ ἀλόγου μᾶλλον, ἢ λογικῆς, ἐφάπτεςθαι δοκεῖ φωνῆς ὁ ςυριγμός.

fr. 4. $\bar{α}$ quid cum $\bar{μ}$, quid cum $\bar{ν}$ littera copulata valeat. vs 7 sq. variae vocis ΜΑ significationes tractantur.

fr. 5. in superioribus $\bar{λ}$ duplicata quid efficiat quaesitum est. eiusdem litterae cum $\bar{π}$ $\bar{κ}$ $\bar{γ}$ coniunctae sonus suavis dicitur, cum aspiratis insuavis.

fr. 6—7 in eodem argumento versantur, cf. πλάκα — κλάζους.

fr. 8 liquidarum vis inlustratur.

fr. 9. de $\bar{ρ}$ littera disputari credo. vs 13, 15 κιόνα μακρήν (sic) — κίονας μακράς — non genus femininum in his vituperari credo — cf. Lobeckius ad Aiacis v. 108 —, sed dicendum putavit ille κίονα — ὑψηλήν cf. α 330. φ 5.

fr. 10. haec ad $\bar{λ}$ litterae efficacitatem inlustrandam conposita sunt.

fr. 11 de vocalibus litteris adversarii sententia — cf. p. 224.

fr. 12—13 de figuris quibusdam quae ad efficiendum sonitum pulchrum inserviant agitur.

fr. 14—15 ad singulos spectant versus. prius fortasse cum fr. 5 conponendum.

fr. 16 nondum intellego. fortasse conferenda sunt quae Dion. Hal. cap. XV p. 86—88 R. exponit, docens brevem syllabam remansuram esse brevem tres etiamsi vel quattuor praeponantur litterae, cf. vs 15—16. sed hac interpretatione priora et infima non explicantur. haec cum fr. 14 cohaerere videntur.

fr. 17—18 in alio versantur argumento. suspicionem haec moverunt Gomperzio doctrinam subesse de condicione, quae inter numeros et verborum accentus intercedat in versibus. errasse eum alterum quod adhibetur exemplum docebit. fr. 18 vs 15 laudatur versus hic exitus: ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω, quod fieri non potuit si ἀνίεςθαι ad accentum cuius ratio habita sit referendum erat. veram interpretationem ex his locis recuperasse mihi videor: Dion. Hal. d. c. v. cap. 12 p. 66 R. . . καὶ μήτε ὀλιγοςύλλαβα πολλὰ ἑξῆς λαμβάνοντα. . . μηδὲ δὴ ὁμοιότονα παρ' ὁμοιοτόνοις, μηδ' ὁμοιόχρονα παρ' ὁμοιοχρόνοις. anon. π. τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ ῥητορικοῦ λόγου Walz, rhet. Gr. III 589, 22: ἡ δὲ καλλίςτη ςύνθεςις ἡ μὴ ἔχουςα χαςμωδίας ἐςτὶ καὶ ἡ τιθεῖςα τὰς ὀξυτόνους

λέξεις εἰς παροξυτόνους καὶ τὰς λοιπὰς ἐμμελῶς. cf. praeterea Michael Psellus V 599, 5 (Walz. rhet. Gr.) fortasse huc spectat voluminis IV a_1 fragmentum — CA. IV 146 — cf. p. 274.

Sequuntur disputationis quomodo in singulis vocibus sententiae vis cum sonitu iungenda sit relliquiae — fr. 19—23 — cf. p. 218 sqq.

fr. 24—25. cur sonitum pulchrum quidam poetae non adsecuti sint — cf. p. 225—26.

suscipiunt haec quae ad λέξιν spectantia in his inveni — fr. 26—29.

fr. 26. etiam dictione male conformata pulchrum consistere posse, attamen non ea cum necessitate qua dictione laudabiliter conposita.

huc spectat vol. IV a_1 pagella — CA. IV p. 150 — quam addidi p. 275.

fr. 28. in omni poesis genere pulchra aut mala aut mediocris dictio cognoscitur. itaque quantum ad dictionem conferre licebit cum Homero Archilochum, Euripidem.

fr. 29 de diversis poetarum generibus loqui inutile ac vanum est.

sequuntur similia de conpositionis pretio iudicia fr. 30—32.

iam quae de cura in eligendis verbis adhibenda — περὶ ἐκλογῆς ὀνομάτων — exstant conposui fr. 33—52.

fragmento 33 similiter ut in frgm. 1 de adversarii sententia refertur; quocum cohaerent 34. 35.

fr. 38 sq. non dictionis sed rerum gravitate et splendore auditorem commovendum esse, pluribus contra adversarium exponitur. — in quibus quod fr. 41 et 42 ad voces et ipsas litteras redit disputatio, molesti quid habet. sed aptiorem distribuendi modum non inveni.

fr. 43—46 inprobatur quod ille splendidissima modo adhiberi voluit verba.

fr. 47 quod rectius fortasse in initio huius disputationis conlocatur — iuxta fr. 33 — propter vs 10—12 cum frgm. 46 — cf. ibi vs 16—17 — iungendum credidi.

fr. 48 exigitur ab adversario ut testimoniis firmet edictum suum Εὐριπίδην πόημα συνγράψαι καθ' ὁμοειδεῖς — quae quid sibi velint nondum intellego.

fr. 49—52 in poetarum dictionibus singulis versantur.

sequuntur fr. 53—62 ad ψυχαγωγίαν maxime spectantia.

fr. 63 quod est de rythmis cum insequente iungendum duxi, quod quanto opere aures laedant versus numeris male conpositi exponit.

fr. 65—66 πλάσμα vel ἔμπλασμα tractatur; locum nondum inveni, e quo certa his redundet interpretatio.

fr. 67 Andromenis cuiusdam, Epicurei ut puto, sententia adfertur, non nisi in dictione poetae studium conlocandum esse. argumento enim si operam praecipuam navaturi sint poetae, cupiditatum

adiutatricem fore poesin. cf. Philod. π. ποιημ. ε′ Col. II. — CA. II 168 vol. Herc. Oxon. II 120 —, Gomp. Zeitschr. 1865 p. 725 adn. 9.

fr. 68 adversarius vituperatur, quod non tetigerit quaestionem, utrum in dictione an in argumento virtus insit poematis.

ultimo loco conposui, quae non ad λέξιν spectant sed ad τὰ πράγματα. e quibus quod fr. 69 et 70 pauca modo praebent verba, valde doleo.

fr. 69 ad Homerum, fr. 70 aut ad Homerum aut ad Euripidem spectare credo.

fr. 71—73 num inter poemata habenda sint mimographorum, oratorum, historicorum opera artificiose conposita.

fr. 74 ubi conlocandum sit nescio.

fr. 75 Aeschylo, qui Homeri se semper gloriatur pressisse vestigia, obicitur quod obscaena patientem induxerit Ulixem, nullo Homeri loco nisus.

Pauca de ratione quam in describendis fragmentis secutus sim praemonuisse sufficiet. quae [ ] inclusa leguntur suppleta sunt nullis in charta vestigiis residuis. ⟨⟩ adhibentur ubi scribae menda corriguntur, omissa adduntur. puncto subterposito usus sum, ubi quaenam littera olim exstiterit — utrum c an ε, τ an π, similia — e lineis a Neapolitanis editoribus depictis pro certo erui nequit. iota adscriptum est ubi adscriptum in charta conspicitur, subscriptum, ubi omissum est. in orthographicis nihil tacite mutavi.

maximae denique mihi gratiae agendae sunt viris summis, qui in restituendis atque interpretandis Philodemi verbis adiuvare me voluerunt Usenero et Büchelero, praeceptoribus dilectissimis.

---

1. CA. IV 116 Col. VIII.

(ἐ
κείνου . . . .
χει καθάπ[ερ . . . .
λαμβανουϲ . . . .
απαν τὴν ἀκ[οὴν . . . . . .
5 . . ϲοιϲ ἐϲτίν΄ ἐγὼ δ[ὲ τού-
των ἀναιρήϲομαι τὰ [νο-
μιϲθηϲόμενα τὸ κοινὸν
καταϲκευάζειν΄ ὃ κἀμοὶ
μάχεται, ἀπόδειξιν τοί-
10 νυν ἐπαγγειλάμενοϲ, ὅτι
οἱ ἀγαθοὶ ποηταὶ πα[ρ'] οὐ- <
δὲν ἄλλο πρωτεύουϲίν
τε καὶ μόνοι διαμένουϲιν
ἢ παρὰ τοὺϲ ἤχουϲ, καὶ ἐν
15 ἀλ[λοιϲ ε]ἰπὼν π[α]ρεϲτα-
κέν⟨α⟩ι, ὅτι μόνοι ταὐτο-
πο[ιοῦ]ϲιν Ὅμηρόϲ τε καὶ Ἀ[ρ-
χ[ίλο]χοϲ καὶ Εὐ[ρι]πίδηϲ,
πρὸϲ δὲ τούτοιϲ Σοφοκλῆϲ
20 καὶ Φιλόξενοϲ, ὁμ[ο]ίωϲ δὲ
καὶ Τιμόθεοϲ —, τὰ ποήμα-
τ' αὐτῶν μίϲγων, νῦν δὲ
περὶ τῶν ἤχων ⟨μ⟩[έλλ]ων
διαλέξεϲθαι, τὴν [μὲ]ν χά-
25 ριν τὴν ἄλογον π[άλι]ν τοῖϲ
αὐτοῖϲ ἀνατιθεὶϲ . . . . . .
κει, αἰτίαν δ' οὐκ εἶναι ψό|(γου

---

vs 4—5 fort. ἅπαν τὴν ἀκ[οὴν κινοῦν ἐν μέ]ϲοιϲ ἐϲτίν΄ Us.
vs 5 ἐγὼ δ' ἐ[κ τού]των — idem.
ad vs 7 cf. CA. VI 170 Col. XXI vs 7 πάνθ' ὅϲα ἐπαινοῦ[μ]εν ἐμ ποιήματι κοινά . . .
vs 14 Ĥ charta.
vs 15—16 rest. Us.
vs 16 ΚΕΝ ΔΙΟΤΙ charta.
vs 25 πάλιν Us.
vs 26—27 fort. [μεταδιώ]κει Us.

2. CA. IV 112 Col. IV.

(ὑπαρχόντων)
ὀρ]θῶν ὀνομά[τ]ων ὁ ποη-
τὴς] ἀπ' αὐτῶν λαμβά- <
νει τοὺς] ἤχους, ὅταν εἴ- <
πῃ 'τοῦ] μέν <τε> προρέον- <
5 τος ὑπ]ὸ ψηφῖδες ἅπα-
σαι ὀχλεῦ]νται'' νῦν γὰρ
........μα ὑπεβάλ- <
λετο ὁ τ]ῶν ψήφων ἦχος
.......σα ἀλλαγῆι ὀνό-
10 ματος] καὶ ῥήματος
......Ι πᾶν οἰκεῖον
.... πόημα τοῦ
.... πάθους ἐπι
........πει, ὅτι τὸ
15 .... εῖσθαι ἐς
.........δεν αλλου
........Ν αὐτὸ ἐν ταύ-
........ὑποβαλὸν αὐ-
......ουθ' αἱ ψῆφοι ἡ δὲ
20 ......ΑΤ.ΑΕΚ...CΟ.ΟΥ
......μεταβαλοῦσα.δι-
ὸ καὶ] οὐκ ἀλλοτρίως ἔ-
λεξε]ν' 'κινήθη δ' ἀγορὴ
φὴ κ]ύματ[α] μ[ακρ]ὰ θα-
25 λάσσ]ης πόντου ['Ι]καρί-
οιο'] καὶ ἐπὶ τοῦ '['Ηϊ]όνες
βοόωσ]ι'' καὶ 'κυ[ρτ]ὰ [φ]αληρι|(όωντα')

3. CA. IV 120 Col. XII.

ρων ....
λεν ....
κος' τ............
φαίνειν τ..........
5 ΤΑ, εἰ γὰρ ὅτι ΑΤ........
μενον καὶ τὸν λω[τὸν λυ-

---

2. priora inpugnantur CA. VI 163 cf. praef. p. 224.
vs 4—6 = Φ 260. τε ante προρέοντος scribae negligentia omissum esse accentus in ΜΕΝ servatus probare videtur.
vs 7 fort. ὡς μίμη]μα Us.
vs 23 sq. = Β 144.
vs 26—27 = Ρ 265. vidit Büchelerus.
vs 27 = Ν 799, cf. scholiasta — Dind. IV 36 —: καί μοι δοκεῖ καὶ τὸν ἦχον μιμήσασθαι διὰ τῆς περὶ τὴν σύνθεσιν τῶν στοιχείων τραχύτητος.
3. ad vs 6—7 cf. praef. p. 225.

⟨π⟩εῖν δὶϲ τεθέντα. Α....
τομεν εὐηχεῖϲ εἶναι, [ἀντὶ
δὲ τοῦ ξ⟨ῖ⟩ π[ρ]οϲενοχ[λή-
10 ϲαντοϲ τ[ὴν] ἀκοήν, [μὴ ἔ-
φερον τὸ ϲ[ῖγ]μα δύνα[μιν
ὁμοίαν ἔχον, εὐλόγωϲ [ἀν-
τικόπτειν΄ ὡϲ καὶ ἐπὶ [τοῦ
'ἡ δ' αἶψ' [ἐξελ]θοῦϲα θύραϲ ⟨ὤ⟩
15 ⟨ϊξ⟩ε φα⟨ειν⟩άϲ΄ παραθεὶϲ
δ' ἐξ ⟨ἰδιωτικω⟩τέρου γένουϲ
πλείω τ[ῶν] πλειόνων κα-
τατιθ[έ]μ[εν]α φηϲὶν εὐ[θέωϲ
ἢ ξ̄ ἢ ϲ̄ ἢ κα[λ]ῶϲ ἔχειν ἢ κα-
20 κῶϲ τὸν [ἦ]χον ποεῖν, κα-
λῶϲ μὲν [ὡϲ] παρὰ Ϲοφοκ[λεῖ
'βαρύϲ, βαρὺϲ ⟨ϲ⟩ύνοικο[ϲ, ὦ]
ξένοι, βα[ρ]ύϲ', οὐ διὰ τὴν
ϲύ]νθεϲιν, ὡϲ τινέϲ [φαϲιν,
25 ἐν δὲ] τῷ [βαρὺϲ] ξ⟨ύ⟩νοικοϲ,
ὦ ξένοι, βαρύϲ, βαρύϲ' εἴπερ ‖ (ἐποίηϲεν,...)

4. CA. IV 115 Col. VII.

..............ΠΕΡΜ
..............ΙΝΑ κα-
λὸν?] ἐν αὐτῇ ἔχειν΄ καθό-
λου γ]ὰρ τὴν τοῦ μῦ πρὸϲ
5 τὸ ἄλ]φα ϲυναφὴ[ν] ἄτοπόν
τι ἔχ]ειν περιϲπῶϲαν ἡ-
μῶν τ]ην ἔννοιαν ἐπὶ
ψυχι]κήν τινα διάνοιαν΄
ἐὰν δὲ τ]ὸ νῦ προϲλάβῃ καὶ
10 .....καὶ ἀλλαχῇ δ' αὐ-
[τὸ τοῦτ]ό τε (?) ποεῖν καὶ

vs 7 K charta.
vs 7—8 ἀλλὰ λέγομεν? Us.
vs 9 ΞΕΙ charta, correxit Usenerus.
vs 11 ϲῖγμα Us.
vs 14—15 = κ 230. 256. 312.
vs 15 Α.ΕΦΑΥ.ΑϹ charta.
vs 16 ΔΕΞΙΩΔ..ΤΕΡΟΥ charta.
vs 18 rest. Us. an κατὰ τὰ θέματα?
vs 21—22. 25—26 novum Sophoclis fragmentum.
vs 22 alterum Ϲ a scriba omissum est.
vs 25 ΞΕΝΟΙΚΟϹ charta.
4. ad vs 6 sq. Theocriteum (XV 89) μᾶ, πόθεν ὤνθρωποϲ; confert Büchelerus.
vs 11—17 rest. Büch.

[θεὰν εἶ]ναι (?) Φρυγιακὴν
— 13 — πά[λιν] δ' εἶναι — 14 — δ δὴ
15 — ΛΑ λέγ[ο]ιμεν
[ἂν οὐ φύ]ροντες ἀλλὰ δι-
[αστρέφο]ντες (?) πυκνὸν οὐ
...... ΟΝ γίνεσθαι τἀγα-
θὰ]..φασι κατὰ τὴν <
20 διά]θεσιν, καί[π]ερ οὐδέν-
ων ?] κινούντων ' ὥς- <
τε κα]ταλείπεσθαι δι' <
οὐδὲν] ἕτερον φαῦλον <
ὄνομα ?] γίνεσθαι, ἢ διαν
25 ....Ι ἠχεῖσ[θ]αι. εἰ γὰρ

5. CA. IV 111 Col. III.

6 ἐπιτελεῖ, οἷον 'ἦ [ῥα κα-
ταφθιμένοισι πολυ[λ-
λίστη βασίλεια'. ὅσα δὲ
τῶν καταλαμβανόν-
10 των τὸ στόμα ἄνευ
τῶν μυκτήρων φρά-
ζεται, ἐάν [τι] τούτων
συμπαραλάβηι, ἡδὺν
τὸν ἦχον ἀποτελεῖ,
15 οἷον 'πλάκα' ἢ 'κλάδοι'
ἤ τι τοιοῦτον. ὁμοί-
ως δὲ καὶ γλαυκῶ- <
πιν ' ἡ γὰρ παραλλα-
γὴ βραχεῖα. ὅταν δὲ
20 πρόσπνευσις ἀκολου-
θῇ, οὐκ ἐπιγίνεται
simulatae atque fictae eiusdemque passionum ad res, quae sunt, tamen non debet quaeri vel in usu poni in ipsa Tragoedia, quae est ars laudandi. Quoniam is modus imitandi ac fingendi non congruit omnibus naturis: immo plures hominum eum irrident molesteque ferunt. Ex his igitur patet poetam esse poetam per usum fabularum 5 atque metrorum, prout habet vim imitandi: ipse autem circa imitationem versatur rerum existentium, quae a voluntate pendent atque arbitrio. Nec suum est imitari tantum ea quae sunt, verum et quae arbitratur posse esse. ob hoc enim poeta est: nec propterea a poeta discedit imitando res, quae sunt. nihil enim prohibet ea extitisse eo 10 modo, quo nunc sunt. Ceterum non oportet praestantissimum poetam perficere imitationem per exteriora, hoc est histrionem esse per gestus corporis atque vultus. hoc enim pseudopoetae ac falsi et ficti efficiunt: qui videlicet volunt apparere poetae, cum non sint. neque probati poetae id agunt, nisi cum quaerunt certare contra 15 usum falsorum poetarum. sed si contra optimos poetas certant, id nullo modo agunt. Praestantissimi tamen poetae quandoque coguntur uti episodiis in ipsa fabula, hoc est introductione rerum exteriorum, id est histrionum gratia, atque alienarum ipsi fabulae. non enim semper fit imitatio rerum perfectarum, quas possumus perfecte imi- 20 tari, sed rerum etiam imperfectarum, quae difficile confinguntur in oratione. et ideo in earum imitatione introducuntur res exteriores, praesertim cum quaeritur imitari ipsas sententias, quarum imitatio est perdifficilis, cum non sint actiones neque substantiae. Admiscentur praeterea nonnunquam atque introducuntur huiuscemodi res 25 extrinsecae, et est id quod vocatur histrio et gestus vultus in poeticis imitationibus, ac si casu vel fortuna praeter aliquod propositum provenire appareant: habebuntque admirandam actionem, cum ea, quae a fortuna proficiscuntur, admirationem prae se ferant.

24. Inquit. Plures quidem fabulae pollent atque praestant in imi- 30 tatione simplici, non divisa in varios modos: plures vero aliae praestant in divisione modorum corporis similis atque imitationis. etenim ut res se habet in imitatione, ita in actionibus, quem ad modum ergo actionum alia efficitur unico simplici actu (id est una continua absque peripetia), alia vero uno actu composito et implexo, ita etiam de 35 imitatione est dicendum. Est autem simplex imitatio, in qua agitur alterum duorum generum imitationis, videlicet vel quod vocatur

8 arbitrantur? 13 liber: pseudi poetae. 36 In margine: Inquit interpres. Contrarium videtur innuere Aristoteles, cum dicit in simplici nullum horum reperiri, in implexa vero vel agnitionem vel peripetiam vel utramque (lib. utraque) reperiri.

4: (51b 25). 5: 51b 27—29. 8: 51a 36, 60b 10. 8—11: 51b 29—32. 11: — ? (62a 11?) 17: 51b 36. 19: 60a 27. 28: 52a 4—10. 30: — ? 32—36: 52a 12—18.

peripetia, vel quod vocatur agnitio, id est demonstrationis assumptio. Implexa vero imitatio est illa, in qua utrumque genus simul reperitur. nempe cum incoeperit quis a peripetia, mox transferatur ab ea ad agnitionem: vel ab hac incoeperit, deinde ex ea ad peripetiam trans-
5 feratur. convenientius tamen est primo incipere a peripetia, mox transcendere ad agnitionem. nam multum interest, si quis incipiat primo a peripetia, deinde mutetur ad agnitionem vel econtra ab agnitione ad peripetiam.

25. Inquit. Intelligo per peripetiam imitationem contrarii propo-
10 siti in laudando prius per id, quo animus ab eo recedat retrahaturve ab illo: mox mutetur transferaturque ab hoc ad imitationem ipsiusmet laudabilis. ut si quis voluerit felicitatem vel felices confingere, incipiat prius infelicitatem infelicesque confingere, mox ad imitationem felicitatis et felicium se transferat: hoc autem per id, quod
15 est contrarium imitationi infelicium iam factae. Agnitio vero est mera imitatio rei tantum.

26. Inquit. Pulcherrima autem fit agnitio, si cum peripetia admisceatur.

27. Inquit. Fiunt insuper agnitio et peripetia de inanimatis atque
20 animatis: non quatenus per id quaeratur aliquid agi vel dimitti, sed imitationis tantum ratione; hoc est propter convenientiam aliquam. et hoc quidem genus agnitionis, quod dixit, est quod maxime in Arabum poematibus praevalet, videlicet agnitio et peripetia, quae de inanimatis fiunt. Cumque duo †tempora poematis utrumque genus
25 imitationis amplectatur, sunt maxime pulchra.

28. Inquit. Agnitio humana atque peripetia fiunt pro inquirenda aliqua re vel recusanda fugiendave. huiusmodi autem agnitio quandoque ad misericordiam, quandoque ad metum animum parabit. hoc autem est, quod in Tragoedia desideratur: nempe actiones pulchras
30 laudare, turpes vero detestari.

29. Inquit. Partes igitur tragoediae seu fabulae sunt hae duae, quas definivimus. Tertia superest: nempe quae animi affectiones vel perturbationes parit. Intelligo per affectiones misericordiam et metum atque dolorem. Id autem fit enarratione cruciatus calami-
35 tatumve atque infortuniorum mortalibus evenientium. Haec enim misericordiam atque metum inducunt, quae sunt potissima pars, qua ad affectiones hortamur. quae quidem sunt propositum ipsius Tragoediae apud Aristotelem.

14 lib.: infelicium. 24 In margine: a. l. versus.

9: (52a 22). 15: 52a 29. 17: 52a 32. 19: 52a 34. 26: 52a 25, 38—b 1. 31—37: 52b 9—13. 37: 52b 1.

De tragoediae partibus quantis: unde ducatur eius opus. De Moribus, Agnitione, Episodiis, Connexione Solutioneque fabulae, quatuor Tragoediarum generibus et Affectionibus seu Sententiis. Cap. 6.

30. Inquit. Tragoediae partes, prout ad qualitatem attinent, iam superius exposuimus: sed, ut ad quantitatem spectant, nunc dicendum est. Circa hoc autem ipse Aristoteles memorat quasdam partes proprias carminibus Graecorum. Quae vero in Arabum poematibus reperiuntur sunt tres. Prima est quae se habet apud eos in Rhetorica oratione ut exordium, in quo enarrantur excitationes quaedam. secunda est laudatio vel episodium. tertia quae est veluti id quod in oratione rhetorica se habet ut conclusio (quam exodum vocant). Haec autem pars ultimum apud eos erat vel expeditio, id est quaerere licentiam ab illo, qui laudatur, aut extollere poema, quod dixerat. et prima pars est notior et magis publica hac ultima. Nonnunquam tamen afferunt laudem sine prologo. Et postquam explevit Aristoteles explicare partes poematis, quae erant apud eos, dixit: partes igitur Tragoediae, quae secundum qualitatem et quae secundum quantitatem, iam a nobis dictae sunt. Verum ex quibus locis possit Tragoedia constitui, post hoc dicetur hocque supra dictis addemus.

31. Inquit. Quoniam igitur Tragoediae compositio (ut dictum iam est) non debet esse ex simplici imitatione, sed ex diversis generibus implexa, videlicet ex generibus agnitionis et generibus peripetiae ac terribilium miserabilium affectionum animi imitatrix, quae scilicet animum movet: quoniam laudes pulcherrimae, quae ad virtutem hortantur, debent constare ex imitatione virtutum atque imitatione rerum timorem incutientium doloremque inferentium, quibus homo tristetur, ut est adversa fortuna, in quam incidit, quia est virtutum expers omnino. his enim vehementer anima commovetur ad virtutes assequendas. Nam si poeta ab imitatione virtutis ad imitationem vitii aut viri probi ad improbum se transfert, nihil quidem habet, quod hominem hortetur excitetve ad probitates agendas: cum ex hoc nec amor neque timor de necessitate nobis inferantur. In tragicis autem fabulis oportet inveniri harum duarum rerum contrarium. quod quidem fiet, si ex imitatione virtutum ad imitationem adversae fortunae, in quam probi lapsi sint, se transferat vel ex hoc ad proborum imitationem. haec enim imitatio animum ad misericordiam incitat eamque perterrefacit, ut ad virtutes recipiendas paretur. Huius autem generis imitationis plures invenies historias Legis modo nunc dicto, cum illae historiae Tragicae actionem indicent: ut est narratio Legis de Joseph et suis fratribus et aliis narrationibus, quae increpationes seu correptiones vocantur.

32. Inquit. Oritur autem misericordia, si enarretur adversam for-

5 : 52b14. 13 : — ? 17 : 52b25. 19 : 52b28. 21—23 : 52b31—33. 24—37 : (52b34—53a12). 43 : 53a4.

tunam invasisse quempiam, qui id nullo pacto merebatur. Metus vero ex huiuscemodi enarratione quoque oritur, propterea quia fingitur posse accidere nocumentum ei, qui est illi inferior in hoc, id est in animo audientis, cum ei magis hoc debeatur. Maeror vero atque
5 misericordia ex his oriuntur, propterea quod imaginari potest ea posse accidere illi, qui ea non meretur. At cum virtutes seorsum narrantur, non incutietur in animum terror ex earum privatione neque misericordia vel amor. Si quis igitur voluerit ad virtutem quempiam hortari, debet partem suae imitationis imponere rebus,
10 quae dolorem metum misericordiamve incutiunt.

33. Inquit. Idcirco pulchra Tragoedia quidem est, quae ex huiusmodi compositione constat: hoc est ex virtutibus et rebus tristantibus terrificisque misericordiam quoque afferentibus.

34. Inquit. Quam ob rem illi quidem decipiuntur, qui in Tragoediis
15 suis illud observant, videlicet ut plures partes Tragoediae in infelicitatem terminentur.

35. Inquit. Argumento vero illud sit maximo, scilicet hoc insequi Tragoediam: quoniam in scenis introducuntur, quae iracundiam provocent. Est autem iracundia dolor cum vehementi appetitu ad
20 vindictam. ergo narrare infortunia et calamitates, in quas viri probi et praestantes prolapsi sunt, maiorem inquam inferent illis erga illos amorem: timorem vero si virtutibus careant. Aliqui tamen introducunt in illis scenis tragicis imitationem vitiorum et scelerum simul cum rebus laudabilibus, cum habeant quid peripetiae. Verum vitu-
25 perare vitia est potius Comoediae proprium quam Tragoediae. idcirco non debet eorum imitatio principaliter esse in Tragoediis, sed propter peripetiam. Si igitur in Tragica fabula enarrentur vitia, narrabuntur quoque in ea procul dubio amici, qui effecti sunt, inimicive invicem. Tragoediae vero ex enarratione actionum affinium
30 atque amicorum consistunt. sed de inimico inimici aut de amico amici nec in Tragoedia neque in comoedia fit mentio: cum ibi nec amicus neque inimicus existat.

36. Inquit. Fabulae autem terrificae atque tristitiam afferentes debent visu approbari: hoc est, ut sint verae certaeque. nam si
35 essent dubiae vel ex dubia origine orirentur, non fungerentur munere suo sibi proposito. nam id, quod homo non certe scit, non timet neque tristatur ab eo. hoc autem, quod Aristoteles dixit, est causa, ob quam multi, qui non redduntur certiores manifestis, sunt vilissimi viri atque vitiosi. Homines etenim natura moventur altera
40 duarum rationum: nempe vel demonstrativa vel non demonstrativa.

---

1 liber: ullo. 33 In margine (nisi forte — id quod verisimilius est — ad priorem locum pertinet): Interpres. Credo Averroem non intellexisse hunc locum.

2: Rhet. 2, 5 p. 1382b 26, 1383a 9. 11: 53a 12—17, 21. 14: (53a 24—26). 17: (—?). 19: (Rhet. 2, 2 p. 1378a 31). 27: (53b 15). 33: 55a 22.

hoc autem genus hominum vilissimum a nulla harum duarum rationum movetur.

37. Inquit. Sunt aliqui poetae, qui in *Tragoedias introducunt aliquid portentosum atque monstrosum dumtaxat, etsi nec terrificum neque contristans fuerit. tu autem invenies plura huius 5 generis in scripturis Legis. in poematibus vero Arabum laudes virtutum non invenies. verum hac nostra aetate reperiuntur in statutis atque sermonibus scriptis.

38. Inquit. Haec actio, scilicet portentosa, aliena prorsus est a Tragoedia. Quippe quoniam non quaecunque delectatio contigerit a 10 Tragoedia quaerenda est, sed quae est ei propria delectatio.

39. Inquit. Manifestum est, quaenam sint res, quae delectationes afferunt in suis imitationibus praeter hoc, quod sequatur ex hoc dolor vel metus. Quae vero cum delectatione misericordiam et metum afferant, facile quis id considerare poterit, si quaerat, quae 15 nam sint res molestae ex adversis fortunis et calamitatibus contingentibus, ex quibus nec maximum dolorem neque timorem assequatur: ut sunt ea, quae inter amicos invicem ex infortuniis et offensionibus ex suo arbitrio accidunt; non ut quae inter inimicos invicem eveniunt. Nemo enim tristatur neque miseretur mali accidentis 20 inimico ab alio inimico suo, ut tristatur et timet ob malum illatum ab amico suo in amicum suum. Verum licet ex hoc quis dolore afficiatur, non tamen eo dolore, quo afficitur a malo illato ab altero amico in alterum amicum veluti si frater fratrem vel filius patrem aut pater filium necet. Et ob hoc illa historia, in qua narratur prae- 25 ceptum fuisse Abraae, ut iugularet filium suum, videtur esse maxime metum atque maerorem afferens.

40. Inquit. Tragoedia debet esse circa actiones laudabiles, quae voluntate et scientia fiunt. quoniam rerum aliae nec per notitiam fiunt neque per voluntatem, aliae vero per notitiam, non per volun- 30 tatem, aut per voluntatem et non per cognitionem. itaque quoque actionum aliae fiunt a sciente, aliae ab ignorante. Quaecunque autem actio absque cognitione et voluntate evenerit, non introducitur in Tragoediam. Identidem si ab incognito aliquo proveniat: nam tunc potius inter mendacia vel scelerosa introducetur quam 35 inter fabulas poeticas. nec oportet illam imitari: verum optima atque pulcherrima est indicatio, quae ab actionibus, quas non dubitamus evenisse, ex voluntate et scientia atque rebus scitis sumitur.

41. Inquit. Igitur tum quales esse debeant contextus rerum, ex quibus fabulae poeticae constant, et quo pacto constent, satis iam 40 dictum est.

---

3 In margine: spectaculum Tragoediae.

---

3 : 53b 8. 9 : 53b 9—11. 12—25 : 53b 14—22. 28 : (— ?). 29—32 : 53b 27—36. 39 : 54a 14.

42. De moribus vero, quos in Tragoedia imitamur, qualesnam esse debeant, nunc tractandum est. Dicamus ergo, quod mores confecti in optima Tragoedia, videlicet quae delectat auditores, sunt quatuor genere. Unum idque primum genus morum est, cum illi mores pro-
5 bitatem prae se ferunt optimique sunt in eo laudato. nam quod in animo imprimitur, est imitatio rerum verarum illi laudato inhaerentium. in unoquoque genere aliquod inest bonum seu probum, etsi sint res improbae. Secundo loco sequitur, ut illi mores conveniant illi, qui laudatur, congruantque. multi etenim sunt mores, qui
10 mulieri convenirent, non convenient viro. Tertio, ut illi mores in eo reperti maxime convenientes atque similes reperiantur in eo, quantum possibile fuerit. Quarto ut sint medii inter extrema aequalique tenore procedant. Hoc autem ideo fit, quia improbis moribus non laudatur aliquis neque moribus non convenientibus illi, licet
15 sint probi. itidem neque probis moribus, si non perfectissimo modo, quo fingi poterunt, confingantur, vel si sufficientes non fuerint. Morum autem qui probi sunt praestantemque probitatem indicant, quidam sunt ita re vera, quidam vero apparenter: alii vero sunt his duobus similes. Optimi vero mores vel sunt veri vel vero similes,
20 vel apparentes (seu famosi) vel apparentibus et famosis similes: omnesque hi in Tragoediam introducuntur.

43. Inquit. Oportet fabularum solutiones atque carminum indicare ea, quae praeenarrata fuerunt de moribus in ipsis, qui laudati fuerunt, sicut fit in conclusionibus Rhetoricae, et ut poeta nihil
25 afferat in fabula sua ex imitationibus, quae extra Tragoediam sunt, nisi quantum oratores solent de hoc afferre: ita ut nec de excessu vel defectu aut aliquo artificioso Tragoediae altero accusetur.

44. Inquit. Tragoediae sunt imitatio rerum praestantissimarum. et quemadmodum excellentissimus pictor pingit hominem ut est
30 in se, ita ut iracundos desidesque et segnes depingit, quamvis ii sint animae affectus: ita oportet etiam poetam imitari omnia, ut sunt, tum mores, tum etiam animi affectiones, ut Homerus de fortitudine Achillis dixit.

45. Inquit. Oportet poetam uti in sua imitatione rebus consuetis
35 imitari nec transcendat in hoc limites usus et Poesis.

46. Inquit. Multa sunt genera indicationum, quae hoc ordine procedunt, videlicet ipsa imitatio, quae recto ordine et secundum artem procedit. nam quaedam imitantur res sensatas per res sensatas, quae solent ambiguitatem afferre illi, qui eas inspicit, et inducunt
40 hominem, ut credat ipsas esse easdem, propterea quod communicant

1 In margine: repetitum legentium commoditatis causa: De moribus. 16 lib.: poterint.

1 : 54a 16. 4 : 54a 17. 8 : 54a 22. 10 : 54a 24. 12 : 54a 26. 17 : 54a 33. 22 : 54a 37—b 8. 28 : 54b 8—14. 34 : 54b 15—18. 36 : (54b 19—28).

n affectibus sensibilibus: ut qui aliqua astra cancro similant, aliqua ılia serpenti, quia propter figuram potest aliquis suspicari et imaginari esse eadem, quia communicant in re sensibili. et maior pars mitationum Arabum sunt huius generis et ideo literae similitudinis ıpud eos dubietatem afferunt. Et quanto fictores magis accedunt 5 ıd dubietatem afferendam, tanto videntur esse praestantiores in ingendo. econtra vero, quanto minus ambiguitatem afferunt, minus ›raestant in imitando, quae quidem imitationes remotae debent ›mnino omitti. Sunt et quaedam alia, quae imitantur res denomiıatas ac descriptas per quasdam res sensatas, quando illae res 10 ensatae habent actiones proportionatas et correspondentes illis lenominationibus seu epithetis, ita ut existimetur eas esse easdem. ıt cum dicunt gratiam esse monile quoddam, vel est torques, et quod ›eneficentia est ligamen quoddam, ut dicebat alibi in quodam suo armine. et huius generis multa reperiuntur carmina apud Arabes, 15 ed quae non correspondent neque sunt proportionata vel similia, ut .iximus, debent omnino relinqui. hoc tamen genus multum reperitur n poematibus recentiorum. At quemadmodum ea, quae sunt diffiilia inventu, debent relinqui, ita etiam imitatio rei excellentis et obilis per vilem debet omitti: immo imitatio debet fieri per prae- 20 tantiora.

47. Inquit. Extat adhuc aliud genus fabularum, videlicet quae otius ad veritatem et persuasionem accedunt quam ad imitationem t fictionem et ad exempla Rhetorica magis accedunt quam imita:onem poeticam. huiusque generis carmina multa sunt Arabum. 25

48. Inquit. Tertium autem genus imitationis est illud, quod per eminiscentiam fit: ut cum poeta affert aliquid, quo in animum aliuid aliud revocat, ut si quis scripturam alicuius inspexerit, propter uam recordatur de eo et dolet de ipso, si est mortuus, aut desierio afficitur, si vivit. hoc etiam genus carminum reperitur apud 30 .rabes saepe. huic proximus est usus Arabum ex recordatione micorum in imitatione, quos re imitata habent. Multifariam tamen .rabes utuntur assimilatione, modique ipsius usus sunt plures. et leo aestimatur, quod sit ex locis poeticis propriis amor mulierum, ttinet tamen quandoque ad misericordiam. 35

49. Inquit. Quartum genus imitationis est memorare aliquod inividuum simile alteri eiusdem generis. Talis autem similitudo non rit, nisi vel in more vel in forma, ut si quis dixerit: venit ille, qui st similis Iosepho. Declaratio autem per simile est contraria imiıtioni. imitatio enim est ambiguitatis suspicio ac intromissio. De- 40 laratio vero similitudinis inter duo est verificare, quod datur simile, t is est finis convenientiae ipsius similitudinis, videlicet cum dicitur: ılis est similis tali.

34 liber sit: nescio an fit sit legendum.

14: — ? **22**: (55a 16). **26**: 54b 37—55a 3. **36**: 55a 4—12.

50. Inquit. Quintum genus est, quod per paralogismum fit: quo utuntur Sophistae poetae, et est multum in usu apud Arabes, ut cum dicitur: hostes nostros cornibus percutiemus, licet essent Sol et Luna. hoc enim totum est falsum, quod plurimum reperitur in
5 fabulis poeticis Arabum.

51. Datur et alius locus sextus apud Arabes famosus, videlicet ponere in suis orationibus rhetoricis atque responsis res inanimatas vice rationalium, cum habeant aliquas affectiones similes ratiocinio: ut est sermo poetae de umbris et alia id genus, quae multa sunt
10 in eorum poematibus, et ipse Aristoteles fecit mentionem de hoc loco, et dixit Homerum habere eum multum in usu.

52. Inquit. Optima agnitio et peripetia fiunt de actionibus voluntariis, et maior pars huius generis agnitionis consistit in laude actionum praestantissimarum et vituperio improbarum, et haec ratio fit
15 in Arabum poematibus.

53. Inquit. Optima constructio fabulae poeticae atque perfecta eius constitutio fit, cum poeta devenerit ad describendam aliquam rem vel aliquem casum accidentem seu rei adventum, ita ut auditores putent id manifestissimum atque oculis sensatum sit. et hoc
20 in fabulis poetarum Arabum satis reperitur. Verum hoc genus imitationis apud Arabes vel est de actionibus incontinentium vel de eo, cuius convenientia similitudinis tantum praecessit. nam multa sunt Arabum carmina seu fabulae, quae de luxu venereo tractant. multa adhuc, in quibus nihil aliud quaeritur quam convenientia
25 similitudinis vel imitationis. Reperiturque hoc etiam in Graecorum carminibus, cum res occurrentes, ut sunt bella, describunt vel aliqua alia, quibus homines laudantur. optimum autem hoc genus imitationis est, cum primo statim substituuntur omnia, quae describere proponit, mox illis superaddat et constituat illas tres partes poematis
30 iam dictas, videlicet imitationem numerum harmoniam.

54. Inquit. In dramatibus itaque sive actibus agnitio ipsa est res longa valde. et videtur innuere per hoc multas esse agnitiones variasque verificationes habere.

55. Inquit. Universa Tragoedia partim connexione partium eius
35 continetur, partim solutione. Videtur autem quod id, quod maxime similatur connexioni, quae in eorum carminibus reperitur, est illa pars, quae apud Arabes nexus appellatur. Tandem prologus carminis in partibus Tragoediae et solutio est distinctio illarum duarum partium, scilicet alterius ab altera, videlicet quod seorsum
40 afferuntur.

56. Inquit. Quatuor autem sunt genera Tragoediae, quorum tria sunt simplicia, quae iam dicta sunt antea, videlicet peripetia agnitio atque patheticum genus seu affectitium, ut cum fit sermo de his,

1 : 55a 12—15. 10 : — ? 12 : (55a 16). 16 : 55a 22. 27 : 55a 34—b 2. 31 : (55b 6—12). 34 : 55b 24. 37 : (55b 25). 41 : (55b 32).

qui apud inferos sunt, ut Aiaces Ixionesque. Quartum est, quod ex his constat sive ex tribus sive ex duobus eorum. Scias tamen, quod imitationes horum quatuor generum Tragoediarum alicuius actionis voluntariae ac excellentis non reperiuntur in fabulis Arabum poeticis. 5

57. Inquit. Aliqui poetae praestant in carminibus longioribus suae orationis: aliqui vero et fabulis atque carminibus brevioribus; cuius rei causa est, quia cum optimus poeta describat omnia secundum proprietates suas atque secundum suum esse, haec autem sunt diversa et multitudine et virtute uniuscuiusque rei descriptae: id- 10 circo optima imitatio non debet transcendere proprietates rei neque eius essentiam. Sunt tamen aliqui, qui assueti sunt vel a natura sunt proni ad imitandas res, quae paucas habent proprietates. hi autem praestant in poematibus brevibus, non autem in carminibus longioribus. Aliqui vero alii econtra, scilicet qui carmina longiora 15 efficiunt. hi autem sunt assueti tractare de rebus habentibus multas proprietates vel sunt a natura sua proni eas imitari vel utrumque horum una concurrunt.

58. Inquit. Aliquae sunt imitationes et res, quae ad carmina longiora, aliqua vero ad breviora. aliquando etiam metrum respondet 20 rei et non imitationi: nonnunquam vero econtra, quandoque neutro eorum correspondet. Invenire autem horum, exempla in carminibus Arabum est perdifficile vel impossibile.

59. Inquit. Accedunt quidem ad eas res, quibus poemata constant, annectunturque aliquae res exteriores, quae sunt scilicet affectus illi 25 qui in voce poetae existunt eiusque figura, ut iam dictum est. Maxime vero hoc in usu est apud poetas, qui fabulas ex genere pathetico seu affectivo fingunt, ut qui de inferis tractant. sed quia iam locuti sumus de his, quae poemata constituunt, prout sunt eorum verae partes, nunc consentaneum est quoque de his tractare. Dica- 30 mus ergo has actiones summatim esse, quae affectiones indicant. Et ideo, cum hae adstruuntur, debent cum illis orationibus adstrui, quoniam hae ostendunt affectionem illam, quam quaerimus in oratione affirmare et constituere, ac si iam evenerit et verificata fuerit: sed iam in libris rhetoricis actum est de sententiis patheticis rhetoricis 35 de generibusque affectionum, quas hae orationes afferunt. et ideo huiscemodi actiones magis attinent ad librum Rhetoricorum quam ad librum Poeticae. Affectiones autem seu perturbationes, quae orationem rhetoricam aut poeticam adstruunt, sunt timor iracundia misericordia exaggeratio reliquaque iam in libro Rhetoricorum enu- 40 merata. Constat autem, quod, quemadmodum dantur sermones has perturbationes afferentes, ita dantur aliqui gestus et figurae ipsius

---

20 liber: respondent.

---

6 : — ? 19 : — ? 24 : — ? 38 : 56a 36. 41 : — ?

dicentis, quae ostendunt atque affirmant ea, quae has perturbationes afferunt, et quod haec eveniant ad eventum rerum, quae ab illis afficiuntur, afficiaturque atque perturbetur, qui ea aspicit. huiuscemodi vero figurae et gestus, si fiant in fabula, debent quidem
5 fieri cum sermonibus afficientibus poeticis, et hoc sive exaggerando sive diminuendo vel per aliqua miserabilia vel terrifica, cum haec ad artem Histrionicam et Tragicam attineant, ut de sermonibus affectivis iam dictum est. Fiunt tamen haec in sermonibus afficientibus, qui non sunt veri, hoc est quod non sunt manifestae simili-
10 tudinis. Quoniam qui sunt manifestae similitudinis et correspondent proposito et sunt veri, non indigent his rebus exterioribus: quoniam tunc essent potius adscribendi vituperio et dementiae, cum haec fiant cum his sermonibus, quibus nequeunt propositum assequi, nisi haec illis annectantur, et sunt sermones mali. et ideo poeta non
15 debet eis uti, cum tantum abest, ut non vere †liceant, sed perturbant dictionem et dicentem, qui optimus habetur histrio in mensurandis ponderandisque rebus.

60. Inquit. Satis est poetae, si ex his figuris utatur illis, quae sunt propriae unicuique generi orationum, videlicet si necesse sit in
20 his histrionem se constituere. Intelligo autem per figuras orationis figuram orationis enunciativae atque interrogativae nec non imperativae atque optativae seu deprecativae. quoniam figura enunciantis differt a figura interrogantis. itidem figura imperantis est alia a figura deprecantis et optantis. ex rebus ergo exterioribus
25 aliis satis est poetae uti figuris sermonum. nam cum soleant dementiam afferre sermonibus poeticis, non debent adscribi parti artis Poeticae, sed aliae eius artis parti.

De Dictione ac eius partibus et ipsius virtute. De imitatione Heroica et peccatis ac defensionibus Poetarum.
30 Cap. 7.

61. Inquit. Elementa sermonum, in quae resolvitur omnis locutio poematum Graecorum, sunt septem, videlicet syllaba coniunctio nomen verbum articulus casus oratio. Elementa autem syllabarum sunt indivisibiles. intelligo per elementa ipsas litteras: sed non
35 quidem omnes, sed illa tantum, ex qua suapte natura constitui possunt syllabae: quae quidem sunt res simpliciores, quibus loqui possit. nam voces ferarum indivisibiles quidem sunt in litteras: ideoque dicimus nullam vocem earum ex litteris constare neque aliquam partem vocis earum esse litteram. Vocis autem quae est

15 In margine: a. l. sint superflua. 25 liber: clementiam. 32 I. m.: Ait interpres. Aristoteles dixit octo et addit elementum et ita legendum est apud Averroem, ut ex expositione patet.

18 : 56b 8   26 : 56b 19.   31 : 56b 20.   33 : 56b 22.
39 : 56b 25.

yllaba, partes sunt litera vocalis aut litera muta. Vocalis est quae esultat ex percussione, quae fit ex labiis aut dentibus vel aliis parbus gutturis, et est vox composita inseparabilis: intelligo per inəparabilem, quae non potest separari in locutione a litera muta. 'ocantur autem ipsae vocales apud Arabes motus id est puncta. 5 t vocantur etiam literae adhaesionis et literae aspirationis. Litera ero muta est, quae cum adiectione literae vocalis existit: hoc est uae habet vocem intelligibilem seu audibilem, si cum muta complietur. Muta quoque exaudibilis est sonumque reddit adiuncta his, uae aliquam vocem reddunt ut Ab. Hae quoque literae differunt 10 iter se figura oris locisque, quibus inhaerent et a quibus proficiuntur, longitudine atque brevitate, aspiratione ac tenuitate, et andem omnibus extremis vocum atque mediis, quae inter ipsas ant, quae ad metra et harmonias pertinent. Syllaba autem est vox ihil penitus significans, composita ex muta ac ex vocali litera. nam 15 et r, scilicet gr, non possumus seorsum loqui, sed oritur vox ex arum aggregato cum vocali, ut gra. et ut verbo dicam, vox ex uobus quidem oritur: nempe ex ea re, quae se habet ut materia t vocatur muta litera, et in lingua nostra vocantur mutationes et terae contextus ac tenuitatis. Coniunctio autem est vox composita, 20 iinime per se significans seorsumque: ut est apud Arabes litera au, et dictio item tandem sunt illae literae, quae locutionem colligant iter se: et hoc apud Arabes efficiunt etiam in initio orationis locatae, t certe, vel ut sunt literae condicionales, quae annexionem et conınctionem significant ut vel, tunc, cum, id est, quando. Articulus 25 ero (seu distinctio Arabice) est quoque vox composita minime signicans per se. et ut summatim dicam, est id, quod distinguit orationem ab oratione, ut an sed, et literae adversativae, ut at certe etc., uae tum in initio orationis tum in fine locari possunt. Intelligo utem, cum dicit vocem non significativam per se, voces simplices, 30 uae significant in compositione id est cum componuntur cum aliis ; sunt literae rerum, non literae alphabeti. Quoniam voces per se gnificantes, quae ex pluribus constant vocibus, sunt trisyllabae vel uadrisyllabae et aliae id genus figurarum, quae quidem sunt nomen ; verbum. Nomen quidem est vox vel dictio per se significans 35 iquid sine tempore, cuius nulla separata partem rei significat. et oc tam simplicibus nominibus quam compositis commune est. Nam ominum compositorum ex duobus nominibus usus non est, ut quaebet pars eorum significet partem rei significatae per aggregatum illoım duorum nominum, ut servus regis, si ita contingat aliquem vocari. 40

4 liber: quod. 13: eandem? 26 In margine: Ait interpres. Non odem tenore capitur apud Arabes ut apud Graecos ideoque non penius conveniunt.

1: —? 6: 56b 28. 10: 56b 31. 14: 56b 34. 20: 56b 38. 5: 57a 6. 35: 57a 10. 41: 57a 14.

62. Verbum autem est vox vel dictio significativa alicuius rei, cuius nulla per se pars separata significat partem illius rei: ut de partibus nominis dictum est. Differt autem verbum a nomine per hoc, quod significat tempus rei significatae, nam homo et album non
5 significant cum tempore, sed ivit vel ibit significant tempus praeteritum et futurum. Casus vero tum ad nomen, tum ad verbum, tum ad orationem pertinent. Nomen autem cadens seu obliquum est nomen relatum alicui ut sunt apud Arabes nomina punctuata cum parhach vel cum chirec. oratio vero obliqua est veluti per modum
10 imperandi aut interrogandi. Obliquum autem verbum est, quod praeteritum vel futurum significat: rectum vero, quod praesens significat: hoc autem est proprium idiomati eorum. Oratio autem est sermo compositus significativus, cuius quaelibet pars per se significat. Duobus vero modis una dicitur oratio: aut enim significans
15 unum per se est, ut hic homo est animal: aut est una propter coniunctiones eam coniungentes, ut cum dicitur historia una.

63. Inquit. Nominis generum aliquod est simplex et est illud, quod ex nominibus aliquid significantibus minime constituitur. Aliquod vero compositum et est duplex, nempe vel quod ex nominibus minime
20 significantibus constituitur, videlicet prout unicam rem nominare quaeritur, ut servus solis, servus arcus. sic enim nihil significant. Aliud est quod ex nominibus significantibus constituitur. Omne praeterea nomen aut est *proprium aut ab alia lingua aut translatum, quod parum est in usu, aut ornatum seu metricum aut fictum
25 aut productum aut subtractum aut commutatum. Proprium quidem est, quod in proprio usu est omnibus, qui sunt in unaquaque gente.

64. Ab alia vero lingua seu adventicium nomen est, quod ex alia natione sumptum est et ipsum poeta introducit eoque utitur in poemate suo, ut apud Arabes frequenter fit. Translatum vero nomen,
30 quod raro in usum venit, est illatio nominis alieni atque translatio, vel a genere ad speciem, ut vocare translationem motum, vel a specie ad genus, ut iugulationem mortem vocare, aut a specie ad speciem, ut deceptionem vocare furtum: aut quod transferatur aliquid proportione respondens, ut quando aliquod secundum ad primum simili
35 ratione se habet qua quartum ad tertium, ut vocabant aliqui Antiqui senium vesperam vitae et vesperam senium diei, quoniam ea ratione se habet senium ad vitam, qua vespera ad diem. Fictum praeterea nomen quod novum est, a nemine usurpatum, sed tantum a poeta fictum et primo impositum. hoc autem apud Arabes non est
40 in usu, reperitur tamen in artibus nuperrime ortis et adinventis: verum quod in artibus fit, translatum est, non fictum. Porro productum atque subtractum non reperiuntur apud Arabes. erat autem

23 In margine: Averrois dicit verum.

6 : 57a 18. 12 : 57a 23. 14 : 57a 28. 17 : 57a 31. 21 : 57b 1. 25 : 57b 3. 27 : 57b 4. 29 : 57b 7—32. 37 : 57b 33. 41 : 57b 35.

productum, quod longiore vocali uteretur, quam sit eius propria ad partium harmoniam. per subtractum intelligebant nomen aliqua adiectione aut subtractione mutatum et ablatione atque conversione. intelligit autem per haec ea nomina, quibus difficile loquimur. per nomen autem intellectum puto intelligat diversum. Commutatum nomen est metaphoricum, quod ab aliqua re simili usurpatur, ut stellam vocare aquilam, aut a contrario ut solem corvum vocare, aut ab rei sequela ut vocare pinguedinem humidum et pluviam coelum.

65. Inquit. Praestantior oratio, quae intelligentiam praestat, est, quae omnibus est perspicua neminique incognita. Huiusmodi autem orationes ex nominibus notissimis constant, quae traditione recepta iam sunt, quae paulo ante propria vocavit nomina. appellantur quoque dominantia ac usualia. et oportet oblivioni non tradi, quis sit ille poeta, qui maxime hoc genere dictionum utitur.

66. Inquit. Orationes praestantiores maximeque venerandae sunt, quae ex nominibus receptis constant atque ex vocabulis peregrinis translata sunt et ex commutatis et cognominibus. nam si totum poema fuerit expers propriarum dictionum, erit utique aenigma vel barbarismus: et ideo barbarismi et aenigmata constant ex peregrinis nominibus. Voco autem peregrina translationem extensionem varietatemque linguarum: hoc est nomen translatum metaphoricum aequivocum et varietate linguarum praeditum. At si quis haec omnia simul congerat, ut diximus, aenigma efficiet vel barbarismum: aenigma quidem, si translationes, barbarismum vero, si linguas. Aenigma ergo ac Barbarismus est oratio, quae ex minime congruentibus inter se ita, ut correspondeant alicui rei, constant. Quod si per dictiones vulgares ac triviales id fiat, tunc congruentia illarum rerum inter se effici non poterit; sed si per dictiones non vulgatas, tunc effici poterit. Virtus autem orationis poeticae praestantioris est, ut ex propriis constet nominibus. sed cum non triviale minimeque humile genus quaerat, tunc utatur alio genere nominum. Itaque ridiculus est, qui quaerit perspicuitatem et utatur nominibus aequivocis, peregrinis aut lingua variis aut fictis. quemadmodum ridiculus quoque erit, qui quaerit admirationem, seu excludere vulgare ac delectationem quaerat, si nominibus plebeis omnibus utatur. Ergo poeta non debet excedere in usu nominum non propriorum, ne ad aenigma labatur, neque et propriorum, ne a forma poetica ad sermonem omnibus vulgatum labatur.

67. Inquit. Concinnitas atque convenientia dictionum inter se invicem atque mensurae aequae omnibus partibus correspondens est

9 In margine: Hic Averrois omisit de nomine Masculino, Feminino et Neutro tractare, de quibus Aristoteles hic locutus est.

5 extr.: 58a 5. 10: 58a 17. 14: 58a 20. 16: 58a 21. 18: 58a 24. 30: 58a 31. 40: 58b 11.

quidem quaedam regula necessaria communisque omnibus dictionibus, quae sunt partes orationis poeticae. nam nos invenimus poetas, qui licet utantur vocabulis propriis, ubi homines eos irrident propter huiusmodi usum eorum, nihil minus eorum poema non erit expers
5 horum duorum, verbi causa metri et harmoniae in mensura, immo hoc est commune cunctis generibus poematis. at in carminibus, quae ex nominibus diversis constant, hoc magis apparet. Concinnitas vero dictionum ad mensuram, de qua locutus est, est ipsa convenientia inter sese in numero literarum. et si cum hoc adhuc con-
10 veniant in tota Poesi aut in parte eius, vocatur concinnitas et correspondentia seu proportio a contemporaneis nostris.

Inquit Averrois. Concinnitas in carmine multifariam fit, nam vel erit in tota oratione et toto negotio seu significato ut proditor proditor est, depraedator depraedator est, et alia id genus, vel erit in parte ora-
15 tionis et parte negocii, vel erit in parte orationis et in toto negotio, aut in tota oratione et parte negotii: aut in tota oratione tantum aut in parte orationis tantum aut in toto negotio tantum aut in parte negotii tantum. exemplum concinnitatis in parte orationis ex parte negotii (seu significati) sunt nomina derivata ab eodem significato
20 et usu, ut cum dicimus: quot sunt viri puniendi, tot evenient punitiones et pro mensura et quantitate ambitionis erunt ambitiones. Exemplum concinnitatis in parte orationis et toto negotio, ut cum dicimus: moneta est excussio principis et excussa a principe. Exemplum vero huius contrarium in tota oratione et in parte negotii, ut
25 cum nominibus utimur dubiis, ut cum diceretur: tegebat carnem sui et comedebat carnem sui, et quae conveniunt in parte orationis tantum, ut si dicatur: petrus vocatur et petram habet. quae vero in toto negotio tantum, ut sunt nomina synonyma ut fortis robustus. Exemplum eorum, quae in parte negotii tantum, ut sunt nomina
30 disparata et distincta, quae unam et eandem rem significant diversis modis ut favus mel. Carmina vero Arabum concordant in quantitate seu mensura et in calce fineque orationis, sive in una litera, quae est ultima, sive in duabus literis. Porro metrum seu numerus partium orationis quadrifariam fit: primo si afferatur ali-
35 quid et eius simile, ut si dicatur sol et luna, aut contraria afferantur, ut si dicatur nox et dies, aut afferatur aliqua res et quae sunt ad eius usum, ut equus frenum et sagitta arcusque, aut res correspondentes aut proportionales afferantur, ut rex et Deus. haec autem proportionalia et correspondentia ex quatuor sumuntur rebus.
40 68. Inquit. Oratio est varia et mutatur a propria et vera, cum afferuntur in ea nomina metro concinna atque peregrina aliaque id

12 In margine: Interpres. Averrois voluit imitari Aristotelem in tradendis exemplis de concinnitate et attulit exempla in Arabica lingua quae non ita respondent. 30 liber: disperata.

40 : 58a 21.

genus mutationum. Argumento autem est, quod oratio poetica sit variata, quoniam, cum mutatur variaturque vera oratio, vocatur poema vel oratio poetica habetque actionem poematis seu fungitur officio poematis. tu autem invenies poemata commoventia seu incitantia ita se habere omnino. Quod si fuerit expers mutationum, 5 nihil Poesis habebit praeter metrum tantum. fiunt autem varietates numero et concinnitate et permutatione et imitatione et tandem affert orationem non usitatam, ut est dimissio et conversio, additio atque negatio, prioritas postpositio, mutatio sermonis ex affirmatione ad negationem. ut si quis dixerit: quisnam interfecit hunc praeter 10 te? vice huius: scilicet tu interfecisti eum, et ex negatione ad affirmationem etiam et demum ex opposito in oppositum. Ex varietatibus vero pulchris est concursus contrariorum in eandem rem, ita ut unum contrarium sit causa alterius contrarii. praestantior autem horum sermonum est, qui clarior ac manifestior similiorque. raro 15 tamen reperitur hoc in poemate, quoniam horum quodcunque fuerit clarius atque similius, indicat maiorem experientiam: et hoc genus amplectitur optimam actionem poematum: hoc est movere animam. exempli causa mos cum fuerit vehementis similitudinis, praestabit optimam imitationem atque intelligentiam simul. Quandoque tamen 20 accidit ex permutatione proportionata seu correspondente exigua intelligentia atque perceptio in animo auditorum eius, ut cum dicebatur: quando dignoscetis et distinguetis inter capillos flavos et albos? aliqui enim putabant albos esse veros, sed pro flavis intelligeretur adulterium. 25

69. Inquit. Nomina composita quadrant illi metro, in quo publicatur optima fama de bonis viris praeter aliquam pronunciationem alicuius particularis viri eorum. haec autem raro inveniuntur apud Arabes, ut servisolis pro servus solis. nomina autem variata quadrant illi poemati, in quo agitur de die iudicii et perturbationi- 30 bus quibusdam: et hoc genus poematis est apud Graecos notum. Metaphorica vero nomina peregrina sunt propria poematibus, quae de exemplis et iudicio ac historiis publicis agunt.

70. Inquit. De Tragoedia igitur et de imitatione accommodata ad actionem ac de his, quae communia sunt generibus poematum, satis 35 hactenus a nobis haec dicta sint.

71. Historiae vero narrativae seu fabulae partes sunt principium medium finis, non secus ac in Tragoediis et in imitatione. verum illarum imitatio non est actionum, sed temporum, in quibus illae actiones evenerunt. his enim fit imitatio dispositionum, videlicet 40 quonam modo se habuerunt dispositiones temporis prioris ad eas,

33 In margine: Interpres. Averrois digressus est, ut complecteretur genera poematum Graecorum per poemata Arabica et confundit Aristotelis sensum obscure loquendo. 37 I. m.: De imitatione heroica.

1 : — ? 26 : 59a 8. 34 : 59a 15. 37 : 59a 16.

quae posterioris: identidem translatio posterioris et regni et dierum. huius autem generis imitatio raro fit in lingua Arabica, saepissime vero in historiis Legalibus.

72. Inquit. Partes huius generis sunt eaedem cum partibus Tra-
5 goediae praestantioribus, scilicet peripetia et agnitione et quae ex his duabus constant. quandoque tamen aliquae eius partes sunt genus patheticum, ut in Tragoedia etiam. et iudicia etiam eorum in usu harmoniae et apparatus sunt iudicia Tragoediae.

73. Narrat autem Aristoteles differentiam, quae est inter Tragoe-
10 diam et alia genera Epopoeiae, quae erant eis propria ut quae peripetiis agnitionibus affectibus atque sententia et imitatione dictioneve: et quod dantur quaedam metra, quae magis congruunt quibusdam poematibus quam quibusdam aliis. Narratque Aristoteles, quis poetarum recte et quis non recte se gesserit in hoc, extollitque Homerum
15 super ceteros alios. Totum tamen hoc est proprium ipsis Graecis et non reperitur apud nos simile: vel quia hoc, quod Aristoteles narrat, non sit commune pluribus gentibus, vel quia in his contingit ipsis Arabibus quid praeter naturale, et est evidentius, quoniam absit, quod Aristoteles in hoc suo libro describat aliquid, quod sit
20 proprium ipsis Graecis, sed quod sit commune cunctis gentibus naturalibus.

74. Inquit. Id, quod poeta affert, debet esse brevius respectu orationis imitationis, ut quod faciat prologum breviorem: deinde se transferat ad id, quod vult imitari, et nihil inusitatum circa hoc
25 afferat, sed usitatum tantum, quia inusitatum negatur. dixit autem hoc, ut opinor, quia gentes habent in suis imitationibus proprios usus secundum tempora et regiones.

75. Inquit. Si sermones longiores fiant nullamque varietatem neque imitationem habuerint, tunc considerare oportet in hoc, ut affe-
30 rantur dictiones notae, quae significant res ipsas, non contrarias vel diversas, quae ex rebus apud eos manifestis constent. Sintque faciles in sermone, et videtur, quod hoc sit, quod apud Arabes elegantia sermonis vocatur. verum oportet hunc sermonem esse manifeste verum et vulgatum. nam veritas, quam conatur afferre, solvit pecca-
35 tum exiguae eloquentiae, quam obtinet, exiguaeque varietatis et imitationis.

76. Inquit. Sex sunt peccata, quae in poemate committuntur,

---

8 In margine: Jacob. Averrois (lib.: Aristoteles) dicit hic praeter harmoniam etiam (lib.: et) apparatum contra sententiam Aristotelis (lib.: Averrois). 28 I. m.: Jacob. Non inveni in Aristotele hoc, quod dicit Averrois. 37 I. m.: De peccatis in poematibus.

---

4 : 59b 10. 7 : (49b 17). 9 : 59b 7—12. 12 : 59b 32—36. 13 : 59a 37—b 7. 14 : 59a 30—37, b 12—17; 60a 5—11. 22 : 60a 5—11. 28 : (59b 31; 60b 3). 37 : 60b 6.

propter quae oportet poetam corripi. Primum est, quod imitetur id, quod est impossibile: quoniam imitatio debet esse de re, quae est vel existimatur esse, ut confingere malos per daemones vel per id, quod est possibile ut in pluribus vel in paucioribus vel ad utrumlibet indifferenter. hoc enim genus rerum magis congruit Rhetoricae quam 5 Poeticae facultati.

Secundum peccatum poetae est, ut falsificet imitationem ut pictor, qui addat in aliqua figura aliquod membrum, quod non habet, vel eam depingat in loco, in quo non debet esse. ut si proles in priori parte animantis effingat quadrupedis, manus vero in posteriori. 10 Tertium peccatum est effingere rationalia animantia per irrationalia: quoniam hoc quoque est ex locis correptionis. nam veritas in hac imitatione erit exigua, falsitas vero plurima. nisi forte quis aliquem imitetur affectum ipsius rationalis, qui sit communis rationali et irrationali: hoc autem in consuetudine solet esse, ut assimilare mulieres 15 cervis. Quartum peccatum est imitari aliquid per aliquid simile contrario eius aut per proprium contrarium. Quintum est, si afferat nomina, quae indifferenter significant opposita, ut amotio, et multa alia in lingua Arabica reperiuntur.

Sextum, ut si dimiserit imitationem poeticam et transferat se 20 ad persuasionem vel ad veras orationes, praesertim cum oratio fuerit derisoria et demens minimae persuasionis. hoc tamen genus potest esse quandoque congruum, videlicet cum fuerit exiguae persuasionis vel verum: hoc est quod in eo sit exigua varietas.

77. Inquit. Si loca peccati sunt sex et loca solutionis sunt illis 25 opposita: ergo loca peccati essentialis et solutionis, quae sunt propria poesi, erunt duodecim, scilicet sex peccata et sex solutiones seu correctiones. exempla vero solutionis non reperiuntur apud nos, quia nostri poetae nihil horum cognoverunt vel consideraverunt. Haec inquam est summa eorum, quae intelligere potuimus de sen- 30 tentiis, quas Aristoteles attulit in hoc libro circa orationes communes cunctis generibus Poeticae facultatis ac proprias Tragoediae, id est communes omnibus vel plurimis earum. Reliquum vero, quod dixit in hoc libro de differentiis, quae insunt reliquis generibus poesis apud Graecos ac ipsi Tragoediae, est quidem eis proprium: parum 35 tamen invenimus nos de hoc negotio tractare Aristotelem in hoc libro, et hoc est iudicium, quod hic liber non fuit recte interpretatus, immo reliquum erat tractare de reliquis differentiis multorum poematum, quae erant apud Graecos, ut promiserat in initio libri explicare. Quod autem omisit, quod erat commune, est tractare de Co- 40

25 In margine: Interpres. Aristoteles ait, quod solutiones ad obiectiones dictas contra poetas sunt duodecim, non autem ut Averrois ait, qui forte habuit malum textum.

1 : 60b 22. 7 : 60b 29. 11 : — ? 17 : (61a 31). 20 : — ?
25 : 61b 24. 33 : 61b 26—62b 15.

moediis: sed forte satis fuit de Tragoedia tractare, cum contrariorum eadem sit disciplina. Tu autem facile cognoscas ex his, quae hic scripsimus, quod id, quod consideraverunt nostri Arabes de regulis poeticis respectu eorum quae Aristoteles scripsit in hoc libro et in
5 libro Rhetoricorum, est quid minimum, ut dixit Alfarabius. nec te latebit, quo pacto illae regulae recte reducuntur ad istas, et quod id, quod illi dixerunt de hoc, est rectius dictum, quam quod alio modo dictum est. et Deus qui dirigit sapientem ad viam felicitatis humanae, dirigat te ad id.

10 Paraphrasis Averrois in librum de Poetica finis.

Suo 'de Rhetorica persuasiva' libro Averrois pauca 'de orationibus poeticis' adiecit, quae hic adduntur, ut omnia habeas, quae ille in Poeticam contulit. Latine autem locum Abram de Balmes vertit.

In librum Poeticae. De orationibus poeticis.

15 Poeticae autem orationes sunt orationes metricae, quibus quaeritur rei assimilatio et exemplum in oratione ad promovendum rem versus fugam a re aut fugae enormitatem. Institutae autem sunt metricae, quia sic fit assimilatio profectior. Et sicut in maiore parte artium, quae assimilant rebus sensatis, sicut est ars picturae et aliae, non sunt verae ipsae
20 res sensatae, sic orationes, quae assimilant rem, non sunt orationes, quibus intelligitur illius essentia. Assimilationum autem sunt duae species, videlicet species, qua assimilatur res alicui rei per unam dictionum assimilationis aut simulacrum sumptum, ac si esset essentia assimilati. hoc autem fit secundum commutationem et accommodationem, prout dicimus:
25 terrae sudor est ipsum mare, quolibet illud tulerit. Hae autem industriae quaedam sunt propriuquae et quaedam remotae. Notum autem est, quod haec ars non sumat assimilationes, quod sint ipsamet res, sed aliquando erat maior pars hominum in hoc, et sumunt rei assimilationem secundum quod sit ipsamet res, prout dictum Empedoclis de aqua maris, quod
30 sit terrae sudor, quem congregaverit in eius vesica. Fallunt autem istae assimilationes, quando sumuntur secundum modum permutationis et non venit in illis dictio assimilationis. Maior autem pars illius, quo fallunt hae similitudines, fit quando sumuntur secundum modum permutationis in res, quibus impossibile est imaginari assimilationem aut difficile est
35 illam imaginari. Hae itaque sunt plures fallaciae, sicut non aestimatur, quod imaginetur ens, quod non sit intra mundum neque sit extra ipsum. Locus vero magis propiius huic errori est liber Elenchorum. Haec autem ars, licet sit syllogistica, tamen non utitur syllogismo in actu nec est ei propria species, qua approprietur. Quando vero uteretur oratione syllo-
40 gistica in actu, id fit secundum modum erroris et assimilationis alii arti. Aristoteles autem, quia vidit, quod iuvamen huius artis sit magnae necessitatis, quia per eam promovetur vulgus versus fidem alicuius rei et ad non credendum illam versus actionem aliquam aut illius omissionem, numeravit res, quibus homo valet assimilare rem alicui rei de eo,
45 cuius assimilationem proponit perfectissimo modo, quo possit fieri in hac re. Est itaque ars poetica ars, qua aestimatur homo, quod assimilet rem alicui rei, perfectione qua potest. Verum tamen hae perfectiones sunt extra perfectionem humanam. *(Reliqua nihil ad rem.)*

25 liber: qũolibet *(quod quid velit, nescio)*.

29 Ind. s. v. Empedocles 242a 30: Meteor. II, 1 p. 353b 11.

DE

LIBRI SECUNDI TIBULLIANI

STATU INTEGRO ET COMPOSITIONE

SCRIPSIT

R. ULLRICH.

Cum nuper[1]) id egerim ut ex Ovidii epicedio (Amor. III, 9) paulo post mortem Tibulli composito demonstrarem, non solum primum — quod inter plerosque convenit — sed etiam secundum librum Tibullianum — quod omnes negavere — ab ipso poeta publici iuris esse factum, iam restat ut quod tum promisi[2]) alias me expositurum esse praestem, elegias dico singulas libri secundi, num satis perfectae sint et certo consilio digestae Ovidiique testimonium ipsae probent stabiliantque ita ut prorsus certum habeatur ipsum Tibullum singulas elegias ea qua solebat diligentia scribendi perpolivisse omnesque, cum in eo esset ut ederentur, non temere contexuisse sed scite dispositas in libri formam redegisse.

Quicunque enim librum secundum a Tibullo editum esse negabant, non solum ex Ovidii epicedio (vv. 57 sqq.) ansam probabilem capere sibi videbantur[3]) ut censerent amores, qui inter Tibullum et Nemesim intercedebant, finitos non fuisse, sed etiam ipsius libri cum singulorum carminum statum tum totius dispositionem incusabant. Elegias quidem has quamvis elegantes suaves tersas — ut Tibullianas — in singulis esse concederent, universas tamen, praesertim si conferrentur cum carminibus Deliae (lib. I) et cyclo Sulpiciae Cerinthique (lib. IV, q. f.), adeo non perpolitas esse, ut credi non posset Tibullum ipsum edendi munus subisse: immo cum poeta a. 735/19 praematura morte ereptus esset, amicum quendam haec carmina sex ut ab oblivione vindicaret ex schedis Tibullianis imperfectas in lucem emisisse.

Iam quamquam ex Ovidii epicedio uno recte mihi videor collegisse, editionem a Tibullo ipso curatam esse et existimo viros doctos maxime ea de causa, quod epicedii vv. 57. 58 non recte intellexerunt[4]), eo deductos esse, ut in singula libri secundi carmina suspiciones varias congererent, tamen ne levius sententiam omnibus fere probatam praetermittere existimer, haec quoque carmina ut examinem diiudicemque num recte illi senserint mihi propono.

---

1) *Studia Tibulliana. De libri secundi editione.* Berol. 1889.
2) l. l. p. 26, n. 1, p. 74.
3) Quid de his versibus iudicandum sit quidque ex eis sequatur v. *Stud. Tibull.* p. 42 sqq.
4) Velut nuper, ut plerique olim, etiam Ribbeckius, *Gesch. d. röm. Dichtg. II (1889)* p. 190.

Qua cum quaestione aliam coniungere placet. Etenim illi, cum satis non haberent vitia quae inessent ipsi Tibullo tribuere, i. e. quod morte oppressus extremum perpoliendi laborem adhibere non potuisset, graviora sibi persuaserunt mala medii q. f. aevi traditionem attulisse. Librarios enim consulto versus interpolasse versuumque ordinem confudisse. Quare critici librarium maleficum hic illic odorantes eiciendo transponendo quae vitiosa habebant ut in integrum quem esse opinabantur statum restituerent operam dabant. Ac de transpositionibus quidem tam apte Hauptius[1]) et Vahlenus[2]) iudicaverunt ut, qui probas rationes criticas sequitur, facere non possit quin plane eis adstipuletur. In interpolationes autem iam videbimus idem cadere; quas saepe ne rei quidem causa statuisse mihi videntur critici, sed etiam rationibus aliunde petitis moti — velut stropharum vestigia extare conicientes (cf. i. p. 402 al.) non dubitabant, ubicunque sententiae quaedam obstare videbantur, quin versibus deletis integrum quem fuisse opinabantur ordinem redderent.

Iam primum in animo habueram ut de his versibus interpolatis qui ferebantur seorsum agerem, praesertim cum haec res ad id quod in universum mihi proposui non ita attineat. Sed deliberanti et cogitanti non raro et eos qui interpolatorem suspicabantur et qui si quid imperfectum esse videbatur ex libri, quod a Tibullo non editus esset, ipsa condicione id colligebant eosdem locos vituperavisse, utramque rem comprehendere placuit. Atque, ut dicam quod sentio, in hoc libro compertum habeo nec hiatus sententiarum (praeter eleg. III in qua bis aliquid excidit, de qua re v. i.) qui Tibullo tribuantur nec spurios versus qui interpolatori inveniri, et inquiram in carmina ita ut singulorum ordo sententiarum scite excogitatus descriptus commode — ut alia ex alia nexa omniaque inter se apta colligataque videantur — perspiciatur et universa, cum in libri formam redigerentur, certo consilio digesta et disposita esse appareat. Eum autem disserendi ordinem servabo, ut paucis de elegia V praemissis deinceps agam de I, III, IV, VI, quae quidem virorum doctorum moliminibus temptatae sint, tum rationes num quae intercedant inter el. II et cyclum Sulpiciae et Cerinthi libri quarti (cc. II—VII) inquiram, denique quomodo Tibullus singulas elegias ordinavisse, coniunxisse, in libri formam redegisse videatur patefaciam.

---

1) *Ueber Joseph Scaliger und die von Haase vorgeschlagene Umstellung tibullischer Versreihen,* opusc. III, 1, p. 30 sqq.

2) *Monatsber. d. Berl. Akad.,* 1878, p. 346 sqq., 352 sqq., qui libri primi elegias duas I et IV sententiarum progressum ea qua solet diligentia respiciens interpretatus est et Ritschelii (cf. i. p. 402) Ribbeckiique rationes plane refutavit

De **elegia V** pauca praemitto.

Cum enim Carolus Lachmannus, cui quantum debeatur in Tibullo vix satis existimari potest[1]), iudicium illud quod fecit de Disseni amici commentario splendide interpretatione[2]) elegiae V verborum tumore tam vacua quam plenissima sententiarum acuminis clauserit, quamquam qui singularis viri rationes sequerentur perpauci erant et critici inde a Gruppio[3]) usque ad Baehrensium[4]) pravis istis de libri editione opinionibus ducti id maxime studebant, ut hanc elegiam et imperfectissimam esse et interpolationibus depravatam probarent[5]), tamen hodie quid de ea iudicandum sit qui sano iudicio uti solent iam non dubitant, postquam Hauptio et Vahleno adstipulatus Leo vir de Tibulli elegiarum interpretatione meritissimus integrum sententiarum nexum subtili atque acuta interpretatione splendide defendit[6]) et Maassius[7]) ne quid obscuri restaret in partes ut ita dicam mythologicas, ex quibus multa pendent, diligentissime inquisivit. Itaque cum harum rerum qui me sunt peritiores ei difficillimam partem negotii subierint meum non erit de carmine V innumerabilium commentationum (quas hi quoque viri silentio praetermiserunt) mole congesta disposita refutata denuo disserere.

Ad cetera igitur eo quo diximus ordine iam accedere placet.

Eleg. I.

Elegiam primam mira arte a Tibullo compositam esse constat et ei quoque concedunt[8]), qui in ceteris extremas poetae curas desiderabant.

At eo magis interpolatorem opinabantur quidam critici muneris sui vilissimi periculum fecisse. — Breviter argumentum complectamur: Ambarvalia a Tibullo celebrantur. Sacro indicto (vv. 1. 2) Bacchus et Ceres vocantur (3. 4) quies humo bovibus hominibus imperatur (5—10) incesti abesse iubentur (11—14). His praemissis circumductio paucis significatur (15. 16) di patrii vocantur ut agris et gregibus faveant ita ut rustici vernaeque laetentur (17—24). Cum fibrae extorum placidos deos significent Tibullus poculis adpositis diem celebrari Messallamque salvum esse vult quem rogat ut sibi adspiret gratiam dis agrestibus reddenti (25—36). Iam sequuntur

1) Unus negare audet Baehrensius (*Tibull. Blätter* p. 57).
2) *Kl. Schr. II,* p. 156 sqq.
3) *Die röm. Elegie,* Leipz. 1838/39, vol. I, p. 76 sqq.
4) l. l. p. 24, cf. eiusdem *edit.* (a. 1878) praef. p. XXIV.
5) Talia *„unfertiger Zustand“ „die letzte Feile fehlt“* similia in editionibus et commentariis tamquam explorata repetebantur neque quadraginta annis fuit quisquam qui in Lachmanni partes transiret.
6) *Philologische Untersuchungen II* (1881) p. 3 sqq.
7) *„Tibullische Sagen“* Herm. XVIII (1883) p. 322 sqq.
8) Velut Gruppius l. l. p. 68, 95.

rurum et deorum agrestium laudes luculentissime illustratae (37—86), nocte festa interrumpuntur (87—90).

Ad talia depingenda cuius poetae natura fuit aptior quam Tibulli cuius vix unam pagellam qui vitae rusticae laudes quaerit frustra perlegerit? Neque tamen reformidarunt critici concedentes reliqua esse pulcherrima mediam ut dicam carminis partem (vv. 37—66) gravissime vituperare ut poeta magna ex parte indignam. Quod utrum recte statuerint necne nostrum est diiudicare.

Versus 37—46 sunt hi:

rura cano rurisque deos. his vita magistris
desuevit querna pellere glande famem:
illi compositis primum docuere tigillis
40 *exiguam viridi fronde operire domum,*
illi etiam tauros primi docuisse feruntur
servitium et plaustro supposuisse rotam.
tum victus abiere feri, tum consita pomus,
tum bibit inriguas fertilis hortus aquas,
45 *aurea tum pressos pedibus dedit uva liquores,*
mixtaque securo est sobria lympha mero.
rura ferunt messes sqq.

Iam primum poeta dicit in universum: *rura cano rurisque deos;* primis autem tribus distichis inde a verbis *his vita sqq.* depingit quid di homines quidque tauros docuerint, tum duobus extremis quantum illorum doctrina hi profecerint illustrat. De quibus quinque distichis disserens Wisserus[1]) vir doctissimus cum offendebatur elisionibus *illi͜ etiam* et *fronde͜ operire,* quas censet Tibulli rationibus metricis non convenire, tum in sententiis haerens duo disticha (vv. 39—42) spuria habet. Distichon enim primum (37. 38) esse de victu, eis autem quae sequerentur mentionem fieri domorum et plaustrorum (39—42), quo facto distichis quarto et quinto (43—46) ad victum recurri. Atque inconcinne primum quid dis magistris factum esset narrari, deinde quid primum di docuissent vel fecissent, tum denuo quid tempore illo factum esset; denique cum v. 37 pronomine *his* di significati essent, eosdem vv. 39 et 41 pronomine *illi* quod priori contrarium esset significari non debuisse: immo cum priore disticho dictum esset deos docuisse aedificare domos, altero dici illos debuisse aratro iungere tauros plaustroque rotas subiungere. Rem autem male institutam esse ita ut primo disticho homines a dis docti esse dicerentur, tauri altero et ut verbo docendi bis posito supponendi verbum responderet; ne emendatione quidem *domuisse .... servitio* accepta satis bene versus procedere: cum enim et vv. 37. 38 et vv. 39. 40 quid di docuissent narraretur, hoc disticho parum concinne quid primum fecissent narrari. Et haec quidem ille.

1) *Quaestiones Tibullianae, diss.* Lips. 1869 (Kiliae 1870) p. 6 sqq.

Iam quod suspicatur vir doctus metricas rationes non multum id refert; etenim quod exemplum elisionis v. 41 verbi spondiaci brevi syllaba sequente (excepto I, 2, 89 *vidi‿ego*) unum apud Tibullum extat itemque v. 40 verbum trochaicum sequente syllaba brevi in quarta thesi elisum hoc uno loco legitur, si ex eo colligit Wisserus versus in quibus tales licentiae occurrunt a Tibullo prorsus abiudicandos esse lubricam viam videtur ingressus esse. Nam cum ceterum (quamquam multi adhuc ita ratiocinari solent) periculosum sit ex eo, quod vel vocabulum vel sententia vel ratio metrica semel apud quemvis scriptorem legitur, colligere versus spurios esse, multo magis Tibullum ob has causas leves amputare noxium est: quippe qui perpauca scribens multa vel plane reliquerit vel semel posuerit[1]) (cf. *Studia Tibulliana* p. 54 et n. 2). Cuiusmodi quodcunque occurrit si suspicari velis vereor ne ad finem non pervenias. Videamus autem, quod gravius est, num quid sententia his duobus distichis deletis profecerit. Wisserum si sequimur legimus ita:

rura cano rurisque deos: his vita magistris
38 *desuevit querna pellere glande famem:*
43 *tum victus abiere feri, tum consita pomus,*
tum bibit inriguas fertilis hortus aquas,
45 *aurea tum pressos pedibus dedit uva liquores*
mixtaque securo est sobria lympha mero.

Hoc modo si reapse Tibullus scripsisset assentiremur eis qui poetam libri secundi elegiis extremum perpoliendi laborem adhibuisse negabant. Nam hiat gravissime oratio inter vv. 38 et 43. Dicit poeta: dis magistris homines (i. e. *vita*) desueverunt querna glande famem pellere, i. e. homines victum incultum dedidicerunt. Iam si pergitur nulla re interposita *tum victus abiere feri* quis non sentit moleste eandem rem repeti? Nihil enim habes quo particulam *tum* apte referas et versum 43 legenti interrogantique quando victus feri abierint si quis responderit: „cum dis magistris homines ab inculto victu se abdicassent" iam patet quomodo sententia claudicet. Contra culta et bene excogitata videntur omnia duobus distichis illis textui restitutis. Poeta enim deos ruris celebraturus, cum sententiam principalem edixerit homines his magistris ferum glandium victum dedidicisse, facere non potest quin argumentum deorum docentium accuratius depingat (vv. 39—42) atque effingat. Quod ita efficit ut duobus distichis deorum doctrina quomodo et quibus de causis homines cultiores facti sint pronomine *illi* in frontibus distichorum (v. 39 et 41) posito expresse exponat: etenim duo[2]) illa, quae affert

1) Permulta si indicem qui extat in Hilleri editione a Brinckio confectus percurres invenies ἅπαξ λεγόμενα quae vocamus.

2) Quae primo aspectu tria esse videntur duo tamen sunt: nam quae in altero disticho segregantur *illi .... tauros docuisse feruntur* et *plaustro supposuisse rotam* cum ad agriculturam pertineant (nempe tauris homines

deos docuisse, domorum aedificatio (vv. 39. 40) et agricultura (41. 42) cultioris vitae sunt fundamenta. Nunc iam habes quo particulam *tum* (v. 43) referas: scilicet *tum victus abiere feri* cum illi (di) homines domos aedificare et agrum colere docuissent. Neque vero vituperandus est poeta quod, cum supra (v. 38) ornate dixerit homines dis magistris desuevisse querna glande famem pellere, idem simplicius v. 43 repetere videtur: namque hoc quominus aegre feratur disticha 39. 40 et 41. 42 interposita impediunt, ad quae restituta voces *tum victus abiere feri* tam simpliciter et commode sese applicant quam deletis his versus 38. 39 nexu cum sequentibus plane carent. Confidentius autem Wissero assentitur Fritzschius[1]) affirmans quae ille contra prius distichon protulisset quomodo ea refelli possent sese nescire; quibus non contentus aliter ipse vitia quae inesse opinatur ut illustret dat operam. Domus enim commemorationem hoc loco ubi de victu diceretur quid sibi vellet non apparere. At poeta non de uno victu verba facit, sed de initiis cultioris vitae: quae cum pluribus exemplis illustrare posset, satis tamen habuit ea afferre quae, ut fundamenta, gravissima esse videbantur: etenim qui olim in silvis et antris vitam feram degebant, aedificantes quibus a tempestatibus vindicarentur domos et tauris adiutoribus terram aratris subigentes eique semina committentes ad vitam cultiorem adducuntur. Sed quae attulit Fritzschius ad sententiam firmandam leviora sunt quam ut stare possint. Censet enim additos esse vv. 39. 40 ob eam causam quod librarius distichon in codice post v. 38 sequens legere non potuisset. Desiderari enim dici quare vita querna glande famem pellere desuevisset. Sine dubio poetam ad agriculturam spectasse, nihil tamen de hac re eum dixisse et solam horticulturam (43. 44) commemoravisse: agriculturae vero commemorationem hoc loco nullo modo desiderari posse, nam horticultura priorem esse agriculturam. Excidisse igitur post v. 38 unum distichon et pro eo aliud (illud quod nunc legimus) interpolatum esse. Alterum autem distichon (vv. 41. 42) vir doctus non assentitur Wissero delendum esse, nam et taurorum et plaustri commemorationem ad agriculturam spectare; denique mecum facit metricas rationes a Wissero prolatas non esse eas quae totum distichon in suspicionem vocent. — Atque illud quidem quod dicit de librario iam spero nemini arrisurum esse. Tum quare homines desuevissent glande querna famem pellere vir doctus si structuram quam modo exposuimus totius sententiae quae vv. 37—46 continetur accuratius perspexisset facile ipse sibi respondere potuit. Glande enim pellunt famem homines ei, qui in silvis vel antris habitant neque unde cultiorem victum sumant habent; et voluit poeta hoc primo disticho sententiam universam significare. Di autem homines domos aedificare et tauros servitium docentes id ipsum effecerunt ut ferus victus

ad colendum agrum utuntur, plaustris autem ad fruges quas inde sibi comparaverunt in horrea condendas) uno vinclo cohaerent.

1) *Quaestiones Tibullianae, diss.* Hall. 1875.

abiret et agricultura horticultura vindemiae alia sequerentur. Iam recte concedit Fritzschius vv. 41. 42 ad agriculturam pertinere; itaque miror quam non sibi constiterit cum agriculturae post v. 38 mentionem fieri neget. Nempe postulat criticus a poeta dicente *vita desuevit pellere glande famem* ut statim adnectat: scilicet agricultura hoc factum est. Sed inique postulat, nam poeta quominus vituperetur impedit ipse, cum haec duo disticha quippe quae argumentis iam satis contineantur anaphora artius coniunxerit ita, ut utrum domorum aedificationem an agriculturam prius poneret non multum interesset: nam aeque duobus vita cultior nititur. Apparet igitur vv. 39—42 suo loco positos esse; qui non modo necessarii sunt ad sententias coniungendas, sed etiam ipsi pulchri concinni Tibullo vere digni. Wisserus autem de hac quoque re aliter sentit eo quo diximus modo pronominibus *his* et *illi* variatis offensus. Quem tamen fugit poetas non solum pronomen *hic* sed etiam *ille* saepissime ponere, si volunt referri ad aliquid quod antecedit (cf. Tib. II, 3, 51—57; 6, 31—34); praesertim si maior vis pronomini ut in anaphora posito tribuitur, eo minus habemus quod versus interpolatorem odorare suspicemur. Tibullus enim ut eodem pronomine (vel anaphorice) diversas personas significare solet (cf. I, 7, 1 et 3; 9, 75), ita ne dubitat quidem vice versa eidem personae varia pronomina tribuere, velut praeter hunc locum in elegia VII libri primi, ubi (vv. 29—36) Osiris ita celebratur:

primus aratra manu sollerti fecit Osiris
30 *et teneram ferro sollicitavit humum,*
primus inexpertae commisit semina terrae
pomaque non notis legit ab arboribus.
hic docuit teneram palis adiungere vitem,
hic viridem dura caedere falce comam:
35 *illi iucundos primum matura sapores*
expressa incultis uva dedit pedibus.
ille liquor sqq.

Duplex in his anaphora. Cum in Osiride summa rei posita sit, Tibullus in quattuor distichorum frontibus deum memorat, ita tamen varians ut primi et secundi ab eadem voce *primus* initium sumat, tertii et hexametri et pentametri pronomine *hic* frontem ornet, denique in quarti initio aliud pronomen ponens eundem tamen deum significet[1]), similiter ac supra legimus *his* et *illi* ad eosdem deos pertinentia. In mutato igitur pronomine cave ne haereas. Atque utile est hos versus elegiae VII comparare cum Ambarvalium descriptione, si respicimus quomodo in sententiis (miro modo similibus) iungendis

1) Ne dubitat quidem poeta, ut vim orationis augeat, novam descriptionem antecedentibus motam instituens in quinto disticho (v. 37) idem pronomen ponere quamquam ad liquorem refert. Formae igitur quaedam aequabilitas servatur etsi res aliae sunt.

hic illicque poeta variaverit. Vituperat enim Wisserus quod priore disticho (39. 40) homines a dis docti esse dicuntur, altero tauri quodque verbo docendi bis posito supponendi verbum respondet. Poeta — ita sentit vir doctus — sententiam componere debuit ita fere: „illi (di) domos aedificare docuerunt homines, illi homines tauros aratro iungere plaustroque rotas subiungere.“ Profecto qui tam minute et scrupulose verba poetae scrutatur et morem ei praescribit, Tibullum iam interpretari non potest, qui hac ipsa unius argumenti varietate maxime delectat. Ne sibi quidem ipse satis constitit vir doctus, quippe qui minutior esse vellet, referens priore disticho dici *homines* a dis doctos esse; nam poeta homines nomine ne vocat quidem, neque vero necesse erat cum per se intelligatur cui bono dei agrestes egerint nempe hominibus tum cultae vitae expertibus. Et Wisserus in minutiis anxie haerens cum ita disponat (l. l. p. 7): *„deinde animadvertas velim quam inconcinne primum quid dis magistris factum sit narretur* (37. 38) *deinde quid primum di docuerint vel fecerint* (39—42) *tum demum quid tempore illo sit factum“* principalem sententiam quam parum intellexerit arguitur. Proposito autem in fronte v. 37 enuntiato a deis celebrandis initium capitur (vv. 37—46), quorum summa est: dei ruris (cum domos aedificare et agrum colere docuerint) cultam vitam paraverunt. Ab hac sententia versus proficiscuntur ad hanc redeunt. Itaque nec vituperandus est poeta quod homines doctos esse a deis non expresse semper firmavit nec quod docendi verbum alio mutavit, immo laudandus quod evitans aequalia varietate simplex argumentum descripsit. Ac iuvant nos elegiae VII versus ei quos laudavimus; etenim Tibullus Osiridis humani generis benefici sedulitatem ac sollertiam describens verba similiter atque hoc loco ita variat, ut duobus primis distichis (vv. 29—32) dicat quid ipse fecerit deus, tum tertio disticho (33. 34) quid docuerit memoret denique tertium varians (vv. 35. 36) quid illi uva pressa dederit adiungat.[1]) Et conferas velim Ovidii Amor. III, 10, vv. 11—14 ubi Ceres quomodo hominem cultum fecerit simili verborum varietate celebratur:

prima Ceres docuit turgescere semen in agris
falce coloratas subsecuitque comas:
prima iugis tauros supponere colla coegit
et veterem curvo dente revellit humum.

Iam videmus quod in c. VII ad unum Osirim, apud Ovidium ad unam Cererem pertinet id in Ambarvalibus (quamquam non inepte ipsi Bacchus et Ceres in initio vocantur) ad omnes deos agrestes[2]) referri.

---

1) Perperam Teuffelius (*Studien u. Charakteristiken etc.*, Leipz. 1889², p. 476 sqq.) huius carminis descriptionem cum universam tum hanc quae ad Osirim spectat carpsit ita ut panegyrici in Messallam scripti simillimam esse opinaretur. cf. *Stud. Tibull.* p. 25.

2) Id ipsum, quod Tibullus ut in hoc carmine (v. 36) ita alias (I, 1,

Patet igitur hanc descriptionis varietatem ut verba docendi et faciendi mutentur mori poetarum optime respondere et quidquid hac ex causa colligitur a criticis ad interpolationes comprobandas reiciendum esse. —

In hac quidem carminis parte (vv. 37—46) poeta celebrans deorum agrestium beneficia cum dicat de priscis temporibus apte tempus perfecti semper ponit. Iam a praesenti, quod legimus in fronte v. 47, alter sententiarum ordo initium capit is, qui eodem verbo erat significatus in v. 37: *rura cano.* Ad hanc partem transimus.

Versus 47—66 sunt hi:

rura ferunt messes, calidi cum sideris aestu
deponit flavas annua terra comas.
rure levis verno flores apis ingerit alveo,
50 *compleat ut dulci sedula melle favos.*
agricola adsiduo primum satiatus aratro
cantavit certo rustica verba pede
et satur arenti primum est modulatus avena
carmen, ut ornatos diceret ante deos,
55 *agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti*
primus inexperta duxit ab arte choros.
huic datus a pleno, memorabile munus, ovili
dux pecoris: curtas auxerat hircus opes.[1])

14; 5, 27) deos agricolas vocat, deos non modo esse eos qui doceant hominem sed qui et ipsi colant agrum probat.

1) Locus est vexatissimus; ac lectionem quidem traditam *dux pecoris hircus: duxerat hircus oves* et propter rem metricam et sententiam stare non posse nemo non videt. Iam quaeritur ex coniecturis quas proposuerunt viri docti (collegit Hillerus in edit. p. XIV) quae plurimum probabilitatis habeat. Ac fateor Wardenburgii (lectione cod. A *auxerat* recepta) coniecturam, quam in textu posui, a plerisque probatam mihi quoque arridere. Sed Heynium virum de Tibullo optime meritum, qui distichon totum in suspicionem vocavit, secutus Bubendeius vir doctissimus (*Quaestt. Tibullianae, diss.* Bonnae 1864, p. 23) alteram partem pentametri incusat: nihil enim addi potuisse verbis illis magis superfluum et ridiculum quam hunc hircum, qui illi ut memorabile munus tradebatur, prius auxisse oves; aliter enim lectionem *auxerat opes* intelligi non posse. Profecto si nil aliud inesset quam definitio quaedam temporis ridiculam eam esse et meram interpolationem Bubendeio assentiremur. Sed nisi fallor his causa significatur cur dux pecoris memorabile sit munus: nempe qui ovile olim vacuum plenum reddens opes ante curtas (nam paucae erant oves) auxit. Talis sententia, quamquam ipsa coniectura nititur, poeta indigna non videtur; neque ex ceteris quae factae sunt emendationibus ulla magis placet. Etenim quod, ut alios omittam, Maassio (*Herm. XVIII, 1883,* p. 339 sqq.) auctore Robertus et Knaackius proponunt: *vites roserat ille novas* (ibid. p. 480) sententiam prorsus aliam et a tradita lectione plane recedentem inferunt; quae ne viris doctis non arrideat vereor. Neque vero crediderim cum Maassio de fabella Alexandrina Tibullum h. l. cogitasse. — Iam video mecum facere Magnum virum elegiacorum studiosissimum (*Burs. Jahresber. 51* (1887, II) p. 351).

rure puer verno primum de flore coronam
60 *fecit et antiquis imposuit laribus.*
rure etiam teneris curam exhibitura puellis
molle gerit tergo lucida vellus ovis.
hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque,
fusus et adposito pollice versat opus:
65 *atque aliqua adsiduae textrix operata Minervae*
cantat, et adplauso tela sonat latere.

Hos versus uno tenore exscripsi — quamquam ex criticis nec unus cunctos nec omnes eosdem furca expulerunt aliique alios interpolatori tribuerunt — ne in singulis examinandis haerentibus universae partis progressus, quem saepius illi neglexerunt, praetermitteretur.

Rura canit Tibullus, vitaeque rusticae et utilia et iucunda vv. 47—86. Sed ea quidem quae dicit de Amore ruri nato inde a v. 67 cum clara sint neque cuiqam difficultates paraverint iam missa faciamus et accuratius in vv. 47—66 inquiramus. Summa est haec: rura messes ferunt, rure mella ab apibus parantur (47—50), agricola primum rustica verba cantavit et carmen avena modulatus est ad deos celebrandos (51—54), agricola primus choros duxit, Bacche, eique dux pecoris datus est (55—58) rure primum coronae factae sunt ad deos ornandos a pueris, rure etiam puellis vellus gerit ovis curam exhibitura (59—62), rure feminis quoque ars staminanendi orta est quod negotium cantando moderari solent (63—66). — In hos versus gravissime Wisserus invectus est his de causis (l. l. p. 2 sqq.): nec vv. 49. 50 cum sequentibus coire nec 61. 62 cum antecedentibus; nam altero ab apibus et melle ad agricolam et carmina male fieri transitum, altero autem loco vv. 61. 62 non respondere versibus 59. 60, quibus et propter repetitum verbum *rure* et propter puellas puero oppositas respondere deberent. Illis enim versibus puerum coronas fecisse, his ovem lanam gerere dici; inter quas sententias rationem nullam intercedere apparere. Deinde vv. 47—62 reprehendendum esse temporum sive sententiarum varietatem: primis enim ultimisque versibus tempore praesentis posito doceri quid ruri nasceretur, mediis autem versibus tempore praeterito quid agricola vel puer ruri primum fecissent. Nec non offensioni esse quod quae ruri sive nata esse sive nasci dicerentur, nullo ordine posita, sed diversissima inter se confusa et permixta essent. Post frumentum enim et mel artes musicas commemorari; quas sequi coronas, coronas lanam. Ita ratiocinatus criticus censet quinque disticha (vv. 51—60) in quibus tempus perfecti legitur a quovis interpolata esse iisque deletis[1]) genuinum esse et haberi iubet ordinem in quo praesentis tempus legitur hunc:

1) Iterum Fritzschius (l. l. p. 29) celerius Wisseri ratiocinationibus captus cum eo facit.

rura ferunt messes, calidi cum sideris aestu
deponit flavas annua terra comas.
rure levis verno flores apis ingerit alveo,
60 *compleat ut dulci sedula melle favos.*
61 *rure etiam teneris curam exhibitura puellis*
molle gerit tergo lucida vellus ovis.

Hoc modo concinnam orationem et sententiarum contextum aequum vir doctus sibi videtur restituisse; primum enim distichon ad agriculturam spectare, alterum ad rem apiariam, ad rem pecuariam tertium, ita ut operum rusticorum summa elegantissime his versibus anaphora inter se conexis absolveretur; et eiectis illis quinque distichis eas res quae ante artibus musicis coronisque male interrumperentur frumentum mel lanam iusto ordine enumerari.

Quid iudicemus? Apparet iisdem ac supra criticum uti rationibus lubricis: poscit a poeta ut in eiusdem generis descriptione idem tempus ponat, ut res similes similibus adiungat; quae omnia et quaedam alia cum praesumpserit in suum usum convertit, id agens, ut interpolatoris manum in carminibus Tibullianis ostendat. Sed mihi argumenta quibus nititur quaeque ipse sat certa habet videntur esse leviora quam ut fidem et originem genuinam horum versuum in suspicionem adducant. Id fortasse concedi potest, tria disticha quae segregavit, ea per se legi posse et talem hiatum sententiae qualem supra notavimus esse inter vv. 38 et 43 eiectis duobus distichis (s. p. 389 sq.) hoc loco non aperiri. Qua causa non probatur versus reliquos supervacaneos esse; neque vero quod haec tria disticha, in quibus idem tempus praesentis positum est, a voce ruris singula initium capiunt (qua re haud parum Wisserus ductus est) cogit ut temere a sententiis quae traduntur recedamus. Symmetria enim illa quam restituere voluit criticus per vim natura et ipsa extat. De qua re v. i. — Iam primum quod monet ille rationes cum inter apem mella parantem et agricolam aratro satiatum rustica verba cantantem tum inter puerum qui primum ruri fecit coronas et ovem vellus gerentem curam puellis exhibituram intercedere nullas, cum res diversissimae coniungerentur, ipsius illum armis facile licet impugnare quaerentibus num his rebus artiore nexu cohaereant apes mella ferentes et oves lanigerae! Etenim si ita ut iubet Wisserus vim rationis intelligimus rationes iam nullae inter singula membra huius partis (47—66) intercedunt; et vir doctus, si ipse sibi constare voluit, ut transitu eo qui fit ab apibus et melle ad agricolam et carmina offendebatur, ita aegre ferre debuit quod a messibus ad apes poeta transit: nam hae quoque res inter se haud parum diversae sunt. Alia autem ratio, qua artior et gravior vix cogitari potest, inter omnes res quae his decem distichis describuntur intercedit. Quam quidem parum intellexisse virum doctum vel inde ap-

paret quod agriculturam rem apiariam rem pecuariam summam operum rusticorum huiusque partis tamquam argumenta esse censet. Neque enim, quamquam has tres res fundamenta vitae rusticae nominari posse libenter concedimus adiuvante Vergilio (quippe qui arborum cultu adiecto Georgica ita disposuerit) in hoc tamen carmine sententiae ita dispositae sunt neque poterant disponi. Praeter cetera velim respiciantur vv. 61. 62, num summa vis in pecuaria posita sit; iamque qui sequuntur vv. 63—66 velis remisque obstant quominus rem ita accipiamus. Quid omnino sibi volunt vv. 47—66? Gratiam se redditurum agricolis caelitibus supra dixerat Tibullus. Tum in fronte sententiam ponens *rura cano rurisque deos* promissi fidem praestat. Ac dis quidem celebratis ita, ut quid docuissent vel fecissent quidque ex eo secutum esset describeretur tempore perfecti semper posito, ad laudes rurum ipsorum poeta transiens (v. 47) quid usus et oblectamenti hominibus praestent exponit: rura enim frumenta hominibus et mella ferunt, ruri cantus chori cultus deorum primordia inveniuntur, ruri origo est artis stamina ex lana nendi (ruri denique natus Amor 67—86). Varia igitur depinguntur pluraque Tibullus ruris amator ut alias ita hic addere potuit si voluisset. Sed tamen singula quamvis differant inter se communi vinculo coniunguntur: suo quodque modo ad rura pertinet. Quare cave ne varietatem quae in ipsa re causas suas habet et facile augeri potuit Tibullo crimini des. Idem in ordinem rerum cadit quae deinceps ruri deberi describuntur, quem non mutaveris nisi cum summo sententiarum detrimento; itaque ne Wisserus quidem, quod fere miror, ausus est ordinem distichorum quamvis reprehendat immutare confessus non inveniri, quo disticha quinque ea quae spuria habet transponerentur. Aliud quoque respiciendum est. Periculum erat ne Tibullus rura canturus in variis enumerandis langueret ita, ut, cum rerum ipsarum delectaret varietas, forma tamen similitudine offenderet, praesertim cum anaphora in hoc vitium deducere posset; quod splendide poeta effugit. Qui quidem, si minus lepide versus componere assuevisset, ad rura canenda quae apta videbantur singula uno tenore simplicius adnectere potuit ita fere: „rura messes ferunt, ruri apes mella parant, ibidem primum cantus auditi, chori visi, ruri primum antiqui lares coronis a pueris factis ornati sunt, ruri nendi ars orta est"; et talem aequabilitatem constructionis videtur Wisserus desiderare. Nihilominus poeta materiam quae ad unam eandemque rem spectat in formam quoque mire variatam redigens nihil omnino, quin ab omni parte perfectum et perpolitum foret, reliquit. Initium capit a frumento et melle, singulis distichis; atque cum dicat de statu, qui semper est, tempus praesens ponit, sed progreditur ita in altero disticho ut non statum cum statu conectat simpliciterve ut frumenta ita mella ruri deberi dicat, sed apem flores ingerentem faciens mella quomodo parentur sub aspectum tamquam eorum qui legunt subiciat. Iam cum quae ruri deberentur utilia

duobus attulerit distichis a voce ruris initium capientibus, iucunda quaedam enarraturus anaphora pergere potuit ita fere: ruri quoque post labores moventur cantilenae; sed non inepte iterum variat ita ut pro ruris nomine personam eam inducat quae rus colit. Et cum non modo memoret iam extare cantus, sed quo magis vim laudis augeat ipsa primordia artis musicae ruri extitisse voce *primum* apposita firmaturus sit, non potest facere quin tempus perfecti ponat. Quod igitur non modo offensioni non est, sed etiam sententiae natura postulatur. Idem autem, quod in artis musicae primordiorum descriptionem quae duobus distichis continetur, cadit in duo disticha quae sequuntur. Artis scaenicae quoque primordia ruri tribuuntur, hic quoque *primus,* hic tempus perfecti.[1]) Tamen ne varietate quidem aequabilitas quaedam obruitur; etenim vides cum supra singula disticha (47 et 49) eandem vocem ruris in fronte habeant, bina hic disticha (51 et 55) a voce agricolae initium capere. Duo autem quae sequuntur disticha (vv. 59 et 61) ita ut supra voce ruris exhibent anaphoram. At in priore quidem quod constructione (cum vocem *primus* et tempus perfecti exhibeat) aeque cum binis distichis antecedentibus cohaeret ac vocis ruris anaphora ad id quod sequitur spectat, larium antiquorum ornatum ruri deberi poeta laudat, posteriore autem monet lanam quoque rure proficisci. Etenim in voce *vellus,* quod ovi homines debent, summa vis posita est itaque poeta artium quae oblectamento sunt primordiis descriptis ad utiles ex quibus hac in media parte (vv. 47 sqq.) initium ceperat redit: homines qui olim pellibus corpora tegebant ex lana novum ad vitam cultiorem sibi fructum ceperunt. — Similibus ac Wisserus usus est rationibus Graefius[2]); qui distichorum paribus eis, quae certorum vocabulorum repetitionibus significantur in vv. 39. 41, 47. 49, 59. 61, captus hanc aequabilitatem obrui opinatus est versibus 53. 54 et 57. 58; quare haec duo disticha habet interpolata censetque eicienda esse ea de causa ut disticha ea quae a voce *agricola* initium capiunt ceteris adaequarent. Et haec quidem de forma. Iam neminem fugit anaphorae usu symmetriam quandam in vv. 39—62 statui. Sed vereor ne in talibus pertinacius viri docti haereant ita ut, quae ex naturali quodam sensu poetae qui non minus ad formae aequabilitatem et symmetriam pertinet quam ad sententiarum nexum concinnum oriuntur ea a poeta minute elaborata esse censeant; quem velut hoc loco cum coepisset bina disticha anaphora artius iungere cavisse ne hanc formam descriptionis relinqueret: quare offensioni

1) Nuper de Tibulli elegiarum structura non inepte disseruit Karstenus vir Batavus (I. *Mnemos. N. S. XV, 1887,* p. 211—236; II. *ibid.* p. 305—325; III. *ibid. XVI, 1888,* p. 39 sqq.), velut de temporibus in hac elegiae parte mutatis. (l. l. III p. 41); vereor autem ne varietatem hanc inconstantiam recte non vocaverit.

2) *Adnott. ad Tib., Progr.* Memel. 1865, p. 7 sqq.

esse vv. 53 et 57 a norma recedentes. Talis autem ratio indignis vinclis poetam premit et rebus vim affert. Poeta et ipse quam non anxie plenam aequabilitatem appetiverit ostendit, quippe qui duo prima et extrema disticha (vv. 39. 41; 59. 61) ab eisdem vocibus *illi* et *rure* coeperit, in reliquis autem paulo liberius se gesserit: nam illud *tum* non in initio utriusque distichi, sed in prioris distichi hexametri et pentametri frontibus positum est, cum in altero disticho legatur secundo loco; atque distichorum quae sequuntur (vv. 47 et 49) in frontibus quamquam idem vocabulum, tamen in eodem casu[1]) non positum est. Num vituperemus poetam quod vv. 51—58 non plane ita ut antecedentia composuit vocemque *agricola* non in singulorum sed (dichotomiae tamen forma servata) binorum distichorum in frontibus posuit? Nam quae in ipsas sententias, quae his distichis continentur, criticus congessit illa levia sunt; qui distichon alterum (57. 58) praeterquam quod propter mendum quod supra (p. 393, n. 1) commemoravi interpolatum habet[2]), ob eam quoque rem suspicatur quod verbis *dux pecoris* hircus qui gregem ducit significatur, cum alio loco (I, 10, 10) eadem verba ad pastorem pertineant. At qui carmina illius aetatis (Vergilii Horatii Propertii Ovidii) quae quidem ad rura spectent legit non ignorat, talibus *dux gregis, dux armenti, dux lanigeri pecoris* similibus semper fere arietem vel taurum vel hircum, qui cetera pecora ducit, non pastorem significari. Itaque quod h. l. Tibullus hircum ducem pecoris vocat non est quod miremur, neque vero, quod uno illo loco pastorem ita nominavit, hic vel ille versus in suspicionem vocari potest. Namque hoc loco morem, quem semper alii sequuntur, poeta servat, illic autem semel de more recedit. Iam Graefius si speciem rationis rectae servare voluisset in illo loco elegiae X haerere potuit; sed ne tum quidem ei assentiremur, cum ipsa sententia ita instituta sit ut de ariete duce cogitari nequeat. Neque vero vir doctus vocem *ovile* recte incusat censens *caprile*, cum de hirco diceretur, expectari; ex Bentleii enim ad Horatii c. I, 17, 9 adnotatione, quam laudat Dissenus, colligitur veteres vocem *ovile* quamquam de ove derivatur ita posuisse ut a caprili non discernerent. Neque quod alterum distichon (vv. 53. 54) carpit Graefius mihi persuasit ratus cum id distichon, quod praecederet, carminum bucolicorum et quod sequeretur dramaticorum initia describeret, quod interpositum esset *et satur arenti sqq.* miserum in modum claudicare: et primum quidem novae alicuius artis originem non repraesentari, nam de artis mu-

---

1) Quare ne Vahleni quidem probaverim coniecturam (v. 47) *rure terunt*, qua plena aequabilitas oritur; recepit eam nuper P. I. Meierus (*Ausgew. Elegg. d. Alb. Tibullus*, Braunschw. 1889, p. 45).

2) Falso Eberzius corruptelam ex eo quod libro ultimae curae Tibulli defuissent intelligendam esse censet (*Jahrb. f. Philol.* 97, 1867, p. 199). — Aliis rationibus motus delet distichon Prienius vir doctissimus, de quo cf. i. p. 403.

sicae inventione ne cogitaretur obstare verba *ut ornatos diceret ante deos;* tum illud *satur* male resonare id quod modo antecessisset *satiatus,* et cum haec notio verbis *assiduo aratro* iuxta positis optime ad labores agrestes revocaretur, vocem *satur* aequa definitione carere; denique cum priore disticho agricola animi recreandi causa cantaret, hic ventris satietate ad carminis sui modulationem eum impelli, quae ineptia a Tibullo aliena esset; huc accedere quod verba *modulatus avena* originem suam Vergilianam aperte nec sine laudabili quadam auctoris sinceritate prae se ferrent. Quare deleto disticho opinatur vir doctus non modo nil turbari, sed eam potius quae versibus et antecedentibus et sequentibus inesset responsionem restitui. — De responsione quidem quid iudicandum esset modo dixi.[1]) Tum perperam censet vir doctus disticho quovis eiecto, si nexus non turbaretur, hanc causam esse qua probaretur omissio; quae ratio quam levis esset supra notavimus Wissero repugnantes. Primum autem decet in versus ab omnibus codicibus traditos inquirere et conari num aequo modo intelligi possint; quibus nisi graviora insunt vitia ad sententiam vel rem metricam spectantia cave ne vim afferas specie quadam, ut ille, captus. Namque iudico hic quoque virum doctum id agentem ut aequabilitatem formae restitueret deductum esse eo ut noceret sententiae quae nullis laborat vitiis. Iam carminum bucolicorum initia poetam inde a v. 51 describere apparet. Haec autem carmina qualia sunt? Carmina quae meditantes pastores non solum canunt sed fidibus iungunt; haec duo tam arte cohaerent ut segregari vix possint, atque pastorem, qui cantat, calamus olim simplex avena — apte igitur cum de primordiis carminum bucolicorum dicat Tibullus hanc vocem ponit — postea syrinx artificiosius confecta tamquam fidus comes passim sequitur. Hoc si respicimus patet altero disticho deleto sententiae nervum alterum quo carere nequit desecari: „agricola cantavit rustica verba certo pede" et „carmen modulatus est avena" haec duo carminis bucolici descriptionem plenam reddunt cui nec adicias aliquid neque demas. Si hoc tenemus reliquae viri docti dubitationes plane refelluntur. Primum enim cum nemo ignoret vocem dicendi non minus ad artem loquendi quam canendi significandam poni quis offendatur quod scripserit poeta *ut ornatos diceret*[2]) *ante deos* cantum significans, ut verbum variaret, praesertim cum *caneret* ob metricam rationem poni non posset? neque vero verba *modulatus avena* ex Vergilio fraudata esse quod credamus habemus, cum hic sit terminus technicus ut is modus quo carmina

---

1) Non recte iudicat Fritzschius l. l. p. 29.

2) Miram coniecturam nuper Graefius proposuit (*adnott. ad Tib. particul. II,* Memel 1885): *et saturam . . . . . luderet ante deos.* Hoc novi ex Magni relationibus (l. l. p. 362 sq.), cum ipsam commentationem inspicere non liceret. Qua coniectura simplex sententia plane deletur, et accedit quod ludendi verbum ita positum ab usu Latino abhorret.

canebantur fidibus significetur.[1]) Restant de quibus ille verba fecit voces *satiatus* et *satur*. Atque vocem *satur* plerique cum Disseno explicant *expleta cupiditate edendi* i. e. post coenam. Sed fateor me non intelligere cur Tibullus agricolam post ipsam coenam fidibus fecerit canentem, cum antea multo aptius pronuntiaverit satiatum assiduo aratro i. e. muneribus rusticis defunctum illum nempe ut se delectaret vel recrearet cantavisse, neque vero miror quod Graefius Disseni interpretationem improbaverit; neque tamen meliorem invenire conatus est distichonque eici maluit. Quod si respicimus haec duo disticha arte cohaerere (optimo iure editores post vocem *pede* non incidunt) facere non possumus quin *satur* eodem sensu ac *satiatus* accipiamus. Etenim cum constet actiones cantandi et fidibus canendi in unam fere coalescere, aegre ferremus si poeta alterum ab agricola satiato aratro assiduo alteram post coenam exercitatam esse dixisset. Immo Tibullus cum vv. 51. 52 voci *satiatus* adiecisset paulo plenius *adsiduo aratro* in posterioris distichi fronte, si omnino necessarium esse existimabat sensum qui per se intelligitur definite addi, satis habuit verbum principale *satiatus* variatum tamen voce *satur*[2]) repetere, quomodo transitus qui fit a labore ad voluptatem mire eminet atque apparet. Nihil igitur offensionis in disticho restat.

Ad vv. 63—66 aggredimur. Tibullus priusquam ad Amorem ruri natum celebrandum v. 67 transeat, variis rebus quae ruri debentur extremam lanam adicit. In quibus versibus denuo artem Tibullianam mireris qui cum sententiae *molle gerit vellus ovis* maiorem vim tribuat duplicem fructum capit. Ac primum quidem dicens *ovis gerit* adiciensque *exhibitura* rem multo illustriorem[3]) reddit — quod iam laudavi s. in vv. 49. 50 — tum ipso participio futuri quo sententia spectet dilucide significans transitum ad vv. 63—66 idoneum parat; quos tam amoene composuit ut simile quidquam vix invenires. Eo magis dolendum est quod ne haec quidem disticha a criticis non temptata sunt. Namque Graefius (l. l. p. 8) quid amoeni insit parum intelligens plane spuria ea esse censuit[4]), cum poeta non adeo argumenti sui oblivisci posset ut textricem aliquam hoc loco cantare iuberet. Quam sententiam adeo intricatam et contortam[5])

1) cf. Ovid. Met. XI, 153 sq.:

> *Pan ibi dum teneris iactat sua carmina nymphis*
> *et leve cerata modulatur harundine carmen.*

2) Inutilis itaque noxia est Meieri (l. l.) coniectura (v. 53) *et satis arenti* . . . . . . *avena* sqq.

3) Florem sententiae pulcherrimum delet Franckenus (*Mnemos. N. S.* VI, 1878, p. 189) cum censeat *gerens* i. e. *rure est ovis gerens* scribendum esse hanc ob causam: „*rure gerit* non ferendum videtur, quasi alibi non gerat.“

4) Idem sentit non demonstrat Wisserus (l. l. p. 9).

5) Praeterea offensioni esse v. 65 duplicem elisionem, quae κακοφωνίαν secum ferret: *atque‿aliqua‿adsiduae;* sed ipse fatetur huius causae momentum non esse.

esse ut difficulter explicatio inveniretur. Iam ea quae praecederent facile ad eam rem posse referri, quam sibi tractandam poeta proposuisset: rura canit et quae ex agricultura ad vitam hominum redundaverint beneficia describit. Hinc ad femineum laborem eum accedere; de quo postquam vv. 63. 64 in universum locutus esset inde ad aliquam textricem cantantem poetam transisse eo minus credi posse quod iam agricolam v. 51 cantantem exhibuisset: sed iustam illic causam et occasionem commodissimam. Itaque distichon (65. 66) ab Italo quodam quod apud Tibullum feminae cantu carerent aegre ferente interpolatum esse criticus sentit; neque hoc uno contentus id quoque quod praecedit in suspicionem vocat: quo cogitationem ante expositam loquaciter tantummodo circumscribi. Si autem duo delerentur disticha transitum ab ovibus vellera sua puellarum artificio praebentibus (61. 62) ad greges[1]) et armenta, inter quae Amorem natum esse poeta finxisset, restitui. Haec Graefius. Profecto qui eo iudicio utitur ut Tibulli descriptionis varietatem loquacitatem vocet, naturam huius poeseos non satis mihi videtur intellexisse, in qua id ipsum miramur quod argumenta quamvis varia communi tamen vinclo[2]) semper comprehensa et per universam elegiam suis locis disposita non pluribus quidem sed efficacibus semper coloribus pinguntur ita ut res non describi sed tamquam esse et agi videantur legentibus. Iam igitur quid illud sibi vult supra iam agricolae cantantis factam esse mentionem? Quantum interest inter illam descriptionem et hanc! Neque enim potuit supra Tibullus carminum bucolicorum primordia commemoraturus facere, quin agricolam et cantantem et carmina avena modulantem breviter describeret, cum res ipsa flagitaret. Hoc autem loco res prorsus aliter se habet, ubi cantus qui illic summa rei est id tantum spectat ut summam rei, nendi actionem, tamquam trabans inserviens iuvet et descriptioni vigorem addat. A poeta inter quasilla ducimur, audimus telam sonantem, textricem quae utilem laborem pulchro moderatur cantantem. Recorderis velim imaginis quae extat in fine elegiae III libri primi (inde a v. 84) Deliae quam fingit poeta animo sedere inter anum fabellas referentem stamina deducentem et puellas quae

---

1) Respiciendum est in codice A tradi *ipse quoque inter agros;* a quo non recesserim. Neque enim quae contulit Hillerus (ed. praef. p. XIV) persuaserunt mihi, coniecturam codicis G quam Graefius probat praeferendam esse.

2) Splendide Leo vir de his studiis optime meritus quaestionem de elegia V libri secundi ita cumulavit (l. l. p. 16): *„Hier ist alles mit Beziehung aufeinander entworfen, wird alles in seiner Beziehung zu einander vom kunstverständigen Hörer empfunden: der wundersame Wechsel des Gegenstandes und Tones, bald unmerklich, bald überraschend, aber zum Ganzen ebenmässig abgewogen und ausgeglichen, erzeugt die eine einheitliche elegische Stimmung. Das ist die Symmetrie der römischen Elegie."* Quae rectissime laudat Vahlenus, *Deutsche Litteraturzeitung* II (1881) p. 1694.

somno captae paullatim opus remittunt[1]): suavior illa quidem et ex natura totius elegiae[2]) aptior quae animum legentis gravissime moveat, sed haec quoque spirans ingenium Tibulli qui, cum absentia illustratione vera tamquam praesentia reddat et sub oculos subiciat, parvis paucisque argumentis penitus eos movet qui aperto pectore veram poesin hauriunt. In talibus autem nisi fallor ex omnibus poetis Romanorum nemo ad Germanorum sensus propius accedit Tibullo. — Iam satis mihi videor demonstrasse in hac parte carminis omnia suis locis posita esse et Tibullo vere digna habeoque persuasum pro varietate et quae in ea est venustate neminem quam creare volebant maciem Graefius Wisserus alii genuina disticha specie ducti amputantes accepturum.

Hoc loco priusquam ad elegiam III transeam de **symmetria et responsione** num quae extent in carminibus Tibullianis quidque de eis iudicandum sit pauca interponere placet, ne, si ad singulos versus ubi de hac re quaeritur pervenerim, idem saepius cogar monere. Quod quam necessarium sit statim apparebit. Hae autem quaestiones post Bubendeium (l. l.) dedita opera, praesertim cum Ritschelius[3]) vir sagacissimus ipse defendisset, institutae sunt a Prienio[4]) viro doctissimo qui demonstrare conatus est Tibullum ut ceteros elegiacos stropharum et antistropharum rationibus (ex parte epodorum) universas elegias disposuisse ita ut distichorum numeris paribus sententiarum partes concinnae responderent. Hanc autem rationem ut semel dicam futilem esse censeo. Id quidem constat Tibullum, ut alios, in rebus digerendis singulis locis rationem secutum esse eam ut sententia sententiae pari versuum numero responderet.[5]) Velut poeta, ut supra (p. 397) attigimus, non raro praesertim anaphorae forma disticha bina (vel terna), quorum sententiae sibi respondent, opponere, vel, ut lenius dicam, iuxta ponere solet; et conferenda

---

1) cf. *Friedlaender, Sittengesch.* I⁶ p. 456.

2) cf. *Stud. Tibull.* p. 14.

3) *Tibulls vierte Elegie des ersten Buches;* Ber. d. phil. hist. Cl. d. Kön. Sächs. Ges. d. Wiss. XVIII (1866) p. 56—74 (nunc in opp. III, p. 616—636, cf. impr. p. 628 sqq.).

4) *Die Symmetrie und Responsion der römischen Elegie,* Lübeck 1867, p. 3—36.

5) Dignissima sunt quae h. l. repetantur Vahleni rationibus Ritschelii repugnantis haec (*Monatsber. d. Berl. Akad.* 1878, p. 352): *„Die symmetrische Gliederung aber, welche sich Ritschl ungesucht aus seiner Anordnung ergeben hat, ist ein schwacher Ersatz für die feine Gedankenbewegung, die mit der überlieferten Abfolge verloren gegangen. Der Poesie des Tibullus, in dessen Elegien sich hin und wieder gleichzeilige Versgruppen ohne Schwierigkeit absondern lassen, ist alexandrinische Symmetrie fremd, sie bewegt sich wie ein sanfter Wellenschlag, dessen Auf und Ab man noch empfindet, auch wenn einmal eine Welle weiter ausgreift."*

sunt, ut pauca laudem e multis, I, 2, 67—70 et 71—74 ubi amator *(ille)* Deliae dives qui praedam sectatus est et Tibullus *(ipse)* simplici vita contentus binis distichis opponuntur, I, 3, 11—14 et 15—18 ubi Delia et Tibullus, 73—76 et 77—80 ubi quicunque apud inferos poenas dant iuxta ponuntur, quorum quandam symmetriam non solum adverbium *illic* in utriusque membri hexametro primo positum ostendit, sed etiam quod alterum quodque distichon (vv. 75 et 79) particula copulativa cum eo quod praecedit coniungitur, II, 4, 39—44 et 45—50 ubi avara et bona puella describuntur[1]), II, 3, 17—20 et 21—24 (cf. i. p. 408 sqq.). Vix necesse est afferre locos quibus distichon disticho opponitur; quod sexcenties occurrit et ex distichi natura per se ipsum fere proficiscitur. Plura facile adici possunt.[2]) Atque haec ex naturali sensu oriuntur poetae; quem quas res coordinat vel opponit sententiis illas pari versuum numero complecti non modo facile intelligimus sed fas hoc esse censemus. Ex talibus autem nimirum quod hic illic occurrunt legem deducere, ut aequabilitas per omnes omnium carminum partes statuatur, prorsus falsum et periculosum est, cum ita vis rebus afferatur. Iam nobis persuasum est Tibullum fuisse poetam simplicissimum qui ab Alexandrinorum minutiis semper fere abhorreret[3]), nec habemus quod leviter hanc sententiam mittamus; responsionis igitur vestigia exceptis iis quae attuli aliisque quae quidem singulis locis elegiarum inveniantur et talia esse primo obtutu agnoscantur cave ne anquiras. Atque ipsa ratio ea qua Prienius et qui eum secuti sunt utuntur Tibullo minimo varias leges impositura parum sibi constat, cum aliis carminibus alias imponat, hic binorum vel ternorum illic quaternorum vel quinorum distichorum paria efficiat quae sibi repondeant, et ne hanc quidem aequabilitatem per unum carmen universum plane servet in eodemque utut placet varia paria misceat vel ad epodos refugiat itaque varietatem versicolorem non eam quam vult normam statuat. Quae ne super modum lubrica sit suspicionem movet eo quod ne hanc quidem varietatem minutissimis computandi artificiis adhibitis potest restituere nisi versibus deletis vel lacunis[4]) positis.

---

1) De his disseremus, si ad eleg. IV accesserimus.

2) cf. Disseni quaestiones textui editionis (*Albii Tibulli carmina ex recensione Car. Lachmanni passim mutata,* 2 tt. Goetting. 1835) praemissas, vol. I, p. LXXIV sqq.

3) cf. *Stud. Tibull.* p. 25.

4) Velut Prienius (l. l. p. 31 sqq.) in elegia I praeterquam quod delet distichon illud corruptela ex parte depravatum (vv. 57. 58 cf. s. p. 393 n. 2) ut symmetriae satisfaceret ante v. 57 distichon unum excidisse conicit; neque enim habere pronomen *huic* quo apte spectaret. Sed cui detur munus illud memorabile, nempe agricolae qui d u x i t choros, satis apparet, et satis supra mihi videor demonstrasse in hac parte elegiae I nihil esse vituperandum. Persuasum habeo hanc coniecturam motam non esse nisi ista ratione; quam nec per se rectam esse nec in ipso carmine I a Prienio recte institutam demonstrat Riemannus: *De compositione strophica carminum Tibulli. progr.* Coburg.

Hoc si respicimus, quod infra exemplis probabitur, iam patet in quantos errores haec ratio supermodum adhibita abducat; et Fritzschius qui post Bubendeium et Prienium hanc viam ingressus est hoc videtur intellexisse et de fructu laboris desperavisse (l. l. p. 33), qui quaestione ita disposita (l. l. p. 4): *„hunc servabo ordinem ut primum de eis elegiis quae plane, tum quae in media parte, postremo quae singulis locis*[1]) *symmetrice compositae sunt disputem“* quam lubrica ratio sit invitus ipse ostendit. Tremunt profecto oculi numerosa schemata illa quae mathematica subtilitate sibi videtur computavisse (l. l. p. 30 sqq.) spectantibus.

Eleg. III.

In hac elegia libri secundi prima[2]) occurrit Nemesis, alter Tibulli amor. Et ipsa horum amorum quae fuerint condiciones tristes haec elegia prima est testis. Summa est haec: Rura, alloquitur Tibullus Cornutum amicum, tenent puellam meam, utinam mihi contingeret ut illic eam aspicerem: profecto summos labores subirem (vv. 1—10), praesertim cum deus ipse Apollo amore motus ruri serviverit (11—28). Sed illud tempus felix, quo etiam deos amor ad summos labores incitabat, iam fere non est: nunc praedam ferrea saecula sectantur (29—46), ne puellae quidem ita amorem ut divitas laudant, quare equidem iam velim divitiae mihi quoque obtingant quibus Nemesim ornem (47—58); sed has cogitationes iam scio nil prodesse: iste Nemesim rus abductam tenet (59—60). Itaque id opto ne tibi (diviti amatori) ex rure quid oblectamenti fiat; in statum incultum qui olim fuit et quamvis simplex homines iuvabat rus cultum, quod nunc est neque tamen me iuvat, revertatur: namque servus esse velim dummodo eveniat ut Nemesim aspiciam (61—80).

In hoc carmen varia crimina a criticis congesta sunt. Ac primum quidem (ut corruptelas leviores omittam) hoc carmen unum non esse et ex compluribus vel elegiis vel elegiarum fragmentis contextum esse quod olim Scaliger coniecit vix quisquam adhuc crediderit. Quem virum sagacissimum cum censeret elegiae vv. 33—60 et ab eis qui antecederent et qui sequerentur prorsus abhorrere itaque secludendos et in carmen VI (post v. 14) transponendos esse erravisse, quod ne illi quidem carmini apte insererentur, monuit Heynius[3]); qui tamen ipse coniecit (et in textu constituendo reapse

---

1878 p. 12 sqq. cf. ibid. p. 16). Cf. Teuffel. *RLG*⁴ p. 511, 6; v. Boltzenthal, *de re metr. et gen. dic. Alb. Tib. progr.* Cuestrin 1874, p. 16.

1) Hoc unum concedendum est.

2) Versus 70 eleg. I ad Nemesim non spectat. Cf. *Stud. Tibull.* p. 26, n. 1.

3) Vide *edit. IV a Wunderlichio curatam* (a. 1817) vol. I p. 149, II p. 221, 262.

secutus est Vossius) vv. 33—60, fragmentum alius[1]) carminis quod sententiarum nexum gravissime turbaret, hoc loco removendos esse, quamquam quo transponerentur non habuit. Profecto non facile quisquam quo transponeret[2]) investigaverit; etenim utcunque de singulis quae prave vel lacunose tradita esse videntur in hoc carmine iudicatur, qui versus illos expellit me iudice elegiam gravissimo effectu qui in oppositione est privat. Quod infra apparebit. Iam priusquam in singula, quae viri docti suspicati sunt, inquiramus utile videtur elegiam universam perspicere ita, ut quae summa sit carminis res, ex qua reliquae pendeant, recte statim cognoscatur et quo clarius ipsa singula quemadmodum illuc redeant demonstrare possimus.

Elegiae scribendae quae fuerit causa, sive ficta quod multi credunt sive vera quod equidem rectius puto, patet: Nemesis a divite quodam amatore rus abducta est. Tibullus autem gravissime movetur a puella amata quamvis avara desertus. Qui suavissime quid sit fidi et sinceri amatoris versibus ipsius exemplo pronuntiavit: res asperas superare fido amore, qui pluris aestimandus est divitiarum illecebris. Ex hoc animi habitu (cf. Leonis illa quae supra laudavi p. 401 n. 2) nisi fallor omnia interpretanda sunt. A tali sententia paucis de condicione praemissis Tibullus vv. 2 et 5 sqq. initium capit: se ipsum quoque amore ductum rus abiturum ut serviret in conspectu puellae amatae[3]), ad eandem in fine ut solet vv. 79. 80 redit. Haec fuit causa cur exemplum veri amoris afferret Apollinem[4]) amore motum ruri Admeto servientem resque asperas iucundis mutantem (vv. 11—28); ob id ipsum a laudibus temporis acti transitum ad praesentia parans (29—32) queritur quod inter viros

---

1) cf. Dissen l. l. p. LXXXVI.

2) Commentationem Franckeni (*Verslagen en Mededeelingen der Koninglijke Akademie van Wetenschapen,* Amsterd. X (1866) p. 30 sqq.) ne ipsam legerem et examinarem lingua obstitit; qui iubet ita seiungi: 1—32, 33—60, 61—80. Novi autem hanc ex Karsteni (l. l. III, p. 44 sqq.) quaestionibus, quem puto illius coniecturas recte refutasse. — Nuper hanc coniecturam, ut ipse aliquid novi afferret, Doncieux (*De Tibulli amoribus,* Paris. 1887, p. 80) paullulum mutavit opinatus fragmenta esse tria haec: vv. 1—34, 35—58, 59—80; quod quomodo demonstraret non habuit.

3) cf. Dissen l. l. p. XLIX.

4) Miror quod Karstenus vir de Tibulli carminum compositione genuina probanda meritissimus censet (l. l. III, p. 44 sq.) narrationem servitii Apollinis nulla transitione praeparatam esse aut superioribus conexam. Immo cum Tibullus dicat sese ruri serviturum Nemesi num melius potuit adnectere „ipse deus servivit“ quoniam facile subintelligitur: ergo cur me pudeat? Atque apte monet Leo (p. 47) hanc Apollinis servitii descriptionem suo loco positam esse. Cf. Ovid. art. amat. II, 239 sq.:

Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheraei
fertur et in parva delituisse casa.
Quod Phoebum decuit, quem non decet? exue fastus
Curam mansuri quisquis amoris habes.

cf. Aesch. Ag. 993 (Kirchh.).

non iam amor sed praeda valeat. Quae studia cum ne Nemesis quidem effugerit (quod ipse vix credere potest vv. 47. 48), divitias habere cupit ut huic satisfaciat (49—58); quod iam fieri non posse intelligens eo perducitur, cum iste homo novus divitissimus tamen rus Nemesim abduxerit, ut ruris cultum exsecretur et priscum illum statum desideret (59—78). Quid? Haecine nonne mira? Tibullus paupertatis i. e. modici victus et ruris culti laudator pro hoc divitias habere cupit, illa reformidat? Mira videntur, non sunt. Iam luce clarius est haec, quae velis remisque sibi repugnare videntur, a Tibullo non sincere firmari sed proficisci ex eo quem diximus animi habitu non parum excitato. Namque poeta cuius in initio ipso carminum tamquam rationem vitae bene i. e. modice instituendae legas haec:

Divitias alius fulvo sibi congerat auro
et teneat culti iugera multa soli,
quem labor adsiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
5 *me mea paupertas vita traducat inerti,*
dum meus adsiduo luceat igne focus,

qui in elegia III ipsa queratur (v. 41 sq.), quod

praedator cupit immensos obsidere campos,
ut multa innumera iugera pascat ove sqq.,

non nisi acerba ironia ex qua ipse se revocat his *vana*[1]) *loquor sqq.* motus praedam sibi cupit ut illam exornet; nec non intime cohaeret cum talibus cogitationibus quod, cum modo in elegia I deos agrestes celebraverit quibus vitam cultiorem genus hominum deberet, iam non dubitat quin eandem gravissime carpat. Intelligis causam: alias semper laudat vitam cultiorem, sed eam quam regit paupertas, nunc autem ex urbe divitiae in rus quoque efferuntur, quas, cum semper reformidaverit, iam multo magis hoc loco exsecratur quia puellam amatam rus abduxerunt itaque factum est ut amorem aurum evinceret. Quare vitam rusticam quae divitiis et luxuria nititur iam nullam esse ratus scribit: *o valeant fruges, ne sint modo rure puellae sqq.,* etenim cultiorem eam non esse mavult quam cultam amoris fidem delere. Quod si tenemus „fidum amorem vel gravissima subeuntem meliorem esse divitiis" huius carminis tamquam nervum[2]) esse a quo proficiscitur ad quem redit, et si hoc sensu intelligimus

1) De hac lectione infra disseram.

2) Hunc morem a Tibullo diligenter servatum apte ita illustrat Dissenus (l. l. p. LXV sq.): . . . *singulae res in carmine omnes eum finem, id consilium habent, ut themati summo exprimendo inserviant et ad hoc illustrandum conspirent, nec potest ubi vera ars regnat, adesse in compositione, quod aberret temere a toto. Quam legem cum etiam Tibullus sequatur ubique valde imperfecta est in talibus explicandis vulgaris interpretatio.* Quod quam recte dictum sit et quotiens tamen ipse neglexerit Dissenus infra apparebit.

et coniungimus sententias, me quidem iudice patebit et in universum carmen et in singulos locos criticos perperam invectos esse. Etenim qui unam esse hanc elegiam compertum habebant Dissenus Gruppius alii ipsi tamen sententias hic illic hiare vel poetae extremas curas desiderare senserunt. At iam multum iuvamur quod nuper[1]) demonstrasse nobis videmur istam de libro secundo opinionem ex Ovidii epicedio petitam falsam esse; nihil igitur restat nisi ut rationibus extrinsecus petitis nullis ducti carmen ipsum examinemus eoque quod ex Ovidio collegimus gravius id probemus.

Ac primo quidem obtutu apparet duobus locis orationem hiare: hexametro enim 14a deest pentameter, hexameter v. 76 pentametro. Iamque lacuna quae est post v. 14a vereor ne moverit Dissenum ut, quod in una eademque sententia cui verbum „dicitur" „fertur" vel tale aliquid videtur supplendum esse extat cum v. 14c, quodque quae hoc continetur sententia ex parte corrupta esse videtur, gravius mendum suspicatus versum ieiunum esse coniceret. Quod non recte statuit. Neque enim sententia videtur claudicare, praesertim cum Lachmannus vir admirandus verba *mixtŭs obriguisse,* quae metri causa ferri non possunt, acute emendaverit ita: *mixtu subriguisse;* nam facile intelligitur litteram *s* a suo verbo seiunctam esse in traditione tumque *u* in *o* depravatam. Hoc modo si rem accipimus, ne supervacanei quidem additur quidquam ad v. 14b; neque enim inepte poeta cum antea dixerit: *Apollo* (fertur) *docuisse miscere novo lacte coagula* i. e. quae illud cogunt (nos: *gerinnen machen*) eventum quem spectaturus est reapse accidisse hac condicione miscendi (quare bene posita est praepositio *sub*) addidit ita: *liquor lacteus mixtu coagulorum reapse subriguisse fertur* remque ut solet paulo copiosius illustravit. Quare non crediderim hunc versum habendum esse in eis quos teste Puccio Pontanus[2]) supplevit, sed genuinum existimo Tibulli; ne Puccius quidem, quod solet alias, ad hunc versum quidquam adnotavit; neque habemus quod cum Karsteno (l. l. III p. 46) statuamus, hexametro 14b pentametrum et 14c pentametro hexametrum deesse. Iam igitur quamquam concedi potest hunc locum fortasse gravius nescio quo pacto in traditione corruptum esse et conici Tibullum Apollinis servitium ipsum accuratius descripsisse, tamen quot versus exciderint quibusque locis definite statui non potest. Certum autem habeo haec vitia traditioni tribuenda esse, non poetae, quem, praesertim cum ipse compluribus annis ante obitum librum edidisset[3]), hexametrum scripsisse sine pentametro aut sine hexametro pentametrum incredibile est: nam poeta elegiacus non singulos scribit versus, sed disticha. Idem cadit in v. 76, de quo v. i.

---

1) *Stud. Tibulliana,* pp. 29—57.
2) Versus ab hoc critico insitos collegit Fürthius (*Observatt. Tibullianae, progr.* Juelich. 1872, p. 3 sq.).
3) Hoc exposui in *Stud. Tibull.* p. 55 sqq.

In servitii Apollinis descriptione legimus haec:

o quotiens illo vitulum gestante per agros
dicitur occurrens erubuisse soror!
o quotiens ausae, caneret dum valle sub alta,
20 *rumpere mugitu carmina docta boves!*
saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
venit et a templis inrita turba domum:
saepe horrere sacros doluit Latona capillos,
quos admirata est ipsa noverca prius.

Hos versus iudicat Dissenus[1]) male elaboratos esse ita ut ultimam poetae manum non esse experti viderentur. Anaphoram enim conformes sententias requirere et divisiones rerum accuratas: hoc autem loco ut deum vitulum gestantem boves mugitu carmina rumpentes ita duces oracula frustra petentes Latonam capillos horridos dolentem res prorsus diversas nulla lege coniungi. Quod mihi non persuasit. Immo existimo erravisse virum doctum propterea, quod in his quattuor distichis haerens quae antecedunt et quae sequuntur non satis respexit itaque ordinem et progressum huius partis (vv. 11—28) praetermisit. Incipit poeta:

pavit et Admeti tauros formosus Apollo,
nec cithara intonsae profueruntve comae,
nec potuit curas sanare salubribus herbis:
14 *quidquid erat medicae vicerat artis amor.*

Qui versus quam apte cum antecedentibus coniuncti essent supra dixi. Nervus autem rei inest in v. 14: *vicerat amor:* quo poeta cum duo disticha ea, quae in universum exhibent quale fuisset servitium Apollinis cumulavisset, contentus esse potuit si voluisset et iam pergere (v. 29): *felices olim sq.;* sed ea qua diximus causa motus, cum Apollinis servitium aptum existimaret quod descriptioni insereret, ingenio ut solebat indulsit et ad digressionem invitatus est (14a —28). In qua tamen vides artem Tibullianam; neque enim satis habet poeta argumentum quod attigit uno tenore et aequabilitate formae describere, sed variatione propriam materiam amplificat et efficaciorem reddit: qui a describendi forma incipiens (vv. 14—16) ad evocationes transit (17—20) tum ad descriptionem rediens (21 —26) finem facit interrogando (27. 28):

Delos ubi nunc, Phoebe, tua est, ubi Delphica Pytho?

sibi respondens ipse quasi: quamquam quid interrogo i. e. mirum non est:

nempe amor in parva te iubet esse casa.

Quam lepide Tibullus hanc partem instituerit quis non videt? Ab

1) l. l. p. XXXI, LXXXIV sq. et in commentario ad h. l.

amore Apollinis initium capiens servientem deum quid passus sit quidque ex eo secutum sit variis orationis formis depingit, et ad amorem ut causam huius condicionis miserae rediens facilem transitum ad v. 29 efficit. Iam poeta, ut universae elegiae eodem argumento et initium et finem fecit, ita in hac parte minore ad digressionem invitatus scite, opinor, ad amorem a quo v. 14 profectus erat rediit v. 28 totamque descriptionem concinnam reddidit; quod criticos debuit retinere quominus cum negligentia hos versus compositos esse suspicarentur. Dissenus autem me iudice dispositionem non recte videtur perspexisse quippe qui censeat eam esse tripertitam: primum enim dici de negotiis rusticis dei, deinde afferri habitum corporis neglectum inornatum caput crinesque solutos denique habitationem in parva casa commemorari, manifesto igitur tria momenta vi paria. Profecto si his vinclis poetam cogimus, quod eximium est in hac descriptione plane evanescit. Iamque vellem Dissenus quod aptissime iudicavit de poeseos Tibullianae natura quodque monuit criticos ut respicerent[1]) ipse ita ut par erat observasset; quem si hoc fecisset h. l. non crediderim in quattuor illis distichis quidquam fuisse inventurum, quod vel perfectissimo poeta indignum esset. Tres enim partes vi pares ubi sunt? Quae rationes intercedunt inter primam versus 16 continentem, alteram 4, tertiam 2? Credamus poetam si tria argumenta vi paria describere voluit, tam disparia ea reddidisse ambitu? Cuinam parti vir doctus vv. 21. 22 tribuit? Denique quam sobria talis est enumeratio: primum labores rusticos subit Apollo, deinde incultum corpus habet, tertium in casa habitat! Quae non licet hoc modo iuxta poni ut paria vi; immo alterum pendet ex altero: incultum corpus et parva casa non partes sunt quae primae (rusticis laboribus) respondeant secunda et tertia, sed summam rem nempe rusticos labores tamquam comites perpetui sequuntur et in unum fere cum his coalescunt. Non tria igitur iuxta posita sunt sed unum describitur, variis tamen coloribus qui ut dicam causas

---

1) l. l. p. LVIII: „*Vividum admodum natura erat ingenium Tibulli et proprius est his elegiis insignis quidam vigor affectuum, quem omnia disticha, omnes versus ostendunt luculenter, nec reperias alium poetam elegiacum parem ei in hoc. Sentit quod sentit toto pectore; amat quam amat penitus, nec alias laudavit simul, sed uni deditus fuit totus semper, donec per puellam liceret. Ubi vero adversa fortuna amoris est, non leviter, sed graviter, gravissime dolet, et erumpens querela fluminis instar copiosi diffunditur in omnes partes. Atque ex hoc fervore praeclaro sensuum explicanda magnam partem . . . . compositio elegiarum Tibulli, quas qui negligenter structas, multis in locis nexu carentes, unitate rerum accurata destitutas dixerunt, specie decepti sunt, nec satis perspexerunt ordinem pulchrum in hoc motu liberiori (!). Debetur eidem fervori omnino vegetus color, nitor praeclarus rerum et verborum, qui vel leviter attendenti lectori ubique in hac poesi se offert; languidam, fractam, ieiunam nemo dixit querimoniam Tibulli, sunt nervosa, contenta, mascula, quasi vitae plena omnia.*

et consecutiones sub oculos legentium subiciunt. Unum autem est hoc: Apollo amoris causa servivit et gravissimas condiciones, quae deo *docto* parum dignae erant, iucundis et sacris quae eum decebant mutavit, neque tamen non libenter tulit. In fronte quidem (dico vv. 14a—16) mera negotiorum rusticorum (hoc concedo Disseno) quae subiit Apollo descriptio, et si quis prosam orationem excoluisset iam puto eodem tenore eum perrecturum fuisse ut alia quaevis opera rustica, et haec adici poterant plura, enumeraret ad servitutem accuratius depingendam; quod a Tibulli genere dicendi plane abhorrebat. Qui quid hac descriptione maxime respexerit ambigi non potest, quippe qui, similiter ac supra (v. 11) ea qua dixi ratione novam sententiam antecedenti adnexuit, v. 14a incipiat ita: *ipse deus sqq.* i. e. Apollinem, quamquam deus erat caelestis, non puduit negotiorum quae viles homines et servos decent. „Vegetum" autem „colorem" sentis in v. 17, quo denuo argumentum servitii deo indigni illustratur, qui ipse vitulum per agros gestat; conferendum est c. I, 1, 32[1]):

non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
desertum oblita matre referre domum.

Sed poeta cum in elegia I pronuntiasset, sese nunquam dubitaturum esse hoc facere, hoc loco non simpliciter ut potuit ne Apollinem quidem tale reformidasse firmat, sed vim sententiae mirum quantum auget ita ut Dianam faciat ei occurrentem et erubescentem quod deus hoc munus agreste subierit. Sententiae autem efficaci forma quoque evocationis lepide respondet; deus qui rusticus factus est vitulum gestat, Diana soror superbissima occurrens erubescit: haec tam apte opposita sunt, ut ante oculos tamquam ipsas personas stare crederes. Idem cadit in distichon id quod sequitur: Apollo citharoedus sub alta valle *docta* carmina canit, boves *mugitu* rumpunt; vix quam vehementer sibi repugnarent musica Apollinis et negotium inter boves agendi gravius poeta significare potuit. *Vitae plena omnia.* Poscit autem Dissenus (p. LXXXV) a poeta perfecto ut *conformes sententias* et *divisiones rerum accuratas* figura anaphorae coniungat. Rationem autem inter haec duo disticha intercedere nullam. Sed criticus specie decipitur. Iam patet quidem particulas ipsas, quae in anaphora positae sunt, liberiorem sententiae conformationem permittere quam nomina, quae ad eandem personam pertinent, velut in hoc carmine vv. 36, 37, 39, 53, 55, 57, et multo magis monendum est divisiones rerum accuratas quas vir doctus requirit eas luculentissime extare. Etenim poeta negotia rustica Apollinis illustraturus ex multis argumentis duo quae aptissima videbantur elegit: quae, quamquam diversa sunt inter se, ex eadem tamen ratione servitii indigni quod non reformidavisset deus caelestis depingendi orta

1) cf. Horat. epp. I, 13, 13.

sunt itaque communi vinclo continentur.[1]) Motus est animus poetae: inde anaphora quae artius duo disticha coniungit, inde ex narratione sobria ad evocationes efficaciores transitus! Tamen poeta gravi motu non temere provehitur; qui cum nil obstaret, quominus sententias quae sequentibus distichis duobus continentur eadem anaphora prioribus adnecteret, id diligenter studuit ut nimiam aequabilitatem, quam qui legit moleste fert, orationis evitaret. Itaque, quamquam ex eodem animi motu orti sunt vv. 21—24 ac 17—20, ab evocatione redit Tibullus ad narrationem et pro particulis temporalibus quae ad evocationem spectant simpliciores *saepe* ponit. Respondent autem hi versus altera ex parte eis qui antecedunt: quibus cum illustraverit servitium ipsum deo indignum, iam docet quid et quantum ille cum rus abiret reliquerit. Oracula petunt duces: sed sacrae sedes, quibus olim ille praefuit, desertae sunt; haec est ut dicam prioris aversa pars. Iterum monendum est, poetam scite ut supra rem ita instituisse ut (cum simplicius scribere posset ita fere: ex eo quod Apollo rus abiit serviturus iam secutum est ut oracula desererentur) duces oracula petentes facere mallet et domum redeuntes cum nil profecissent, itaque pro rebus personas inducentem descriptionis vim mirum quantum auxisse. Idem cadit in quartum distichon artissime cum eo quod praecedit coniunctum. En•habes cur vacuis oraculis illi infecta re redeant causam non minus scite oppositam: neque enim poeta, nisi sensus me fallit, voce *sacros* non sine causa h. l. posita, in medio reliquit qua ratione cum antecedente hoc distichon conecti vellet. Videtur autem summa ars Tibulli h. l. in eo versari quod servitium Apollinis quam gravissime lectoribus subiecit ita ut oratione anaphorae usu helluante rationes, quae intercederent inter ipsum servitium et tertium quoddam, apte firmaret. Quare non legimus: Apollo vitulum gestavit, negotium deo parum dignum; sed hoc pendet de Diana erubescente, itemque in fine non ita: at horrebant quidem eius capilli olim culti, sed: Latona mater dolet filium horrentem capillos quos Iuno olim admirata est. Helluatur igitur oppositionibus: Apollo gestat erubescit soror, canit ille mugitu boves rumpunt, petunt duces oracula infecta re redeunt, dolet Latona horrere olim noverca admirata est. Huic autem sententiae, qua Latonam facit dolentem, eandem addit sed universam: quisquis inornatum caput aspiceret, Phoebi comam iam non agnosceret. Postremo autem disticho (27. 28) non adicitur tertia pars sed poeta cum decem distichis servitium Apollinis varie illustraverit ut ad propositum recurrat antecedentia comprehendit interrogatione: ubi nunc, Phoebe, qui tot miseriis pressus sis, sacrae sedes tuae sunt? i. e. quo splendor, quo olim nitebare, abiit? atque ipse respondet amoena imagine posita: in casa amor te esse iubet; quod si in prosam orationem vertimus

1) Conferas velim rurum laudes varias (de quibus supra disserui) quae leguntur in media parte eleg. I.

nihil est nisi: iam scio amoris impetum ad miseras servi condiciones te duxisse. Hoc si tenemus Fritzschii (l. l. p. 26) coniecturae per se ipsae fere refelluntur, qui vv. 19—22 imprimisque vv. 21. 22 iubet eici quos ne negligentis quidem Tibulli credit esse sed interpolatoris, insitos propter vv. 27. 28 ut musicae quoque et fatidicae dei artes commemorarentur. Videmus igitur v. d. nec ex qua ratione boves mugitu dei carmina rumpentes ducesque ab oraculis infecta re poeta attulerit redeuntes nec cui extremum distichon (27. 28) inserviat intelligere. Sed hoc distichon extremum, cum antecedentia imagine comprehendat, per se intelligi potest ita ut illa duo (19—22) suo loco descriptionis colorem mirum quantum iuvant; quod demonstravimus. Disseni tamen rationibus Wisserus adeo captus est (l. l. p. 27) ut, audacior hoc, quattuor disticha quae duplici anaphora cohaerent plane a Tibullo abiudicaret, inepte et ridicule ea vocans a quovis composita quae ne dormitans quidem Tibullus scribere potuisset! Iam etsi satis operam dedisse nobis videmur ut disticha haec mira arte a Tibullo composita esse probaremus, ne hanc quidem opinionem eo quo decebat silentio praetermittimus, quo melius quam turpiter poesis Tibulliana usque dilaceretur appareat. Etenim omissis his quae rima extat inter vv. 16 et 25! De qua re Wisserus ductus opinione, Tibulli carmina adhuc interpolationibus scatere, ne cogitavit quidem; quod si fecisset paulo cautius puto eum iudicaturum fuisse. Iam equidem quomodo sententia in universum dicta (v. 25. 26) *quisquis inornatumque caput sqq.* cum vv. 15. 16 coniungi possit non video. Etenim, cum antea nil iam dictum sit de neglecto corporis cultu offendimur quod subito sententia praesertim in universum (*quisquis*) dicta statim descriptioni rerum rusticarum, quas Apollo faciens ipse docuit, adnectitur. Contra suo loco bene intelligitur hoc distichon vimque sententiae cum antea dicatur de Latona matre dei sacros capillos horrentes dolente auget: non una Latona m a t e r, quam maxime doluisse consentaneum est, dolet, sed quicunque aspexit deum ita deformatum non novisset. — In his igitur distichis nil habes quod Tibullo vel interpolatori crimini des obnoxius Disseno et qui hunc secuti coniectandi libidine superaverunt; omnia habeo scite excogitata, lepide descripta, consilio nexa.

Nunc transeo ad vv. 29—36:

felices olim, Veneri cum fertur aperte
30 *servire aeternos non puduisse deos.*
fabula nunc ille est: sed cui sua cura puellast,
fabula sit mavult quam sine amore deus.
at tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
imperat, ut nostra sint tua castra domo:
35 *ferrea non Venerem sed praedam saecula laudant:*
praeda tamen multis est operata malis.

Post v. 34 veteres interpretes lacunae signum posuerunt; quod

cum Lachmannus probasset plerique secuti sunt. Criticus quidem excellentissimus utrum ipsi Tibullo sententiae hiatum crimini dederit (monuimus nuper[1]) Lachmannum quoque credidisse a Tibullo nil nisi primum librum in lucem emissum esse) an traditioni medii quod dicitur aevi nescio, cum ipse ut solebat in apparatu de causis lacunae nihil adnotaverit. Dissenus autem semper fere Lachmanni rationes criticas secutus lacunam probat ratus, hunc quoque locum Tibulli ultimas curas requirere; quem putat alio tempore directum transitum ab una aetate ad alteram praelaturum fuisse omissa inutili (!) sententia de suis castris sive brevius sive disertius enuntiata. Iam ego, cum etiam atque etiam hanc elegiam legerem et conarer in sententiarum nexum secundum eum quem dixi animi habitum ex quo omnia orta esse videntur inquirere, adductus sum ut crederem versus ita ut leguntur in codicibus (in optimis codicibus, praesertim A, lacuna non extat) a Tibullo scriptos esse et cum antecedentibus et sequentibus optime cohaerere. Poeta cum diserte depinxerit Apollinis servitium et in fine causam expresse significaverit *nempe amor in parva te iubet esse casa* apte pergit ita ut saecula illa quibus et dei (velut Apollo) aperte servivissent Veneri felicia praedicet (29. 30); quibus ipsius aetatem opponit, non inde a v. 35, ut plerique censent, sed ab ipso v. 31: nam ipsis particulis *olim* (29) et *nunc* (31) hanc oppositionem quam apertissime firmat. Ne obiciat quis quod demum v. 35 *ferrea saecula,* nam haec sunt poetae ipsius, nominatim commemorantur. Quibus id ipsum quod in fronte v. 31 positum est „nunc iam nihili Apollinis illud servitium quod passus est motus amore" accuratius disertiusque firmatur; et poeta si voluisset simplicius ita progredi potuit: olim aurea tempora fuerunt, nam ipsi di aperte serviebant: nunc illud nihili putatur: etenim ferrea saecula nunc vigent, quae non Venerem sed praedam laudant. Sed iterum atque iterum sentis artem Tibulli, qui hoc transitu non contentus mori ipsius temporis (v. 31 init.) ipsius veram de vero amore sententiam — praesertim cum videat illum deum ob amorem ad servitium excitatum esse — paucis opponit interpositis *sed cui sua cura puellast, fabula sit mavult quam sine amore deus* i. e. „nunc quidem tales fidi amoris testes spernuntur, sed quisquis (velut ego) puellam suam amat, fabula esse mavult i. e. sicut Apollo pro amore vel asperrima pati quamvis illusus a ceteris alia studia sectantibus, quam deus sine amore esse[2]); at quicunque (ut ego) a Cupidine mala fert, domi meae velim ille castra ponat i. e. quomodo vel hodierna aetate alia studia sectante verus amor se praestet oporteat ex me discat, nempe qui ipse destitutus a perfida puella tamen vestigia eius secu-

---

1) *Stud. Tibull.* p. 43 et nn. 3, 4.

2) Perperam sentit Gruppius (l. l. p. 70) in his hilarem et iocosum esse Tibullum; immo recorderis velim Disseni optime dictorum: *sentit quod sentit toto pectore.* Dolor cepit Tibullum ab illa destitutum, non iocus.

turus sim et asperrima passurus" (cf. vv. 5 et 11).[1]) Atque huic sententiae ita explicatae ipsius huius aetatis studia qualia sint (*ferrea non Venerem sed praedam saecula laudant sqq.*) pluribus distichis descripta artissime sese adiungunt, ut equidem nesciam qua hiet orationis progressus. Quid igitur movit criticos ut lacunam probarent? Quos nisi fallor plurimum distichi structura deduxit; namque ipse Dissenus, qui de nexu dubitat, concedit fortasse ex sententia orationis hiatum non exstare. Profecto si ita interpungimus: *at tu quisquis is es, cui tristi fronte Cupido imperat ut nostra sint tua castra domo,* luce clarius est hiatum statuendum esse, cum sententia principalis *at tu* instituta finem suum desideret. Sed si ponimus virgulam post verbum *imperat* ita ut interposita sententia relativa *cui tristi fronte Cupido imperat* evadat principalis *at tu* (*quisquis is es*) . . . . . *ut nostra sint tua castra domo* optative enuntiata, tolli videtur haec difficultas neque tamen nova parari. Iam primum quaeritur, num coniunctivus qui dicitur optativus quique, nisi a verbo quodam quod antecedit pendet, particula *ut* omissa poni solet, particulam h. l. ferat. Et cum constet in sententiis optativis omisso ipso verbo optandi particulam *ut* per ellipsin poni et apud poetas priscae Latinitatis et apud eos qui Caesaris[2]) et Augusti[3]) temporibus fuerunt Graecos haud raro imitati, non dubito quin apud Tibullum sententia eodem modo accipi possit. Neque praetermittendum est, si rem ita intelligimus, ut sententias ita formas utriusque distichi ex parte sibi respondere: *cui sua cura puellast* (ut mihi) — *cui tristi fronte Cupido imperat: fabula sit mavult quam sine amore deus* — *at tu . . . . ut nostra sint tua castra domo.* Patet igitur nec alterum distichon inutile esse et utrumque apte cohaerere. Nec non perspicuum fit (ut saepius) quam futilis sit illa in „exordium" „medium carmen" „exitum" tripartitio quae normae adstringitur Disseni; qui h. l. a v. 33 „medii carminis" initium capiens quae coniungenda sunt non apte diremit. Qui ne in eo quidem recte haeret, quod pronomen *tu* verbo caret, nec recte statuit sine exemplo talem constructionem esse apud Tibullum. Neque enim cum pronomen *tu*

---

1) Superfluum igitur est quod statuit Fritzschius (l. l. p. 26) post v. 34 unum distichon excidisse quo dictum esset Tibullum differre ab hominibus ferreae aetatis. Etenim ex duobus distichis eis quae adhuc legimus satis superque apparet, Tibullum non facere cum eis qui praedam sectati amorem minoris habent.

2) cf. Catull. 66, 48 sqq.:

Iuppiter, ut Chalybon omne genus pereat,
et qui principio sub terra quaerere venas
50 *institit ac ferri fingere duritiem!*

v. Ries. ad h. l.

3) Similiter Hor. sat. II, 1, 42 sqq.:

o pater et rex
Iuppiter, ut pereat positum robigine telum,
nec quisquam noceat cupido mihi pacis! . . . .

duobus sententiis *quisquis is es* et *cui tristi fronte Cupido imperat* appositis accuratius definiatur, offensioni videtur esse quod verbum non in singulari vel imperativi- vel coniunctivi (cf. I, 2, 87; 5, 69; 6, 16; 7, 62 al.) positum est, sed personale *tu* possessivo *tua* quod ad eandem spectat personam excipitur. Cuius rationis apud Tibullum ipsum legitur exemplum alterum huius mirum in modum simile in c. I, 4, 59 sq.:

at tu, qui Venerem docuisti vendere primus,
quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.

Ita enim lego cum Hillero viro humanissimo non solum quod *tu* in optimo codice A exhibetur, *tua* in interpolatis, sed quod *tua* lectione recepta maior duritia structurae creari videtur. Nam duae sententiae relativae *qui Venerem docuisti vendere primus* et *quisquis es* quae inverso ordine respondent his: *quisquis is es* et *cui tristi fronte Cupido imperat* flagitare videntur, ut hoc loco, personale ad quod sese referant, et praesertim si cogitamus quoties (cf. exempla quae attuli) Tibullus sententias ad universum spectantes enuntiaturus a pronomine personali secundae personae cum particula *at* coniuncto initium capiat, eo gravius offendimur lectione *at tua, qui* . . . . quae *ossa* in fine distichi posita tamquam claudicantia facit. Quod si *tu* ut decet recipitur intelligimus illic quoque pronomini *tu* verbum suum deesse; quod tamen aegre non ferimus cum vox *ossa* ad eandem personam pertineat. Summa autem vis in persona posita est utroque loco. Neque vero in particula *at* haerendum est, quasi prioribus repugnet, si tenemus hanc ipsam Tibullum non ita semper ut gravissimam oppositionem significaret posuisse, sed ut ea quae hoc modo adnectit eo magis sub oculos legentium subiceret (cf. I, 3, 87; 4, 13; 7, 7; II, 5, 33 al.), cui rei h. l. non minus pronomen *tu* personale, quamquam ad unam et certam personam non pertinet sed in universum dictum est, inservit. His expositis, cum nec sententia nec forma obstare videatur, verisimillimum habeo lacunae signum post v. 34 delendum esse neque esse quidquam quod vel Tibullo vel librariis crimini demus.[1])

Quae his duobus distichis brevius attigit poeta ea sequentibus accurate depingit: saecula ipsius ferrea non amorem sed praedam ac divitias concupiscunt. Versus sunt hi:

35 *ferrea non Venerem, sed praedam saecula laudant:*
praeda tamen multis est operata malis.
praeda feras acies cinxit discordibus armis:
hinc cruor, hinc caedes mors propiorque venit.
praeda vago iussit geminare pericula ponto,
40 *bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.*

---

1) Meierus (l. l.) nuper coniecit ***imperitat, frustra iam tibi castus amor*** (v. 34); quae coniectura primo obtutu arridens sententiarum eam rationem, quam exposuimus, tollit.

praedator cupit inmensos obsidere campos,
ut multa innumera iugera pascat ove;
cui lapis externus curae est, urbisque tumultus
portatur validis mille columna iugis,
45 *claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra*
neglegat hibernas piscis adesse minas.
at tibi laeta trahant Samiae convivia testae
fictaque Cumana lubrica terra rota. sqq.

Versus 41—46 delet Wisserus (l. l. p. 28 sqq.). Ac primum quidem quod dicit v. 41 esse „tam ieiunum ut prosae magis orationi quam poeticae conveniat" dubito num cuiquam persuasurus sit. Tum verba quae fecit Lachmannus[1]) de hoc loco laudans non ita debuit adhibere ut in suam coniecturam converteret, sed recordari quid moverit criticum singularem ut de hoc loco dissereret. Qui cum diceret: *„Diese Stelle ist eine der wenigen, wo im Tibull, nach so vielen trefflichen Vorgängern, für den Scharfsinn noch etwas zu thun übrig bleibt"* sensit: v. 42, ut alii apud Tibullum, corruptissimus videtur. Talia autem, nisi certissimae causae obstant, qui iudicio sano utitur non interpolatori tribuet, sed traditioni. Nam si hoc conceditur vereor ne extent qui ex quavis corruptela textus de integritate ac fide unius vel plurium distichorum dubitent. Idem cadit fortasse in lectionem *obsidĕre;* quod verbum non solum apud Tibullum hoc uno loco legitur (quod per se offensioni non est; cf. s. p. 389 et n. 1) sed quantum video a poetis illius aetatis nusquam hoc sensu translato positum est. Itaque nisi probabiliter haec vox emendatur, facere non possumus quin utrum corruptela statuenda sit an verbum, quamquam semel occurrit, satisfaciat tamen in medio relinquamus; sed non est, quod totum distichon propter unum verbum quod minus placet suspicemur. Non maioris momenti ea sunt quibus vir doctus verba *cui, mille, urbis tumultus* in suspicionem vocat. Ac pronomen *cui* et ipse fatetur alias quoque ita positum esse; quare non habeo quod plura addam. Tum quod opinatur veri non dissimile esse interpolatorem verba *mille columna* inter se coniungi voluisse: nam et in deliciis fuisse numerum singularem pro plurali (velut v. 42: *innumera ove;* 5, 72[2]): *multus ut in terras deplueretque lapis*) exempla non apte contulit. Etenim cum cuiuslibet verbi singularis pro plurali sensu collectivo positus crebrius occurrat apud omnes scriptores, quam ut opus sit ipsius interpolatoris hunc morem esse firmare, numerale *mille* et ipsum obstat, quominus cum singulari substantivi coniungatur; iam reperiuntur apud comicos poetas quibus *mille* cum singulari conectatur, sed proprio semper sensu numerali. At ubicunque *mille* sensu translato i. e. *innumerabiles* scriptores po-

1) *Kl. Schr.* p. 148; cf. ibid. p. 190.
2) Hanc elegiam postea a Tibullo prorsus abiudicavit vir doctus! (*Eutin. Progr.* 1874); cf. R. Richter. *Burs. Jahresb.* *X* (1877, II) p. 279 sq.

suerunt, pluralem et substantivi et verbi quae ad numerum illum pertinebant postulari haud ignoraverunt; neque possum mihi persuadere interpolatorem, si re vera quis Tibullum h. l. ipsius doctrina corrigere conatus est, Latinum sermonem ab omnibus usurpatum ita neglexisse ut *mille* ad *columna* referret. Denique quod censet Wisserus absurde magis quam poetice interpolatorem columnas, cum tumultum faciant, urbis tumultum esse dixisse, vim sententiae parum intellexisse videtur. His verbis quid significare voluerit Tibullus neminem fugit (cf. Disseni explicationem). Tumultus hic est quem „parant" (vel „faciunt" Wiss.) urbi columnae gravis ponderis in plaustris impositae, quae per vicos vehuntur[1]); atque ita dicere potuisse poetam nemo Wissero non adstipulatur: qui tamen totam sententiam de verbo portandi faciens dependentem cum in sententia principali actum — quod mire vigorem loci iuvat — ipsum, non effectum actus significet, non vituperandus est quod effectum illum qui sexcenties in urbe repetitur itaque perpetuus tamquam status molestus videtur esse brevius comprehendit appositione *urbis tumultus.* Ne nos quidem a tali more dicendi alieni sumus, cum ea quae gaudium vel terrorem vel tale aliquid efficiunt gaudium vel terrorem al. ipsa vocemus. Et haec quidem de singulis. Quibus non contentus Wisserus universas sententias gravius carpit: vv. 41—46 nec cum eis quae antecederent nec quae sequerentur nec denique inter se congruere; versibus enim 41. 42 dici praedatorem immodica esse possidendi cupiditate, altero autem et tertio disticho luxuriae magnificentiaeque eum deditum esse. Quas sententias sentit cum inter se dissimiles tum prorsus diversas esse a vv. 35—40; his enim praedam dicere Tibullum multorum malorum causam esse, versibus autem 41—46 praedam rem perniciosam esse ne verbo quidem indicatum esse. Quid iudicemus? Quod dicit ille praedam causam esse multorum malorum, certe cadit in vv. 36—40. Sed neglexit vir doctus versum qui in fronte legitur 35: in hoc enim, non in 36—40 summa rei nititur; quod docet conexus qui intercedit inter hunc versum eosque qui antecedunt. Olim amori vel di serviebant, nunc non amorem sed praedam ferrea saecula laudant; haec sententia est principalis usque ad v. 46 illustrata ex qua omnia pendent. Poeta autem, cum huius saeculi studia sibi odio sint, facere non potest quin ipse vituperet ita ut multa mala ex „praeda" nasci dicat,

1) Hanc condicionem illustrat Iuvenalis III, 254 sqq.:

longa coruscat
255 *serraco vemente abies, atque altera pinum*
plaustra vehunt, nutant alte populoque minantur.
nam si procubuit qui saxa Ligustica portat
axis et eversum fudit super agmina montem,
quid superest e corporibus? quis membra, quis ossa
260 *invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver*
more animae.

cf. Friedlaender. *Sitteng.* I[6] p. 27, 71.

quae sequentibus accuratius illustrat (cf. I, 10, 1—9). Et his quidem duobus distichis (37—40) si formam respicimus apte adnectuntur sequentia *praedator sqq.*, si sententiam, excipiunt v. 35. Tribus enim his distichis (41—46) poeta quod in fronte (v. 35) pronuntiavit iam studet ut depingat: praedator campos immensos appetit, marmora ex terris externis advehenda curat, mare ipsum molibus claudit intraque cetaria instituit. Wisserus autem perperam iudicat primum distichon alteri et tertio repugnare; ad quem errorem videtur adductus esse quod et rationem quae intercedit inter sententiam principalem v. 35 descriptionemque accuratiorem (vv. 41—46) non satis intellexit et voces praedae et praedatoris angustius valere ratus plus aequo pressit. Sed poeta cum in fronte ipsius saeculum priscae aetati, quae amori serviebat, opponeret verbo *praeda* morbum ut dicam huius saeculi satis notum notare voluit, quod ad vitam quam lautissime et luxuriosissime instituendam auri et bonorum possessionem appetebat hisque rebus reliqua omnia fere aestimabat. Haec est *praeda*. Neque enim de avaritia illa agit Tibullus, quae quod collegit anxie condit, sed de studio hominum fructus ex una possessione capiendi. Hoc autem vinclo vv. 41—46 cohaerent, quibus praesertim si distichon quod sequitur respicimus nullo modo carere possumus. Sed Wisserus eiectis his tribus distichis conexum inter vv. 40 et 47 opinatur intercedere hunc: „ex praeda oriuntur multa mala, itaque detestabilis est, sed equidem[1]) modico victu contentus sum.“ Quod quam artificiose criticus restituerit patet; nam — ut hoc primum mittam, utrum *mihi* an *tibi* recte legatur — cum persona utique insit in hac v. 47 sententia, aegre fertur quod huic abstractum *praeda* opponitur, et accedit quod ne sententia quidem artum nexum inter 40 et 47 permittit. Etenim, cum vv. 36—40 dictum sit quae mala praeda afferret, quid sibi volunt illa: *at tibi* (vel *mihi*) *simplex vita agatur?* Quae tamen verba eis quae criticus delevit bene opponuntur: praedator i. e. qui lucrum summum appetit haec illa sibi parat ut laute vivat, at[2]) tu minoribus contentus sis. Num quae aptius opponi possunt? Personam autem quae inest in pronomine exploratum habeo esse Nemesim, et censeo cum optimo codice A *tibi* scribendum esse. Fateor quidem primo obtutu cogitari posse (huc accedebat Scaligeri summa auctoritas hoc loco excerptis adiuta, quae multos cepit) poetam sententiam ita instituisse inde a v. 29: „olim et di amori serviebant, nunc praedam omnes laudant quamquam multa mala secum tulit: praedator omnia quaevis magnifica sibi parat: at ego illius dissimilis paucis contentus sum“; tumque subintellexeris haec fere: „sed quid hoc me iuvat? etenim, heu heu, video divitiis puellas gaudere, quare iam ipse, cum dives non sim, praedas cupio ut puellam meam pretiosis vestibus ornem.“ Cogitari

1) Wisserus usurpat lectionem quae extat in excerptis Parisinis: *at mihi sqq.*

2) Hoc loco particula *at* proprium sensum adversativum habet.

haec possunt. Sed non negligendum est lectionem *mihi* niti excerptis; quos traditionis fontes, si memineris quomodo orti sint, ut certos quodammodo tum demum consules si ea quae in codicibus optimis leguntur ex sententia ferri nequeunt; quo fit ut reapse nonnulli loci ex una excerptorum fide pendeant. Sed quod in illos in hunc locum cadere nego. *Tibi* enim si ad Nemesim refers aptam suam habet explicationem.[1]) Quam quidem Wisserus inepte parumque verecunde censet opponi praedatori; quod praesertim cum causas non attulerit mihi minime persuasit. Sed utut de hac re ille cogitavit, ne id quidem negligendum est praedatorem non esse certam personam, sed ut dicam illius temporis aurum et possessionem sectantis notam, quo simpliciorem tamen vitam sperat Tibullus Nemesim esse servaturam. Huic autem cogitationi mirum quantum inservit coniunctivus *trahant*. Namque poetam, quamquam haud ignorat Nemesim avaram esse et ut luxuriose viveret amatorem ipso divitiorem rus secutum esse, interdum tamen tali expectatione niti quis non libenter crediderit cum sciat, tantum abesse ut Tibullus vel gravissimas res in partem peiorem semper accipiat ut puellas amatas quamvis duras excuset crimina leniat in alias res culpam convertat? (cf. II, 6, 44; I, 1, 63; 5, 47. 48; 6, 35. 36). Qui tamen, ut alias (cf. I, 5, 67; infra v. 59), exclamationibus *heu, heu* statim quod expectare posse sibi videbatur id revera aliter se habere cum dolore recordatur. Haec autem *heu heu* apte non explicarentur[2]), si antea *mihi* legeretur, nisi forte quis sequitur Wisserum mire explicantem ita: „subito cum in mentem veniat puellae avaritia, hasce effundit querelas *heu heu sqq.*"

Iam ex cogitatione dulci quam de Nemesi informavit animo ad

---

1) Heynius vir humanissimus quod olim a criticis credebatur (miror quod adhuc a Karsteno l. l. p. 47) *tibi* eundum esse ac *tu* (v. 33) recte reiecit.

2) Ex recentioribus aliam sententiam nuper attulit vir de codicum Tibullianorum fide diiudicanda optime meritus Rothsteinius (*De Tibulli codicibus. diss.* Berol. 1880, p. 27) qui, rectissime *tibi* genuinam esse lectionem censens et apte opponi praedatori, inesse iudicat in pronomine non puellam sed Cornutum, quem in initio carminis poeta alloquitur. Quem mihi non possum persuadere ad hunc locum valere. Arrideat haud scio an cuipiam, quod, cum in eiusdem libri carmine II ad eundem Cornutum misso hic amicus ita depingatur (cf. v. 11—16) ut amorem uxoris pluris aestimet divitiis, id hoc loco ubi saeculum quod praedam sectatur et modicus victus opponuntur non inepte ad Cornutum videtur referri. Sed tamen ita conexus cum sequentibus desideratur, qui non restituitur nisi *tibi* ad Nemesim refertur. Mirum quoque esset, si Cornutus cuius nihil nisi nomen in carmine legitur, hoc uno loco pluribus (i. e. duobus versibus) a poeta vocaretur, cum ceterum nullo carminis loco occurrat. Atque hoc spectat ad naturam huius carminis, quod non epistola est quae mittitur ad quendam amicum cuius ipsae res oporteat commemorentur, sed elegia ex condicionibus quae intercedebant inter Tibullum ipsum et Nemesim miseris orta. Cui argumento inserviunt omnia. Poeta autem quare motus sit ut ad Cornutum hanc elegiam mitteret in fine commentationis disseremus.

veram condicionem se revocat poeta v. 49 interiectionibus *heu heu;* qui quomodo processerit videamus. Versus 49—60 ita leguntur:

heu heu divitibus video gaudere puellas:
50 *iam veniant praedae, si Venus optat opes;*
ut mea luxuria Nemesis fluat utque per urbem
incedat donis conspicienda meis.
illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
texuit auratas disposuitque vias:
55 *illi sint comites fusci, quos India torret*
Solis et admotis inficit ignis equis:
illi selectos certent praebere colores
Africa puniceum purpureumque Tyros.
vana loquor: regnum iste tenet, quem saepe coegit
60 *barbara gypsatos ferre catasta pedes.*

Hos versus omnes exscribo quo melius appareat, quid iudicandum sit de lacuna quam veteribus interpretibus probatam extare (sicut s. inter vv. 34 et 35) post v. 58 credidit Lachmannus et qui postea Tibullum ediderunt — praeter Rossbachium [1]) et Hillerum. Quod cur fecerint illi facile intelligitur: rectam esse crediderunt vocem quae legitur in fronte v. 59: *nota;* quae cum non apte cum antecedentibus cohaereret, facere non potuerunt quin hiatum orationis suspicarentur. Iamque Dissenus, qui in hac quoque re Lachmannum sequitur, verba *nota loquor* censet hoc modo explicanda esse: *vera loquor, constat inter omnes quod dico, pertinetque hoc non ad antecedentia, sed ad sequentia verba, cum sit paene incredibilem rem dicturus, hominem nunc regnare apud Nemesim, qui pessimus olim servus fuerit;* et conicit integrum sententiarum progressum inter 58 et 59 olim fuisse hunc: *talia (dona vestes comites) amant nunc puellae, talia qui offert eum sequuntur etsi vilis homo sit: qualis etiam Nemesim meam nunc cepit. Nam vera loquor, ait, et nota: servus fuit et nequam qui nunc regnat apud Nemesim.* Et haec quidem Dissenus; quem probabiliter lacunam, quam statuendam esse compertum habet, explevisse non crediderim. Iam monuimus poetam antea (vv. 47. 48) animum in spem adduxisse, Nemesim non ita ut ceteros praedam sectari modicoque victu contentam esse. Sed Tibullus, cum revocet sese statim — *sentit quod sentit toto pectore* velim recorderis — divitias ipse habere cupit, ut congerat in illam quaecunque pretiosa vel sunt vel tum habebantur: vestes Coas, comites Indos, purpureum puniceumque colores ex Africa Tyroque petitos. Haec verba non sincere excogitata esse, sed ut praesens affectio movebat a poeta scripta nemo non sentit. Qui aliquantum provectus cum supra a spe irrita (vv. 47. 48) statim ad veram condicionem recurrerit, v. 49 ipso inducitur ut optet, quod, si diligenter secum deliberavisset, intelligere

1) *Albii Tibulli libri quattuor.* Lips. 1855.

debuit nil iam sibi profuturum esse, cum haud ignoraret Nemesim ab alio amatore teneri. Cum lectore quidem poeta hoc nondum communicavit, cum in initio carminis nil dicat nisi Nemesim ruri esse. Sed recte et poetice hoc factum esse[1]) Dissenus monet: nam veri poetae non est carminis argumentum quod dicimus uno tenore in fronte narrare (quare vituperant Euripidem) sed hic illic utcunque datur facultas rebus inserere. Talis autem facultas h. l. apte datur. Poeta — splendidissime hoc finxit — animi motu ita provehitur inde a v. 50 non solum sententia sed etiam forma (respicias velim gravem anaphoram) ut optet quod optare non potest rerumque ipsarum plane fere immemor fiat. Talia ut accidere solent et mediocribus hominibus quod capiunt poetam sensuum plenissimum mirari non debemus; neque vero hoc uno loco. Conferas velim exempla post Heynium et Wunderlichium (p. 228) ab Hillero collecta (in praef. ed. ad h. l.). Locus autem huius simillimus legitur I, 5, 61 sqq. Illic quoque legimus diviti amatori Deliam puellam prius amatam se dedidisse. Sed poeta, quamquam vv. 18—34 beatam cum Delia vitam ruri se victurum animo fingens[2]) ad rem recurrit intelligens talis vitae spem non subesse his (v. 35): *haec mihi fingebam sqq.*, tamen paulo infra iterum ita sibi indulget ut, haud ignorans Deliam alii amatori favere, intimo animo firmet illam pauperem se prosecuturam (vv. 61—66) voce *pauper* in anaphora posita; iterum autem his (v. 67): *heu canimus frustra sqq.* spem irritam esse meminit, cum illa ab amatore teneatur. Singulis igitur distichis in elegia V ad veras condiciones poeta se revocat (vv. 35. 36 et 67. 68), itemque puto in hac elegia III v. 49. 50 et 59. 60. Itaque Disseni explicatio censentis verba quae in fronte v. 59 leguntur ad antecedentia referri non posse sed ad ea quae sequuntur mihi non arridet. Ac primum quod qui servus olim fuerit censet criticus eum Nemesim tenere rem fere incredibilem esse nego, namque illis temporibus Nemesim meretricem vilissimam quae nobis iudicibus Tibullo digna non fuit spectavisse non id quo quis loco amator ortus esset sed quantas divitias ferret facile intelligitur, nec crediderim Tibullum, quippe qui non inanibus verbis sed ipsis rebus effectum suum assequi soleat, cum hoc cum lectoribus communicaturus esset grandiloque ut quae sequuntur firmaret hoc praemisisse: „nota loquor i. e. nota sunt ea quae iam enarraturus sum: regnum iste tenet quem sqq.“ Et Dissenus, opinor, ne id quidem recte iudicavit, quod sine ulla dubitatione *nota* et *vera* eadem quae non sunt esse iussit. Profecto si ita interpretaris lectionem *nota* servans hiare orationem apparet. Et quaerendum est, quae sententia versuum 58 et 59 conexum, qui dirutus esse videtur, apte restituat. Cuius operae unus Dissenus periculum fecit; qui cum ita ut rettulimus suppleverit poetam voluit repetere id quod v. 49 questus

1) Aliter de hac re sentit Gruppius; cf. i. p. 426 sqq.
2) cf. *Stud. Tibull.* p. 65 sq.

est: *heu heu divitibus video gaudere puellas.* Et quod ita orationem restituere conatus est non ipsum vitupero, cum hic reapse mos sit Tibulli ab eadem re initium capiendi ad eandem redeundi. Sed si lacuna extat ne possumus quidem scire quot versus exciderint, et satis habere debemus probabiliter, si fieri potest, sententiam quae desideretur supplere. Iam plus aequo is quem proponit Dissenus rerum nexus languet: „qui divitias praebet, eum sequuntur puellae, etsi vilis homo sit: qualis etiam Nemesim meam nunc cepit, nam vera loquor et nota: servus fuit qui eam nunc tenet".[1]) Ne is quidem qui sobrie prosam orationem scribit ita res nectit, nedum Tibullus, a quo id minime postulamus, ut quae depingit ea vera et nota esse expresse firmet. Dissenus autem de recta via mihi videtur aberravisse, quod non ita ut par erat firmavit, quomodo vv. 50—58 ex animo admodum excitato orti recte intelligendi essent. Etenim cum poeta his versibus Nemesim ita inducat, de exitu fere qui futurus sit divinamus: poeta, ut ipse sibi constaret, haec vota quae ipse certe non ignorabat irrita esse silentio praeterire ita ut prorsus argumenti quod in initio edixerat oblivisceretur non potuit; et verba, quae subsequuntur ea de quibus ambigitur, *regnum iste tenet sqq.* si comparantur (omissis his *nota loquor*) cum antecedentibus necessitatem afferunt ut credamus, poetam ipsius votis fictis veras res opponere voluisse. Nihil igitur mihi videtur deesse, quo hic nexus qui nititur gravi oppositione ea quam significavi quique natura loci et poscitur et extat melius restituatur. Ex lacuna cave ne salutem petas: quae ratio critica ceterum lubrica difficilior est in carminibus Tibullianis quae genere dicendi abruptiore, quod primo obtutu videtur, eum, qui non diligenter in progressum sententiarum et consilium poetae inquirit, facile ad libidinem coniectandi adducant. Sed tamen difficultas relinquitur: neque enim, quamquam reliqua ita ut exposuimus quam artissime cohaerent, fieri potest ut illud *nota* probabiliter explicetur. Quid rectum sit divinare videtur — quamquam non demonstravit textum mutare non ausus — Wunderlichius vir de Tibullo non parum, ut tum erat, meritus. Qui in observationibus criticis adnotat: *„nota loquor, h. quae amantes loqui et optare in vulgus notum est, h. e. vana loquor".* Videtur igitur ad verum accedere vir doctus, qui tamen id peccavit quod in universum haec accipi iussit. Tibullus autem, quod supra monui, non sine causa a sententia in universum dicta v. 47 ad ipsius puellam transitum fecit: in quam cum congerat varia vota, fieri non potest quin, praesertim si respicimus verba *regnum iste tenet sqq.* ad certam personam spectantia, putemus in se ipso et puella amata permansisse eum neque latius patere interposita

---

1) Similiter Eberzius (*Albius Tibullus im Versmafse der Urschrift übers. etc.* Frankf. 1865) supplet:

Dies wird jetzt von den Schönen begehrt; wer ihnen es bietet,
Wird von den Schönen geliebt, wird der Erkorene gleich.

haec *nota loquor* voluisse. Atque *nota* ipsa ne diligentissima quidem interpretatione fiunt *vana,* sed *nota* sunt. Tamen Wunderlichius hac ipsa interpretatione, quae, si servatur lectio *nota,* stare nequit, viam probabiliter emendandi ostendit. Apparet, si respicimus quae ratio intercedat inter vota illa ficta et ipsum amatorem qui Nemesim tenet, sententiam *nota loquor* aptum transitum non parare et ex parte corruptam esse. Atque recte mihi videntur Rossbachius et Hillerus sensisse, vocem *nota* corruptam esse. Iam concedo quod maluit Rossbachius *vota*[1]) ad traditam lectionem proxime accedere, et cogitari posse Tibullum sententias ita coniungere voluisse, ut, cum vv. 50—58 sensibus prorsus indulsisset, votorum seriem v. 59 interrumpens et ad veram condicionem rediens verbis *vota loquor* antecedentia qualia essent (irrita nempe) intelligens tamquam comprehenderet hac ratione: Loquor haec vota, sed vota tantummodo loquor, quae quominus rebus mutentur iste impedit qui puellam rus abduxit. Neque tamen hoc plane mihi arridet, cum plura videantur esse subintelligenda, quam ut credam Tibullum ita scripsisse. Immo omnia spectant ad id, quod summa cum probabilitate in textum recepit Hillerus: *vana*[2]); quod quamquam ipsi senserunt et Wunderlichius et Rossbachius non iam ausi sunt usurpare. Hoc modo omnes quae restant dubitationes uno velut ictu tolluntur, et id quod mihi videor demonstravisse oppositione fictorum votorum et verae condicionis flagitari statuitur: poeta nimia vota pronuntians ad ipsum se revocat: *vana loquor* et statim causam adnectit: *regnum iste tenet sqq.* Et equidem puto esse iam melius[3]) uno verbo, quod ita ut traditur sententias apte non coniungit, emendato nexum eum qui necessitate poscitur restituere, quam ad ultimum refugium lacunae statuendae a multis apud multos scriptores perperam usurpatum redire, ex qua plura quam par est sive ipsi Tibullo sive medii aevi traditioni critici dare crimini solent.

Pergamus.

at tibi dura seges, Nemesim qui abducis ab urbe,
persolvat nulla semina certa fide.
et tu, Bacche tener, iucundae consitor uvae,
tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.
65 *haud impune licet formosas tristibus agris*
abdere: non tanti sunt tua musta, pater.
o valeant fruges, ne sint modo rure puellae:
glans alat sqq.

---

1) Idem sentit Karstenus l. l. p. 48.

2) Hanc coniecturam non apte reprehendit Ehwaldius, qui iudicium fecit de Hilleri editione, *Phil. Anz. XV* (*1885*) p. 590.

3) In contrariam partem discedit Magnus, *Berl. Phil. Wochenschr. V* (*1885*) p. 589.

Poeta similiter ac I, 5, 67 uno disticho causa irriti voti indicta, ut tum monuit divitem amatorem *at tu, qui potior nunc es, mea fata timeto*, ita nunc *at tibi dura seges nulla fide semina certa persolvat* deprecatur, ne dives amator ex *regno* fructum capiat, i. e. segetem devoveo; iam pergere potuit Tibullus: ne lacus quidem bonum vinum tibi reddant i. e. lacus quoque devoveo, sed id semper studens, quod saepius monui, ut tamquam sub oculos res subiciat in deprecationibus depingendis variat ita, ut pro abstractis concretum ponat Bacchumque roget ut relinquat lacus devotos. Sententia scilicet summa tamen est haec: „devoveo segetem, devoveo vinum, ut ne tibi quidem diviti amatori quod speras amoeni te assecuturum esse una cum Nemesi abducta contingat“, quamquam in altero disticho verbum devovendi in principali quodam loco non positum est, sed de Baccho relicturo pendet. Ne id quidem offensioni est, quod bis (in frontibus hexametri et pentametri) Bacchus vi quadam vocatur; nam poeta quod cum persona dei relinquendi verbum coniunxit rem multo melius illustravit, quam si eodem tenore perrexisset: neve tibi amatori vinum uvae reddant. Neque vero ex eo, quod Bacchus ita bis[1]) vocatur, colligi licet pro *seges* v. 61 *Ceres* emendandum esse, cum et *qui* quod sequitur et refert ad *tibi* paulo durius tum esse videatur, et si emendas *quae* et ad Cererem velis pertinere (etsi servas pro *certa* lectionem codicis A: *terra* in versu qui sequitur) structura et sententia offendant. Quod ex Disseni (qui scribit *Ceres . . ., quae . . . terra . . .*) explicatione dilucide intelligitur, qui cur hanc lectionem probaverit firmat ita: *Cererem et Bacchum pariter accusat et punitos vult, minime vero amatorem istum et Bacchum in hac re componit.* In qua interpretatione omnia fere non placent. Cur accuset poeta Bacchum et Cererem deos rurales? Num (si pro numinibus munera ponimus) et verum gaudium amoenae vitae agrestis, quam Ceres dedit hominibus quamque saepius laudat Tibullus, et gaudium vini, quod Bacchus parat, moverunt Nemesim ut rus abiret ita ut Bacchum et Cererem poeta posset incusare?[2]) Immo quod dives ille est amator, quod ruri villam possidet (puto hoc verbum non temere in v. 1 a poeta positum esse)[3]) puella avara et luxuriosae vitae cupida rus abiit non invita, non quia virentes — ita Dissenus — agri laetam messem ostendentes allexerunt. Et Tibullus ipse verecundior est, quam ut deos agrestes hos ita exsecretur. Contra „tibi“ si ad amatorem „istum“ referimus et bene a nobis intelligitur et ad motum animum Tibulli mire quadrat, qui,

1) Hac re Gruppius offenditur (l. l. p. 99); cf. i. p. 427 sqq.
2) cf. Karsten. l. l. p. 48 et 50.
3) Generosiorem Sulpicia se praestat (Tib. IV, 8, 1—4):

Invisus natalis adest, qui rure molesto
et sine Cerintho tristis agendus erit
Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellae
atque Arretino frigidus amnis agro?

cum vota ad Nemesim pertinentia ipsius irrita esse iam intelligat neque tamen a se impetrare possit ut ipsam puellam devoveat, (at cf. IV v. 39) ut est excitatus, aeque ac I, 5, 57 sqq. isti qui eam illexerat quodvis mali deprecatur, quippe quem non dignum esse putet, qui, segete et vino muneribus ruralibus gaudeat. Et quod deprecationem, quae ad vinum pertinet, Tibullus aliter ac priorem ita instituit ut a Baccho ipso petat ut lacus relinquat, quippe qui devoti sint, causa fit cur in sequenti disticho (vv. 65. 66) iterum Bacchum patrem invocet: cuius musta non tanti putat esse, ut liceat impune formosas puellas tristibus agris abdere; atque multo magis provehitur (v. 67 sqq.): vitam agrestem cultiorem (quam carmine I summis laudibus extulit) devovet omnem, incultiorem quae olim fuit amantibusque aequiorem requirit, cum praesens cultior (toga laxa) se parum iuvet. Hoc modo iterum (v. 77) ad se redit, recordatur quid in initio pronuntiaverit et iniqua domina ipsum tamen in amore perseveraturum et serviturum ei vel asperrimis condicionibus firmat. Magis magisque sentimus „Tibullum quod sentit toto pectore sentire"; quare ne id spectaveris, ut in omnibus elegiis eundem semper atque sibi parem invenias poetam neve credideris eisdem normis omnia composita esse sed ex suo quamque (nos: *„Grundstimmung"*) argumento elegiam intelligendam et explicandam esse memineris. Namque nisi ita fieri non potuit, ut haec vota (vv. 61—78) aliis descriptionibus eiusdem poetae prorsus repugnarent (cf. s. p. 405 sqq.). Hunc noli ridere puerilem fere sensum et parum — videtur — sibi constantem, neque quod Tibullus non ita consilio ut sensui videtur servire reprehendere, sed laudes velim poetam simplicem res ita ut penitus sentit pronuntiantem, non satis artificio simulationis eruditum. His expositis ea quibus Fritzschius (l. l. p. 26), qui non paulum motus est rationibus istis ad symmetriam spectantibus, vv. 65. 66 carpit facile refelluntur: quos spurios habet vir doctus; namque supervacaneos esse eos et difficultatibus non levibus laborare. Primum enim Tibullum deos orantem ut aemulum punirent dicere non potuisse *haud impune licet,* quod ita tantum recte diceretur, si non preces sed minae praecessissent, si Tibullus non deos orasset, sed aemulo deos facinus eius ulturos esse minatus esset; et quae adderet v. 66: *non tanti sunt tua musta, pater* sensu ea carere; etenim quod Dissenus ad explicandum illud *tanti* censeret supplendum: *ut venustas et gloria puellarum propterea delitescat et pereat in agris* addere debuisse poetam, sed ne verbum quidem de ea re fecisse, tum autem etiam fruges eum detestari debuisse, quod in sequenti disticho fieret. Ac primum quidem quod criticus dicit de dis lectionem *Ceres* videtur recepisse quam falsam esse docuimus. Id quidem iam recte sentit, personam istius amatoris h. l. deesse non posse: servat enim pronomen *qui.* Sed quamquam concedo, virum doctum recepta lectione *Ceres* deceptum esse ita, ut utroque disticho preces contineri opinaretur, verba tamen quae v. 65 antecedunt *devotos lacus* rectam

viam monstrare debebant. In quibus deprecationem inesse quis neget? Huius autem deprecationis causam non supervacaneam sed necessariam poeta aperte indicat his: *haud impune licet sqq.*, quae addita sententia *non tanti sunt tua musta, pater* eo gravius illustrantur. Fritzschium quidem offendi Disseni explicatione, quae ne mihi quidem recta videtur, intelligo; sed quod dicit hoc distichon sensu carere erravit[1]), cum quid *tanti* significet ipse dicat poeta: „vina non tanti sunt, ut liceat formosas puellas agris abdere, quare ego non dubito quin devoveam ea et petam a te, Bacche, ut devota relinquas.“ Hoc modo sententiae, sive ab initio ad finem persequeris sive retrorsum, utique nexae et concinnae sunt.

Virorum doctorum coniecturis, quae quidem ad singulos versus suspicandos pertineant, refutatis quamquam satis mihi videor demonstrasse, sententias (excipio vv. 14a et 74), etsi vocabula quaedam (velut in vv. 41. 42) corrupta haud scio an sint, universas ubique bene nexas esse et Tibulli generi dicendi quod parum critici coniectandi libidine ducti respexerunt, respondere, tamen elegiae partem eam quae incipit a v. 34 et pertinet usque ad finem perlustrare arbitror oportere universam, de qua mire iudicavit Gruppius, vir quid coniceret raro sollicitus. Qui, cum ceteri quos refutavimus satis haberent sententiarum nexum hic illic aliter alii incusare, unus conatus est argumenta varia quae inde a v. 34 depinguntur quomodo poeta, si diutius vixisset[2]), compositurus fuisset conicere. Iam igitur ratiocinationes eius paucis comprehendamus. Haeret vir doctus[3]) in vv. 35—58, quos et in textu suo quem adiecit quaestionibus de elegia Romana institutis typis describit inclinatis. Scaligeri quidem et Heynii coniecturas (cf. s. p. 404 sq.) non probat, neque quod ipse proponit ut haec pars in carmen IV (post v. 21) transponatur, satis ratum existimat. Tamen suo loco hanc descriptionem intelligi posse negat, nisi concedatur, Tibullum formam tantummodo et speciem earum rerum proposuisse, quas in unum artius coniungere in animo habuisset. Hi autem versus, qui tamquam in aere positi essent, quamquam non verbis et constructione, sed tamen sententia (ita enim discernit vir doctus et vult hoc imprimis respiciatur) quo insererentur aptius inveniri locum. Namque poetam inde a v. 67 aureum saeculum depingentem veri simile esse id in mente habuisse, ut huic ferreum opponeret. Sed aptum locum praetermisisse Tibullum: quem, cum hoc ipse v. 75 iam provectus descriptione animadvertisset, descriptionem ferrei saeculi, quod in mente habuisset, interrupisse (quare ne lacunam quidem post v. 74 forti tribuendam esse) et ita ut nunc legeretur versibus 34—58 seorsum instituisse, parum operam dantem ut statim apto loco insereret. Cum autem necessarium esset aetati aureae inde a v. 67 descriptae fer-

1) Rectius sentit Karstenus (l. l. p. 50).
2) Cf. *Stud. Tibull.* p. 49 et 55.
3) l. l. p. 95—99.

ream suo loco opponi, si sententiae non verba respicerentur sentit vir doctus coniungi potuisse vv. 71. 72 cum vv. 35 sqq.; Cois autem vestibus et luxuriae Nemeseos (51—58) futurum fuisse ut aeque versus 76—78 opponerentur. Hanc sententiam poeticam universam esse certam, quamquam singula inter se non satis arte cohaererent. Versus autem in fine positos 79. 80, cum versum 78 inique sequerentur, ad v. 70 tamen pertinere clarum esse. Sed ne tum quidem, si haec pars eo loco quem iam obtineret moveretur, lacunam inter 34 et 59 evanescere. Transitum tamen conici posse probabiliter hunc: cum poeta vv. 33. 34 dixisset „cui tristi fronte Amor imperat velim ad me veniat ut consoletur miseriis meis multo maioribus" pergere eum voluisse: „ego quoque puellam amatam perdidi, quam homo parum dignus tenet, humili loco natus, sed dives"; huic autem sententiae statim adnecti potuisse v. 59: *nota loquor sqq.* Hoc ordine sententiarum proposito Gruppius singula carpit, quae eisdem tribuit causis atque universae elegiae condicionem. Distichon quod inciperet *at tibi dura Ceres* (ita Gruppius; cf. s. p. 424) dure cum praecedenti cohaerere et quod pergeretur *et tu Bacche pater,* cum paulo ante idem pronomen *tibi* ad amatorem illum pertineret, summae esse neglegentiae. Denique conicit Gruppius poetam, cum scriberet vv. 41. 42, de divite amatore aliquid cogitasse. Hactenus. Equidem vereor ne phantasia magis quam simplici iudicio criticus usus sit. Quo factum est ut nemini — quamquam in universum omnes fere de statu huius elegiae „lacunoso" verba fecerunt — hae argumentationes audaciores persuaderent[1]) neque quisquam operam daret ut sive stabiliret sive refelleret. Sed equidem, cum id mihi proposuerim, ut librum secundum Tibullianum a variis vanisque coniecturis quantum possem defenderem, ne ea quidem quae Gruppius cum exigua verisimilitudinis specie coniecit praetermitto. Criticus autem opinione illa de libri secundi editione et condicione adeo captus esse videtur, ut in rebus simplicissimis vitiorum vestigia odoraretur. Neque enim qui Gruppii coniecturas, quas fecit de huius elegiae compositione, perlustraverit infitias illum iturum esse credo, quin criticus, cum ne conaretur quidem ea quae traduntur habita ratione intelligere satisque haberet causis probabilibus nullis allatis censere vv. 34—58 in aere positos esse, omnia perturbaverit. Iam praesertim cum post vv. 34 et 58, ex quibus multa pendent, lacunas non statuendas esse demontrasse mihi videar, minora ex Gruppii coniecturis quae refellantur restant. Ac primum quod haeret criticus in transitu qui fit a v. 59 ad v. 61 votis *at tibi sqq.* diviti amatori optatis respicere debuit quomodo particulam *at* Tibullus non raro ponere soleret. De qua re cf. s. p. 415. Monuimus quoque quod poeta a votis irritis ad devotionem eius, qui auctor miseriarum

1) Uni Riglero (*Annotatt. ad Tibullum, partic. II.* Potsdam. 1842 p. XXXVII) coniectura de conexu vv. 34 et 59 proposita arrisit.

esse videtur, transit quantopere naturae loci responderet. Ne id quidem, quod in hoc transitu eodem pronomine variae personae significantur, offendit. Namque poeta cum paulo ante (v. 59) amatorem pronominibus *iste* et *qui* satis clare notaverit, pronomini *tibi* nimiam vim tribui non vult, praesertim cum nova sententia relativa *qui abducis ab urbe* adiecta quominus perperam acciperetur *tibi* impediverit. Sententia autem quae vv. 63. 64 continetur quantopere eam quae antecedit augeret supra diximus, et si respicitur pronomen *tu*, in quo Gruppius haeret, in versu qui sequitur 64 cum vi quadam repeti, qui audet ex eis quae sententiis primo obtutu patet apertissime segregari causam suspicionis colligere vel negligentiae poetae tribuere sano iudicio carere videtur. Eadem cadunt in ea quae de saeculis attulit vir doctus. Iam auream aetatem Tibullum ferreae et opponere voluisse et opposuisse qui elegiam legit eum non fugit. Et demonstravimus, poetam hanc argumenti partem suo loco descripsisse, cum Apollinis servitium illustrans olim et deos Veneri servivisse firmaret et his opponeret ea quae inde a v. 31 usque ad 46 (sive mavis votorum de Nemesi rationem habens usque ad v. 58) leguntur. Hanc autem descriptionem quod suo loco moveamus non habemus, neque sumamus eam post v. 71 aptius adnecti, quod ipsa structura sententiae quae initium capit a v. 67 vetat fieri. Nam quod orationem poeta ita instituit: *o valeant fruges sqq.* itaque vitam cultiorem fugere iubet ex eo ortum esse constat, quod vix satis firmari potest, quod rus, quo amator iste puellam abduxit, tamquam causa fuit ipsius miseriarum. Expectamus igitur poetam, si talem ruris devotionem pronuntiat, prius causas quibus moveatur describere. Neque vero spes nos fallit; etenim quae versum 67 praecedunt devotiones (61—66) segetis et vini in amatorem illum, qui tenet Nemesim (59. 60), quae ipsa morbum saeculi praedam qua vita luxuriosa pararetur sectantis non fugit (49—58), eo deducunt poetam, ut quam gravissime inde a v. 67 vitam cultiorem universam carpat. Et quod vir doctus conicit, lacunam post v. 74 huic ipsi negligentiae poetae non forti i. e. traditioni tribuendum esse, prorsus errat; quem neglecto prorsus hexametro a pentametro initium cepisse quis credat? (cf. s. p. 407). Dolemus quidem, quod versus h. l. desideratur, sed gaudemus quod unus est qui omissus conexum sententiarum gravius non interrumpat.[1]) Denique, quod Gruppius opinatur distichon in fine positum antecedentibus facile adiungi non posse, mihi non persuasit. In quo ne tum quidem anxie

---

1) Aptissime supplevit versum — ut omittam eos qui olim h. l. coniecturae periculum fecerunt — nuper Karstenus (l. l. p. 49):

si modo amare licet tutoque fovere puellam;

ita enim vv. 75. 76 et 77. 78 aeque sibi respondent:

si modo amare licet — nunc si clausa mea est,
horrida villosa c. vest. teg. — heu miser. l. q. iuv. esse tog.

haererem, si reapse cum antecedentibus minus arte coniunctum esset, respiciens cum Tibulli genus dicendi abruptum quod videtur tum quod poeta in finibus elegiarum quo rotundior et concinnior fiat descriptio ad argumenta quae in exordio attigit redire solet; quod quidem in hanc elegiam cadere supra monui. Imprimis autem respicias velim, in epilogis ita compositis poetam saepissime formam imperativi posuisse, quo fit ut transitus primo obtutu admodum repentinus videatur esse, praesertim si ea tantum tria vel quattuor spectas disticha quae paulo ante extremum ipsum posita sunt. Evanescit autem offensio cogitantibus poetam, si forte paullulum erat divagatus, a se non impetravisse ut carminis finem languidum redderet vel efficeret ut is, qui legeret, sententiae principalis, ex qua oriuntur omnia ad quam redeunt, oblitus parum contentus se averteret, sed eum in ipso fine sententiam ex qua erat profectus cum vi quadam repetentem carmini mirum quantum profuisse. Cf. eleg. I, 1, 1—4 cum 75—78; 9, 1—4 c. 81—85; II, 2, 1 c. 21; 5, 1 c. 121; IV, 4, 1. 2 c. 19 sqq.; 5, 1 c. 19. 20; 6, 1 c. 19. Hoc autem loco ne concesserim quidem imperativum *ducite sqq.* cum eis, quae antecedunt difficilius cohaerere. Poeta auream aetatem laudans et ut redeat cupiens dicit libenter villosa veste se contentum futurum esse, dummodo liceat aperte amori servire: haec autem sententia efficacior et praesentior fit oppositis vv. 77. 78 quibus poeta omnem miseriam quam nunc patitur revocans in mentem: *nunc si clausa mea est sqq.* adducitur, ne diutius careat illius aspectu, ut vehementer concupiscat rus illam sequi vel gravissimis condicionibus: *ducite*[1]) . . . . *negabo.* Itaque si respicimus Tibullum in fine ad summum argumentum (quod in hac elegia nobis esse videtur: qui intime amat, quaevis aspera patitur) redire solere, si respicimus ex viginti quattuor carminibus Tibullianis (I, 1—10; II, 1—6; IV, 2—7; 13. 14) plurima terminari imperativi[2a]) forma — alia similiter tamen coniunctivi[b]) vel futuri[c]) — denique rationem intercedere inter hunc epilogum et elegiae IV exordium[3]) nihil est quod distichon in fine positum suspicemur. Neque vero Tibullus quod duobus locis eandem rem (oppositionem aureae et ferreae aetatis) attingit (id ipsum Gruppio displicuit) vituperandus est. Namque hoc ipsum cum cuiusque poetae tum Tibulli est, quod argumentum non uno tenore ab initio ad finem sobrie exponitur, sed cum modo institutum sit facultate data interrumpitur paulo post nova commemorandi

1) Imperativus *ducite* non ad certam personam pertinet, sed in universum dictum est; quo tamen genere dicendi vis loci praesertim extremi mirum quantum augetur.

2) a: I, 1, 77; 2, 97; 3, 92; 4, 83; 5, 75; 7, 63; 10, 67; II, 1, 87; 3, 79; 5, 121; IV, 3, 23; 4, 19; 5, 19; 14, 4.
   b: I, 6, 85; 9, 82; (10, 68); II, 2, 21; 6, 53; IV, 2, 23; 6, 19 (? cf. i. p. 454 sq.)
   c: I, 8, 78; II, 4, 60; IV, 7, 10; 13, 23.

3) De hac re cf. finem h. commentationis.

causa allata denuo attingitur; quo fit, ut eius ut ita dicam colores non simul omnes depingantur, sed alii alio loco utcunque fas esse videtur illustrentur itaque eorum qui legunt expectatio magis magisque erigatur. Quare, quod v. 31 imprimisque v. 35 sqq. ferrea saecula describuntur, factum est ut Apollinis servitio, quod fuit aureis saeculis, modo illustrato opponerentur; tum quod inde a v. 67 iterum prisca aetas attingitur, quo quivis libero amore gaudebat, alius color superiori accedit: vitam cultiorem, quam se ipsum nil iuvare censet, Tibullus devovet itaque adducitur, ut priscam illam revocet quae talia impedimenta non paraverit. — Certum igitur habeo, dummodo intelligatur quomodo alia ex aliis pendeant in hac elegia, nihil restare (scilicet praeter v. 14a pentametro carentem et 75 hexametro) quod traditioni tribuas crimini — nedum Tibullo.

Eleg. IV.

Summa carminis est haec: Pereo fere, dicit poeta, duro Nemeseos imperio: ne carmina quidem — quare abite Musae — prosunt mihi, ut gratia apud illam aliquid valeam nihil nempe nisi dona quaerentem (1—20), iam igitur per vim dona mihi parabo, ex templis Veneris pretia rapere non dubitabo, ut rapaci dominae satisfaciam (21—26): heu eos qui divitiis verum amorem corruperunt quique formam avaris dederunt (27—38); quare iam velim quae fidos amatores quod pretia non satis afferunt excludunt (velut me Nemesis) illae gravissimis poenis postea afficiantur (39—44) fidam autem puellam omnium laudes sequantur (45—50); sed hae affirmationes mihi iam nil prosunt: immo usque Nemeseos amorem colam et vel gravissima si modo placido vultu me adspiciat patiar (51—60).

Initium quaestionis capimus a vv. 11—20, qui ita leguntur:

nunc et amara dies et noctis amarior umbra est,
omnia nunc tristi tempora felle madent.
nec prosunt elegi nec carminis auctor Apollo:
illa cava pretium flagitat usque manu.
15 *ite procul, Musae, si non prodestis amanti:*
non ego vos, ut sint bella canenda, colo,
nec refero solisque vias et qualis, ubi orbem
complevit, versis Luna recurrit equis.
ad dominam faciles aditus per carmina quaero:
20 *ite procul, Musae, si nihil ista valent.*

Ac Graefius quidem (l. l. p. 10 sq.) delet vv. 13. 14 et 17. 18; qui ex fine carminis profectus firmat, quod neminem fugit (cf. argumentum modo praemissum), quinque disticha quae elegiam claudunt (vv. 51—60) re quae iis continetur admodum in se concinna

esse et ab antecedentibus aperte segregari. Namque poeta verbis *vera quidem moneo sqq.* ad propositum quod in fronte edixit redit. Id quoque recte intellexit vir doctus, vv. 39—50 avaram et bonam puellam trinis distichis sibi opponi eo quo supra diximus modo Tibullum non raro sententiam sententiae pari versuum numero respondentem fecisse. Quod me quidem iudice vir doctus satis habere potuit; at studuit, ut aequabilitatem ternorum distichorum illorum in reliqua parte carminis restitueret. Sed cum initium elegiae tripartitioni aptum non videretur, quinque prima disticha (vv. 1—10) quinque extremis (51—60) respondere vult, ut pari distichorum numero carmen circumcingatur. In eis autem versibus qui restant (11—38), cum numerus quattuordecim distichorum a tripartitione abhorreat, tamen deletis illis duobus distichis per vim restituere conatus est.[1]) Sed cum omnino ratio illa quae opinione praesumpta movetur, ut disticha quaevis eiciat, lubrica esse videatur (cf. s. p. 402 sq.), huius elegiae sententiae ipsae (praeter vv. 39—50 scilicet) sive desecantur sive integrae relinquuntur partitionem illam moleste ferunt. Nam primum vv. 11. 12 cum eis qui praecedunt arte cohaerere nulloque modo seiungi posse patebit. Quod ut tamen crederet Graefius videtur inductus esse a Disseno qui (secuti sunt alii[2]) vv. 1—12 exordium, 13—50 medium carmen, 51—60 exitum esse voluit. De his Dissenianis partibus in omnibus elegiis Tibullianis usque repetitis quid iudicandum sit hodie sub litem vix vocatur. Et si quis concedat talem partitionem, quod consentaneum est, exordium, summam partem, epilogum in hoc carmine statuendam esse, concedat tamen oportet, exordium quod Dissenus comprehendit his: *queritur servitium triste Nemesis et dolores, quos patitur, describit* versu 12 non terminari sed paulo latius patere. Poeta enim miserias quibus prematur nobis proponens cum affectus dolore ad vota: *o ego ne possim . . . . . unda maris!* paullulum digressus sit verbis (v. 11) *nunc et amara dies sqq.* ad propositum statim redit: „nunc summae me premunt miseriae ita ut ne elegiae quidem mihi prosint aurum illa semper flagitante“ (v. 14); quae movent Tibullum, ut ipsas Musas abire iubeat (—20). Itaque si quam partitionem flagitas, sententias disiungi non posse patet nisi inter vv. 14 et 15. Nam usque ad v. 14 condicionem miseram Tibulli quae sit legimus, et haec quidem ipso v. 14 cumulatur, qui gravissimam continet sententiam *illa cava pretium flagitat usque manu,* qua Nemeseos natura quae fuerit quam apertissime significatur. Quae quidem sententia, quod gravissima est, et ipsa apta videtur quae devotiones illas (ab

1) Criticus ordinem distichorum sibi respondentium statuit hunc:

5 +	3 +	3 +	3 +	3 +	3 +	3	+ 5
(1—10)	(11. 12) (15. 16) (19. 20)	(21—26)	(27—32)	(33—38)	(39—44)	(45—50)	(51—60)

2) Rectius Disseno de vv. 1—20 senserat Wunderlichius.

utraque parte vocibus *ite procul Musae* circumcinctas)[1] moveat et tamquam excuset. Versus igitur 10 et 11 neve 12 et 13 cave ne dirimas. Idem cadit in rationem, quae inter vv. 32 et 33 intercedit. Etenim quod terna disticha vv. 27—32 et 33—38 Graefius[2]) iuxta poni iubet tum demum sensum haberet, si pari versuum numero sententiae quoque adaequatae essent. Quod quomodo fiat non intelligo; nam illud *sed* quod in fronte v. 33 positum est tantum abest ut tria disticha 33—38 eis tribus quae antecedunt opponat, ut inde suam habeat originem et ortum quod paulo ante (31. 32) dictum est *hinc clavim ianua sensit et coepit custos liminis esse canis;* huic uni sententiae per oppositionem respondet ea quae sequitur: *sed pretium . . . . . canis ipse tacet;* itaque si quo loco haec sex disticha[3]) (vv. 27—38) gravius incidere vis, non potes nisi inter 34 et 35. Summae enim in his sententiae, devotiones ut dicam, forma quoque similes sunt hae: *o pereat quicunque legit pretia* (27—34) et *heu quicunque dedit formam caelestis avarae* (35—38); utraque causis firmatur v. 29 sqq. et vv. 37. 38, prior autem paulo copiosius describitur et oppositione singulorum distichorum ea qua diximus terminatur. De quibus infra plura disserentur. Hoc loco satis habeo demonstrasse, rationem eam quae a fine ad initium compositionem carminis reformari vult, nullam esse. Tamen hac universa ratione Graefius ita nititur, ut ad delenda illa disticha causas ex sententiarum nexu nullas petat nisi levidenses. Versus enim 13. 14 ab aliquo Italo lacunarum investigatore persuasum habet interpolatos esse ut a misera poetae condicione antea exposita (hic vir doctus parum sibi constans quod ceterum negat id concedere videtur vv. 11. 12 cum initio carminis cohaerere) commodior eveniret transitus ad versum qui incipit *ite procul Musae;* offendere autem istam elegorum et Apollinis auctoris carminum (*quorumnam — quaeso* adicit v. d.) male concinnam oppositionem, tum vero pentametri sententiam a Tibulli verecundia ita abhorrere ut tolerari non possit. Idemque cadere in vv. 17. 18; quos si scripsisset Tibullus, a proposito aberrantem a Musis ad bella canenda — sicut aequum — adhibitis ad argumenta a Musis prorsus aliena eum descendisse. De his rebus aliter sentio. Iam videamus eiecto utroque disticho quae oratio nascatur:

nunc et amara dies et noctis amarior umbra est:
12 *omnia nunc tristi tempora felle madent.*
15 *ite procul, Musae, si non prodestis amanti:*
non ego vos, ut sint bella canenda, colo:
19 *ad dominam faciles aditus per carmina quaero;*
ite procul, Musae, si nihil ista valent.

---

1) cf. Vahlen. *ind. lect. hib. Berol. 1886/87,* p. 12 sq.
2) Disseni partes miror quod nuper defendit Karstenus (l. l. p. 51).
3) Haec arte coniungenda esse omnia mecum consentit Karstenus l. l. p. 52.

Quibus opponi iubet tribus ea quae sequuntur disticha tria (vv. 21—26), quorum argumenta his complectitur: „at rapina et caedes prosunt"; et his quidem sex versibus 21—26 sententiam in se concinnam contineri libenter concedimus: quae tamen utrum tribus distichis antecedentibus eis quae quinque traditis vir doctus curat eximenda recte respondeat necne ne licebit quidem vocare sub litem, si apparebit vv. 13. 14 et 17. 18 genuinos esse. Et apparebit. Namque si respicimus Graefium argumenta vv. 11. 12, 15. 16, 19. 20 quos modo exscripsimus comprehendere ita: „Musae nihil mihi prosunt" primum distichon, in quo Musarum mentio fit nulla sed Tibulli tristis condicionis, apparet prorsus criticum neglexisse. Atque ad eundem ac supra finem iam venimus: vv. 11. 12 non novam sententiarum seriem incipiunt sed interpositis illis quae gravi condicione moventur (6—10) votis descriptionem quae fuit inde a v. 1 usque ad 6 excipiunt et ad finem perducunt[1]) usque ad v. 14; vv. autem 11. 12, si ita ut par est ad antecedentia referimus, quaecunque vir doctus ad opinionem ternorum distichorum h. l. sibi respondentium attulit ipsa corruunt. Nec vitupero Graefium, quod eiectis vv. 13. 14 non habuit quo 11. 12 rectius referret; qui post v. 10 gravius intercidens si constare ipse sibi volebat ne potuit quidem facere, quin 12 cum 15 iungeret. Iam discimus, quantopere rationes quae volunt haberi responsionis per universa carmina digestae, si ratione carent, sententiis noceant. Ordo autem vv. 1—14 quam concinnus sit vel inde apparet, quod mirus fit sententiarum quae spectant ad miseram Tibulli condicionem ex gravi Nemeseos imperio ortam progressus: servitium (v. 1) sed triste servitium (3) seu merentem seu innocentem[2]) urit (5) tum (votis illis interpositis) amara dies amarior nox (11) omnia tristi felle madent (12) ne elegiae quidem nec carminis auctor Apollo quid iuvant (13): his autem querelis omnibus magis magisque crescentibus nil potuit efficacius opponi quo universa series vv. 1—14 absolveretur nisi omnium miseriarum causa Nemesis „pretium usque flagitans cava manu". Quare inmerito a viro docto vituperatur hic (v. 14) pentameter ut parum verecundus: qui cum ipse finis et cumulus sit sententiarum, quae miseriam Tibulli depingunt, quod acerbissimus est ex ipsa re non modo excusatur sed paene flagitatur itaque suo loco esse positus videtur. — Teneamus igitur, primam sententiam, quae cum aerumnas poetae varie illustret in medias res nos inducit, v. 14 absolvi. Neque tamen quae sequuntur disticha tria (vv. 15—20) cum antecedentibus non cohaerent. Eo enim, quod modo posuit Tibullus in summo loco gradationis, argumento *nec prosunt elegi sqq.*[3]) iam utitur

1) Hoc unum ex multis recte sentit Fritzschius quoque (l. l. p. 27).
2) De lectione „nil peccavimus" quae una recta est cf. quae adnotavi *Stud. Tibull.* p. 65.
3) Miror quod in his Graefius haeret ita ut dicat istam elegorum et Apollinis carminum auctoris oppositionem male concinnam offendere et

ita, ut transitum ad ea quae sequuntur paret. Atque sententiam poeta, cum antea Apollinem attulerit, tribuit Musis *ite procul, Musae, sqq.* variatque adiectis causis: neque enim vos colo, ut res gestae canendae sint vel solis lunaeque viae, sed ad dominam faciles aditus quaero carminibus: quae cum iam videam nihil valere abire vos iubeo. Quae disticha non sine arte quadam formae composita esse supra monuimus. Sed vituperat Graefius vv. 17. 18: rem eam, quae his contineatur, a Musis prorsus alienam esse. Cui respondemus cuiusvis poeseos Musas esse patronas; itaque, si Tibullus, cum in priore quam affert causa *non ego vos, ut sint bella canenda, colo* carmina heroica significans Musas ipsas alloquatur, in posteriore orationem ita variat ut dicat: *nec refero sqq.* Musarum personis expresse non additis — quis dicat alteram partem a Musis abhorrere cum in tali sententiarum nexu nihil facilius subintelligatur? Et patet nolle poetam Musas carmina heroica neque astronomica[1]) iuvare, sed id adiuvantibus eis operam dare ut carmina elegiaca in puellam scripta maiorem vim accipiant. Ex sententiis igitur perperam hoc distichon carpitur: quod quidem si non legeretur non desiderares, ipsumque tamen descriptionis ubertati non inepte inservit. Nec exciso hoc disticho medio illa *ite procul Musae* brevioribus intervallis non segregari videntur quam ut repetitio probabilem causam habeat. Sed ne hoc argumentum meum necessarium sit, iam satis est demonstrare hoc distichon eo quo legitur loco sententiae ac formae aeque respondere, ne quis audeat quod traditur id qualibet ductus opinione delere.

---

interroget praeterea: *quorumnam — quaeso,* carminum nempe. Rectissime autem dicit poeta: *nec prosunt elegi* cum speraverit se carminibus his in gratiam puellae se rediturum, tum quod ornatius adicit (non opponit): *nec carminis auctor Apollo* facile intelligitur, cum Apollo sit is, qui poetas ad carmina incitet qui faveat ab iniquitatibus soleat tueri. cf. Wisser. l. l. p. 23 n. 24. cf. II, 5, 113 sq.:

at tu (nam divum servat tutela poetas)
praemoneo, vati parce, puella, sacro, sqq.

1) Haec praeter heroica carmina non inepte attulit Tibullus, cum Romae illis temporibus mathematici poetae spectati essent. Mecum facit Karstenus (l. l. p. 52 n. 1); nec non utile est hanc elegantiam Tibullianam comparare cum tumore verborum, quem versifex ille qui panegyricum Messallae contexuit eandem rem illustrans (paneg. Mess. vv. 18—27) edidit:

alter dicat opus magni mirabile mundi,
qualis in inmenso desederit aere tellus,
20 *qualis et in curvum pontus confluxerit orbem,*
et vagus, e terris qua surgere nititur, aer,
huic et contextus passim fluat igneus aether,
pendentique super claudantur ut omnia caelo:
at quodcumque meae poterunt audere Camenae,
25 *seu tibi par poterunt seu, quod spes abnuit, ultra*
sive minus — certeque canent minus —, omne vovemus
hoc tibi, nec tanto careat mihi carmine charta.

Iam sequuntur disticha quae per se arte cohaerent tria (vv. 21—26); etenim ex v. 27 novum sententiarum ordinem coepisse constat (cf. s. p. 432). Ac quaeritur utrum inter haec tria disticha eaque de quibus modo disseruimus (vv. 15—20) ratio intercedat ea, ut de responsione cum versuum tum sententiarum cogitari possit. Dixerat poeta in vv. 15—20: ite procul, Musae, cum carmina mea iam nihil me iuvent, nunc pergit: at per vim ut valeam aliquid apud puellam dona mihi parabo et ne templis quidem parcam, imprimis Veneris, cui culpam miseriarum tribuam. Atque hasce sententias: „carmina nil valent, abite Musae" et „dona per vim petita iam spero plus mihi profutura" opinor, quamquam confidentius non confirmaverim, esse tales quales per oppositionem sibi respondere possint. Itaque si persuasum habemus, inter vv. 39—44 et 45—50 rationem responsionis intercedere certissimam, hoc loco verisimile esse crediderim pari versuum numero (15—20 et 21—26) sententias quoque Tibullum facere voluisse respondentes atque in has reapse cadere quod deletis duobus distichis de vv. 11. 12, 15. 16, 19. 20 et 21—26 ut respondentibus perperam Graefius statuit. Sed ultra hos locos qui qua ratione scripti sint primo fere obtutu intelliguntur cave ne vestigia responsionis in hoc carmine anquiras.

Accedimus ad vv. 27—38:

o pereat, quicunque legit viridesque smaragdos
et niveam Tyrio murice tingit ovem.
hic dat avaritiae causas et Coa puellis
30 *vestis et e rubro lucida concha mari.*
haec fecere malas: hinc clavim ianua sensit
et coepit custos liminis esse canis.
sed pretium si grande feras, custodia victa est,
nec prohibent claves, et canis ipse tacet.
35 *heu quicunque dedit formam caelestis avarae,*
quale bonum multis attulit ille malis!
hinc fletus rixaeque sonant, haec denique causa
fecit ut infamis nunc deus esset Amor.

Vv. 29. 30 et 35—38 Wisserus spurios habet (l. l. p. 22 sqq.). Qui haeret, ut alii (quorum coniecturas ipse refutat p. 24), in pronomine *hic* v. 29. Quod quo referamus ex sententiarum structura dubitari non potest: ad personam nempe illam quam modo significavit poeta his: *o pereat quicunque sqq.* Ita recte veteres interpretes intellexerant, quos Wunderlichius et Dissenus secuti sunt. Neque enim pronomen ad vocem *murice* pertinere, quod quispiam cogitaverit, ipse Wisserus breviter exponit. Sed offenditur criticus quod ita persona *hic* et res: *Coa vestis* et *lucida concha* ex eodem verbo dandi pendentes coniunguntur, quod censet — quamquam alias — hoc loco concedi non posse[1]): etenim cum vv. 27. 28

1) Confidentius ut saepe assentitur Fritzschius (l. l. p. 27) id quoque

res ipsae quae avaritiae causas praeberent commemoratae essent, his profecto rebus Coas vestes lucidasque conchas cum possent adiungi adiungendas fuisse. Opinatur igitur v. d. Tibullum ita fere sententiam conformare debuisse: o pereat quicunque smaragdos legit, lanam murice tingit, Coas vestes texit vel importat, conchas legit vel invehit. Et poetam quidem sententias ita formare potuisse (cf. Prop. III (IV L.), 13, 1—8) quis neget? Qui tamen, ut solet, ipsas quattuor res, quas in causis habendas esse censet avaritiae puellarum smaragdos muricem Coas vestes conchas non deinceps aequo modo enumerat, sed descriptionis partem priorem ex persona cum faciat pendentem et sententiam principalem *hic dat avaritiae causas sqq.* in medio ponat vim loci mirum quantum auget. Vituperat autem Wisserus, quod Coae vestes et lucidae conchae ita prioribus adnexae sint: nam verba ita esse posita in v. 29, ut, nisi qui contortionibus verborum assuetus esset quid sibi vellent *et Coa puellis* non statim intelligeret, cum a simplici et dilucida Tibulli oratione abhorrerent. Iam profecto qui post vocem *causas* diutius substiterit, ita ut Wisserus oratione offendetur; sed hoc nefas. Immo vv. 29. 30 ab eis qui antecedunt non dirimendi sunt omniaque quae v. 27—30 continentur uno tenore legenda et ex una ratione explicanda. Tum vero opinor neminem haesurum esse in positione verborum quae poetarum more admodum libera est; qua sententiarum ordo statuitur hic: „hic — heu — (qui legit smaragdos et lanam tingit) et Coa vestis et lucida concha puellis causas dant avaritiae." Quodsi tenemus, in priore disticho poetam duo mala quae ad avaritiam pertinent puellarum ex persona ideo fecisse pendentia, ut colorem descriptionis vegetiorem redderet, non offendimur quod in posteriore inde a verbis *et Coa puellis sqq.* ipsarum rerum quae causae fuissent avaritiae mentionem fecit, neque vero distichon disticho inepte ita oppositum esse credimus ut personae et res miscerentur; immo compertum habemus, Tibullum id studuisse ut descriptionem quattuor malorum quae placuit memorare quamquam uno tenore et pari constructione iuxta ponere potuit ea qua legimus ratione variaret. Nam haec quattuor constructione segregata arte cohaerere iam sentis ex sequentibus: in quorum fronte cum ponat poeta *haec fecere malas sqq.* i. e. — circumscribo sententiam — „hinc factum est ut pauperes quamvis fidi amatores excluderentur custodia" disticha quae antecedunt duo comprehendit, opposito autem quarto disticho (v. 33. 34) *at qui pretium ferunt aditus eis permittitur* conexus qui extat inter hoc ipsum et verba quae continentur v. 25. 26: *dominamque rapacem dat mihi* bene intelligitur. At si eiectis vv. 29. 30 cogimur verba *haec fecere malas sqq.* referre ad duo illa mala quae commemorantur vv. 27. 28, me iudice sententia

---

agens ut membra ternorum distichorum similiter ac Graefius respondentia restituat; cf. Karsten. l. l. p. 52, n. 2.

nacie quadam laborat; neque enim mihi possum persuadere, poetam n hac descriptione duobus ipsis smaragdorum et muricis exemplis illatis avaritiae causis illustrandis iam satisfieri putavisse ut statim comprehenderet *haec* (smaragdi et murex) *fecere malas.* Denique, ne quid praetermittam, Wisserus de exemplo quod attulit Dissenus I, 10, 25. 26) ut personam et res similiter atque hoc loco coniunctas esse firmaret, fecit verba. Iam concedimus viro docto censenti Dissenum hoc exemplum falso adhibuisse, neque tamen causas quibus movetur probamus. Dicit enim Dissenum ideo illos versus elegiae X conferre non debuisse quod lacuna interesset inter v. 25 et 26; versus sunt hi:

> 25 *at nobis aerata, lares, depellite tela,*
> *hostiaque e plena rustica porcus hara.*

Petit poeta a laribus ut tela depellant, et hostiam iam futuram esse (scilicet laribus) ex hara. Versus autem ut ita interpreteris non recipienda est Italorum coniectura *hostia erit,* sed ex ipsis verbis futurum *erit* subintelligendum i. e. obveniet; quo verbo omisso qui morem non modo elegiacorum sed cuiusvis poetae novit non offenditur. Atque poeta cum hexametrum cum pentametro particula *et* coniungat rationem quae intercedat inter preces et pollicitationes aptissime significat: „a vobis peto, lares, ut tela depellatis, et ego (sc. „si me iuvebimini") hostiae vos faciam participes". Ita progreditur illo loco sententia, quam patet ad hunc locum nihil valere: illic utriusque sententiae et verba et nomina diversa sunt[1]) — *lares depellite: hostia a me erit* — hic idem verbum dandi ad personam et res pertinet. De versu autem 13 *nec prosunt elegi nec carminis auctor Apollo* ne licet quidem cogitari, in quibus, si voces tantum respicis, patet verbum ad res et personam pertinere: sed res *elegi* et persona *Apollo* ideo sibi propinquae sunt, ut segregari fere nequeant. — Reiectis igitur Wisseri[2]) coniecturis ad disticha duo quae sequuntur accedimus: quae genuina esse negavit idem (l. l. p. 24). Parum recte. Ac primum monet ille poetam orationem ita invertisse, ut cum antea questus esset puellam avaram esse, pergeret pulchritudinem causam esse malorum: nec non respiciendum esse, hanc sententiam subito existere breviterque tantummodo perstrictam praetermitti ita, ut nec cum antecedentibus nec cum sequentibus apte cohaereret. Quae tamen v. d. varietate notissima Tibulliana excusari posse censet itaque levioris esse momenti. Melius dicere potuit nullius momenti. Supra iam monui, rationem certam intercedere inter vv. 27—34

---

1) Nisi forte quis opinatur tolerari posse eam quam proposuit Dissenus explicationem: *at nobis aerata, lares, depellite tela, hostiaque e plena rustica porcus hara sc. depellat!* Perperam de hoc loco sentit etiam Grothius, *quaestt. Tibull. diss.* Hal. 1872, p. 16.

2) Non recte nuper Bellingius Wissero adstipulatus vv. 29. 30 suspicatus est, *Philologus, N. S. I (1888)* p. 381.

et 35—38: qui, quamquam quaerentibus quomodo Tibullus sententiam fecerit progredientem recte gravius segregari non possunt (nam hi omnes 27—38 pertinent ad mala ea quae puellas evicerunt), ita tamen dispositi sunt ut primo loco avaritia puellarum illustretur, incusetur altero pulchritudo. Atque poeta, qui in utriusque partis initiis (vv. 27 et 35) non ipsas res illas, ut potuit, causas esse malorum simplicius questus sit, sed et avaritiam et pulchritudinem ex personis, quaecunque dedissent, reddiderit pendentes aequabilitate hac quae intercedit inter exordia, si formas respicis, aequo modo conexui inservivit. Quare ne dicas cave alteram sententiam occurrere necopinanti neve levius perstrictam esse priore incuses. Etenim quod avaritiam distichis quattuor duobus carpit pulchritudinem mirum non est, cum, quisquis amores qui dicuntur Tibulli et Nemeseos novit, haud ignoret avaritiam ipsam huius puellae maxime impedivisse quominus gratiam eius ille conciliaret idemque malum in omnibus quae ad Nemesim pertinent elegiis — maxime in hac IV — a poeta increpari: Pulchritudinis autem incusandae, cum alias Tibullo non daretur occasio, hoc loco me iudice ex eo fortasse orta est, quod paulo ante (v. 21 sqq.) ille vehementissime motus per vim dona paranda esse ratus templa imprimis Veneris insignibus se spoliaturum esse minatus est, cum haec „dominam rapacem" dedisset. Venus autem pulchritudinis est dea: quare poetam, cum vox „rapacem" movisset ut avaritiam vv. 27—34 carperet, coniecerim ad pulchritudinem incusandam non fortuito adductum esse, sed illis verbis paullulum motum. De his quidem quae ipse concedit Wisserus levioris momenti esse hactenus. Nunc in graviora quae criticus sibi videtur attulisse ad vv. 35—38 eiciendos inquiramus. Iam concedimus ei, vocem *caelestis* in nominis substantivi singulari hoc uno loco — non solum apud Tibullum, ut putat ille, sed licet ceteros huius aetatis scriptores adicere — legi. Hoc quamquam primo obtutu offendere potest, tamen excusari videtur eo, quod poeta, si sententiam similiter ac superiorem a pronomine singularis *quicunque* in universum dicto incipere voluit, singularem *caelestis* quoniam ipsum vocabulum placuit ne potuit quidem evitare. Neque vero criticus in hac re minutius haeret, qui praemissis eis quae refutavimus in reliquorum versuum structuras graviora crimina congessit. Censet enim poetam, cum *multis malis* a nominativo *multae malae* derivandum esset eam formam, ex qua cuius generis esset intelligi non posset, evitare debuisse; et hac opinione ductus studet miro modo, quem accuratius referre nihil iuvat, ut hunc versum tam perversum esse demonstret, ut a Tibullo plane abiudicandus sit. Et sane quidem si Tibullus sententiam ita ut vult Wisserus intelligi iussisset vehementer reprehendendus esset. In vocibus autem *multis malis* non *puellis* subintelligendum est sed aliud simplicius; quod qui structuram totius sententiae diligentius perspexerit certum habebit neque faciet cum Wissero perperam ponente perperam concludente. Pulchritudinem

carpit Tibullus: hoc colligitur ex initiis et prioris distichi *heu quicunque sqq.* et posterioris *hinc fletus rixaeque sqq.;* iam sentis igitur, quomodo vox *bonum* accipienda sit. Pulchritudinem autem natura aliquid *boni* esse quis dubitet? Et hac quidem mente caelestes, quamquam multa tormenta imposuerunt hominibus, eam dederunt. Sed Tibullus intelligens puellas — ut sunt avarae — forma prave uti ita, ut amatores quam divitissimos alliciant, eo ducitur, ut num *bonum* sit illa vehementer dubitet; quam sententiam negativam fere non inepte forma evocationis amplectitur. Venerem deam antea increpuit poeta quod rapacem puellam sibi dedisset; ex rapacitate autem oriuntur quaevis mala: iam opineris cum pergens Tibullus opponat *bonum* et *multis malis,* pulchritudinem ipsam *bonum* allatum esse *multis malis* a deis. Sed hoc *bonum* quale est? „Hinc fletus rixaeque sonant, hinc Amor, nempe quod pretio venit, male auditur." Acerbum igitur est bonum quod dolores paret amanti. Hic est progressus sententiarum. In *malis* igitur voce non *puellis* subintelligendum videtur, sed apparet opponi *bonum* quod bonum non est et *mala.* Alia Wisserus in sententiam suam convertit; ex corruptela, qua versus 38 medius mutilatus est, causam sumit cur versum spurium habeat. Qua ratione levior cogitari non potest, neque tamen hoc impedit criticos quin ubicunque aliqua vox minus placet — quod qui aequo iudicio utitur librariorum inertiae tribuit — statim causis quae ad sententiam spectent allatis nullis nisi levidensibus de integritate sententiarum ut dubitent inducantur. Iam fateor persuasum mihi esse hunc locum satis nondum emendatum esse[1]); neque tamen ob hanc rem, quae sententiam qualis sit minime obscurare videatur, totum distichon temerariis coniecturis vexare debemus. Videtur mihi quidem ut dicam quod sentio hic versus in eis esse in quos cadunt Lachmanniana illa rectissime dicta quae supra laudavi (p. 416). Ex omnibus autem coniecturis, quorum periculum fecerunt critici, verisimillima videtur ea quam recepit Hillerus Broukhusii *nunc* quae sententiae aliquid addit quod desiderari videatur. Etenim cum constet consuetudinem esse ipsius Tibulli eam, ut prisca tempora simplicia hodiernis opponantur (cf. I, 3, 35 sqq.; I, 9, 53 sqq.; I, 10, 7; II, 3, 29 sqq., 69 sqq.), quod quidem eo magis valet si respicimus rationem eam quae intercedit inter tertiam elegiam et quartam[2]), hoc loco adverbium „nunc", i. e. his temporibus quae omnia pretio aestimant, a poeta positum esse crediderim ut sententia pronuntiaretur haec: ut ex avaritia ingravescente quaevis mala fluxerunt ita accedit quod pulchritudo puellas avaras eo deduxit ut Amor i. e. cum olim ab omnibus quam maxime colebatur, infamis nunc fieret.

1) Nemo non videt *hic* quod traditur in cod. A metri causa non ferri, sed ne id quidem quod Heinsio probante plerisque placuit *sic* plane satisfacit; cf Dissen. ad h. l.

2) De his cf. ea quae in fine commentationis disserui.

Atque in voce *deus*, quam suspicatus Fuerthius[1]) coniectura tollere studuit, ut evaderet quod voci *infamis* opponeretur id quod desiderat ille nisi sensus me fallit ipsum videtur inesse, si modo sententia intelligitur ita: *haec causa fuit ut nunc Amor quamquam deus* (qui semper coli solent) *infamis fieret*, et vertimus: *Das war der eigentliche Grund, dass in Verruf jetzt kam der göttliche Amor.* Hoc versu extremo sententia quae est inde a v. 27 bene clauditur. Wisserus autem ex particula *denique* ansam sibi videtur sumere quae originem Tibullianam in suspicionem vocet, quod una tantum re commemorata (verba enim *fletus* et *rixae* particula *que* coniuncta esse) *denique* inepte positum sit. At constat quidem particulam *denique* in variarum rerum descriptione ultimo loco legi, quod exemplis firmare superfluum est: neque tamen ignotum *denique* non solum, ut temere clauderet seriem eis quae antecedunt ut par adnecti, sed vi quadam ut cumularet antecedentia et amplecteretur a scriptoribus positum esse; nec opus est, longum exemplorum ordinem praecedere, fierique solet ut poeta paucis praemissis, si plura adnectere longum habet, sententiam principalem hac voce claudat. Nos hoc explicare solemus ita: „doch was soll ich noch weitere Beispiele anführen, um es kurz zu sagen: das Wichtigste ist, dass ....“. Quod cadit in hunc locum, quo duobus praemissis (etenim *fletus* et *rixae* particula *que* coniuncta duo tamen sunt) poeta statim claudit summa re. Hoc modo cum duobus quae antecedunt malis ad pulchritudinem avarae puellae spectantibus tertium adicitur gravissimum tum universus sententiarum progressus, qui fit inde a v. 27 mire cumulatus in exitum, quo qui melius sensibus Tibulli hac elegia illustratis respondeat vix cogitari potest, incidit. — Singulis criminibus allatis Wisserus ad extremum firmat duobus distichis eiectis sententiarum nexum non iam male interrumpi et vv. 39. 40 aptissime cum vv. 33. 34 cohaerere, et nititur specie deceptus sententiis *sed pretium si grande feras* (34) et *at tibi quae pretio sqq.* (39). Quae levis momenti sunt. Ex eo autem haec opinio videtur orta esse, quod v. d. consuetudinem Tibullianam non ea qua decet diligentia observavit, in cuius carminibus non interest eiectis quibusdam distichis ita quoque conexum manere dedita opera demonstrare (quod ut facillimum est ex Tibulli genere dicendi abrupto quod dicitur ita ob id ipsum lubricum) sed decet in animi motus varie pronuntiatos, qui subito exstare videntur subito relinqui, inquirere ut quo communi vinclo quae primum intuenti repugnant vel videntur repugnare ea tamen contineantur appareat. Quod si respicimus dolere Tibullum et in III et

---

1) Hic enim (l. l. p. 6) offenditur quod *deus* Amor vocatur, cum nusquam nisi hoc loco legatur. De hac ratione critica cf. *Stud. Tibull.* p. 54 et s. p. 389. Et quod ipse proponit v. d. secutus eam quam olim Heynius edixerat opinionem *fecit ut infamis candidus esset Amor* quodque firmat uno exemplo Propertiano (II, 3, 24) cum concedat mendum fortasse alio quoque modo tolli posse, sat certum non videtur habere.

in IV elegia quod puellae divitem amatorem fido praeferunt itaque verum amorem pretio corrumpunt, nonne aptissime re vera Amorem infamem nunc esse deum a poeta dici apparet? [1])

Tibullus miseriis causisque earum satis illustratis v. 39 sqq. exsecratur eas [2]) puellas (velut Nemesim) quae male se gerant in fidos amatores (39—44), quibus bonas — pari distichorum numero — cum laude opponit (45—50). Qui supra (v. 25) voce *rapacem* motus, ut has sententias (27—50) paulo universiores ut dicam formaret, v. 51 ad ipsius condiciones miseras ex quibus profectus est redit. Fatetur talia vota (39—50) sibi iam non prodesse: ipsum, quamquam Nemesis in se consulat gravissime, adeo tamen amore eius vinctum esse ut facere non possit quin eam colat; atque omnia se passurum esse pollicetur, dummodo placido vultu illa ipsum adspiciat: avitas sedes se venditurum, quin etiam venena si illa voluerit se hausturum ex animi summo motu firmat (51—60). De hac extrema parte carminis, quam multifariam critici carpserunt, iam disseram. Legimus haec:

vera quidem moneo, sed prosunt quid mihi vera?
illius est nobis lege colendus Amor.
quin etiam sedes iubeat si vendere avitas,
ite sub imperium sub titulumque, lares.
55 *quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,*
quidquid et herbarum Thessala terra gerit,
et quod, ubi indomitis gregibus Venus adflat amores,
hippomanes cupidae stillat ab inguine equae,
si modo me placido videat Nemesis mea vultu,
60 *mille alias herbas misceat illa, bibam.*

Ex hoc epilogo Teuffelius (l. l. p. 493) ansam cepit, ut istam de statu libi secundi opinionem probaret; verba enim facit haec: *Vollendeter* (als Ged. 3) *sind Elegie II, 4 und 6: doch ist zur Ehre*

---

1) Wisseri argumentatio arrisit nuper Bellingio (l. l. p. 381), qui non recte haec fecit verba: (*vv. 35—38*) . . . . *cum eis quae praecedunt non modo non cohaerent sed etiam repugnant; et cum nihil intercidisse possit sequitur ut a Tibullo scripta non sint.*

2) Non multum interesse videtur — quantum ad sententiam pertinet — utrum sententiam *at tibi quae sqq.* ad unam Nemesim spectare credamus an poetam eam in universum dicere voluisse. Nam utrumque in hac elegia intellexeris et probaveris. Cum elegia ex gravibus condicionibus, quas patitur per Nemesim Tibullus, proficiscatur et in sententiis universioribus, quae v. 39 antecedunt, facile hanc puellam subintelligas, vocem *tibi* ad eandem referas; sed respiciens Tibullum ab ipso pronomine alterius personae sententias quae in universum accipiantur incipere solere (cf. s. p. 413 sqq.) hunc locum praesertim cum v. 45 sententia talis opponatur eodem consilio scriptum esse concedas. Sed patet hoc non obstare quin hic quoque illam subintelligas. Utraque haec sententia in unam mihi videtur coalescere neque videtur licere alteram probare utique alteram improbare. Immo si utramque animo coniungis ad rectum accedas.

unsres Dichters anzunehmen, dass er die hässliche Geschmacklosigkeit am Schlusse der vierten (vv. 57. 58) *noch getilgt haben würde, ehe er das Gedicht veröffentlichte.* Quae sententia ab ipso Teuffelio luculentius non demonstrata, cum aliquamdiu nemini arrisisset praeter Eberzium (l. l. p. 155), a Fuerthio (l. l. p. 3 sq.) accuratius defensa est, qui tamen eam ita mutavit, ut haec verba non poetae negligenter res disponenti tribueret, sed ut insiticia prorsus ab eo abiudicanda esse censeret. Iam igitur argumenta quibus usus sit examinemus. Existimat autem ille, totius loci rationem ostendere hoc distichon, quo pulcher pulchri carminis exitus turpissime foedaretur, insiticium esse: poetam voce *quidquid* ter posito morem poetarum secutum numerum ternarium amantium tria exempla — praesertim cum tertio particulam *et* i. e. *denique* adiecisset enumerare voluisse. Vv. autem 57. 58, qui plane abhorrerent ab eleganti Tibulli genere dicendi, magno cum venustatis detrimento hanc structuram relinqui. Tum poetam, cum in priore disticho (vv. 55. 56) herbarum genera enumeraret, si vv. 57. 58 ipse scripsisset alius generis venenum continentes, in tertio pergere non potuisse *mille alias herbas.* Denique v. d. sensum naturalem invocat: incredibile esse poetam spondere se illum sucum e vulvis equarum amore furentium hausturum. Originem autem suam duxisse hos versus ex Vergilio, nam similitudinem quae intercederet inter hunc locum et illius Georg. III, 280 sqq.:

> 280 *hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt*
> *pastores, lentum destillat ab inguine virus,*
> *hippomanes, quod saepe malae legere novercae*
> *miscueruntque herbas et non innoxia verba . . . . .*

vix casu ortam esse et aperte probare interpolatorem quendam sententiam ex Vergilio fraudatam huc intulisse. At quod primum suspicatur criticus iam cadit, dummodo concedatur sententiam ipsam quae hic legitur Tibullo non indignam esse: Qui si hippomanes commemorans eadem atque priora constructione amplecti voluit, non vituperandus est quod non pronomine *quidquid* ut ter antea sententiam adnexuit et ita perrexit ut legimus *et quod;* qui dicere iam potuit: „quidquid veneni Circe vel Medea habet et quidquid herbarum Thessalia fert", cum quodvis veneni his significetur. Sed *hippomanes* i. e. quod stillat ab inguine equae, unum et certum venenum est; quare ne potuit quidem facere Tibullus, quin aliter hanc sententiam ac priora adnecteret. Sententia autem ipsa nonne tolerabilis est? Atque imprimis, quod mihi Fuerthius non satis diligenter observasse videtur, respiciendus est tenor orationis, quae non sobrie describitur sed ex animo vehementissime moto orta summos Tibulli affectus miro modo depingit: „vera mihi non prosunt, illa tamquam lege me vincit, si sedes vendere iubeat vendam, si venena Circes Medeae, si herbas Thessaliae, si hippomanes mille alias herbas misceat — dummodo placido vultu me adspiciat — bibam! Iam sentis

affectus a minore ad maiorem per singulos versus paullatim auctos esse, donec poeta ad cumulum provectus *hippomanes* abrumpat cum singula illustraverit omniaque comprehendat his: *mille alias herbas misceat.* Id libenter concedo, nos quidem quod vovet poeta hippomanes ab inguine equae furentis stillans se hausturum fortasse id offendere; neque tamen quod nos offendit veteres, qui non raro hanc vocem si verba faciunt de venenis — iis praesertim quae valent ad amatores devincendos — posuerunt vel triplici significatione. Huic autem *hippomanes* sive explicas primum herbam esse in Arcadia crescentem in qua equi insaniebant[1]) sive tum sarcoma quod est in fronte pulli equini[2]) sive tertium ut hoc loco[3]) sucum ex vulvis equarum stillantem — utique res subsunt veneriae nec non graviores: namque ex hoc veneno a veneficis adhibito quod ex insania quadam oritur furor vel mors causas suas ducunt. Apta igitur fuit haec res, quae talem sententiarum nexum clauderet. Universa sententia est: „quascunque herbas illa misceat bibam". Poetam autem ab herbis (namque in venenis Medeae et Circes facile herbae subintelliguntur) initium capientem cum triplici *quidquid* aliquantum effectum auxerit invitum fere quo magis proveheretur quartum addidisse gravissimum — quamquam non herbam — cogitare possum et cum interrumperet v. 59 enumerata quae paullatim progrediebantur quattuor, quamquam quod quartum affert venenum alius est generis ac priora, tamen comprehendisse: *mille alias herbas;* quod quidem legentibus magis sentiendum est quam demonstrandum. Sententia secundaria, a qua initium capit v. 55, cum magis magisque proveheretur nescio quo pacto expectabat sententiam suam primariam ex qua ipsa penderet; atque inviti fere subsistimus paullulum post v. 58.[4]) Poeta autem verbum bibendi quod iam expectamus in extremo versu exeunte ponens et venena verbis *mille alias herbas misceat illa* interim comprehendens sibimet ipse non inepte videtur servire. Etenim si oratio ita fere composita esset: „quidquid Circe, quidquid Medea habet, quidquid Thessalia gerit herbarum et quod hippomanes stillat, mille alias herbas misceat illa bibam" sententia nulla interposita, cum specie iuris probabiliore offenderemur, quod sine ulla dubitatione poeta hippomanes quartum adiungens statim comprehenderet *mille alias herbas.* Equidem puto sententiam ita excusari: poeta quaevis venena hausturum se vovet: quattuor venenis rem illustrat. Ex quibus tria prima herbae sunt; quarto autem quod herba non est gradationis causa adiecto gravissimo cogitaverim poetam v. 60 omnia comprehendentem *alias* scripsisse quod ad tria prima numero plura

1) cf. Theocr. II, 48.
2) Verg. Aen. IV, 515; Plin. h. n. VIII, 42; Iuv. VI, 616; Suet. Calig. 50.
3) cf. Vergiliana, quae supra laudavi p. 442.
4) Quare censuerim post h. v. paulo gravius incidi, ita fere „:" vel „—".

respexit. Et hanc quidem coniecturam iuvare videtur structura sententiae, quam observavit non recte adhibuit Fuerthius: tria enim prima cum omnia herbae sint voce *quidquid* ter posito et quod tertium (v. 56) particula *et* adnectitur in unum tamquam coire videntur; quartum autem praesertim si *et* in fronte v. 57 vertimus *ja sogar* aliquid esse inusitati et tamquam extra seriem poni patet, iamque fieri potuit[1]) ut in fine comprehenderetur *mille alias herbas.* Ita probabiliter offensionem si qua extat tolli iudico, nisi forte quis credat (quod non parum arridet) vocem *herbas* sensu universiore i. e. *venena* accipiendam esse, qua non modo herbae Circes Medeae Thessaliae sed etiam hippomanes comprehendantur. Id quidem concedo Fuerthio vv. 57. 58 deesse posse. Sed talis causa nisi aliis ex sententia petitis firmatur ipsa levidensis est. Equidem autem persuasum habeo, ex gradatione sententiarum quae fit inde a v. 53 usque ad finem gravissimum, illud votum quod vv. 57. 58 continetur satis bene explicari.[2])

Eleg. VI.

Condicio quae describitur amorum Tibulli aeque iniqua est atque in elegg. III et IV (de V cf. i. p. 467 sqq.). Argumentum breviter enarremus.

Castra Macer secutus est; quem ibi ab Amore iam non torqueri opinatus fingit Tibullus idem se facturum esse (1—10), sed recordatus statim (cf. I, 5, 61; II, 3, 49 et 59; 4, 51) se, cum totiens iurasset relicturum puellam, tamen sibi non constitisse incusat Amorem quod gravius in se invehatur eoque se deduxerit ut manus iam sibi allaturus fuerit nisi Spes animum iniecisset (11—20); ita invitatus ut paulum digrederetur Spem depingit (21—28): quam Nemesim quoque sibi spondere v. 27 cum dicat redit ad ipsius condicionem puellamque per ossa sororis praematura morte abreptae ut parcat sibi rogat (29—40). Sed ne animum dominae his offenderet

1) De his versibus cum optime ceterum sentiat Magnus vir humanissimus (l. l. p. 297) exemplum Ovidianum non recte laudare mihi videtur quod legimus in Met. VII, 275 sq.:

> *his et mille aliis postquam sine nomine rebus*
> *propositum instruxit sqq.*

In versibus autem qui h. l. antecedunt Medea radices semina flores sucos lapides alias res miscens describitur. Et poeta v. 275 scribens *mille aliis rebus* sat universam elegit sententiam quo omnia quae antecedunt comprehenderet, ita ut ne species quidem suspicionis relinquatur. Ac si apud Tibullum legeretur ita fere: *mille alias res* (metrum omitto) nemo unquam offensus esset.

2) Non lepide Teuffelius (l. l. p. 475) hunc finem cum exitu panegyrici comparari posse conicit.

veritus ipse sibi persuadet ipsam hanc malam non esse (cf. s. p. 419, i. p. 468) causamque esse aerumnarum lenam quam notat (41—54).

Hanc elegiam et universam tersissimam esse et singulas partes aeque nexas omnes fere consentiunt. Ne Gruppius (l. l. p. 100) quidem (cui assentitur Teuffelius) cum de illa opinione qua captus erat de libri secundi editione non recta recedere non auderet, hanc elegiam carpere potuit nisi his obscure dictis: *Auch in der Schlusselegie scheint mir der ungehinderte Fluss der des ersten Entwurfes von einer geübten Meisterhand, aber noch nicht die Anmuth und Grazie eines erfüllten, vollendeten Kunstwerkes zu sein, und ich hoffe, dass dies auch anderen so scheinen muss.* Quod mihi quidem non videtur ita esse; et fateor me nescire unde Gruppius hanc verborum copiam sumpserit. Quae id probant, criticum diligenter curasse ne qua ex parte istam de libri condicionibus opinionem labi concederet etiamsi causis probabilibus nullis niteretur: neque enim conatus est nec potuit, opinor, conari quae in universum dixit singulis probare. De his igitur plura mihi non dicenda sunt. Coniectura autem quaedam Heynii spectans ad digressionem illam quae fit de Spei salute, cum iam dudum oblivione obruta esse videretur, nuper critico cuidam placuit; quare facere non possum quin de ea disseram. Versus enim 21 —28[1]) ita leguntur:

Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis
semina, quae magno fenore reddat ager:
haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces,
cum tenues hamos abdidit ante cibus:
25 *Spes etiam valida solatur compede vinctum*
(crura sonant ferro, sed canit inter opus):
Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa.
hei mihi, ne vincas, dura puella, deam.

Iam existimaverat Heynius ad potentiam deae et vim spei ad animos humanos declarandam utique haec pertinere; dubitans tamen, num vv. 23. 24 quoque satis accommodati essent quamquam concessit etiam hoc vitae tolerandae genus spe capturae sustentari, eos

1) Non recte Grothius (l. l. p. 19 sq.) v. 28 ab eis qui antecedunt segregari et cum sequentibus iungi iubet. Quem fortasse id movit, quod cum in hoc versu Nemeseos mentio fiat poeta de digressione ad Spem pertinente iam recessisse videatur. Censet enim criticus, non a v. 29 sed a 28 vel 27 preces quibus invocatur puella incipere. At in medio disticho poetam elegiacum novum sententiarum ordinem instituisse si naturam huius metri respicimus non credibile videtur. Et accedit quod structura quattuor distichorum quorum duo extrema *Spei* anaphora arte coniungi nemo non videt repugnat, quin v. 28 a 27 vel totum distichon ab antecedentibus segregetur. Patet in hoc disticho poetam non seriem novam ipsam instituere, sed transitum a digressione ad rem Nemeseos mentione facta paullatim parare. Atque ultima ipsa vox *deam* cum ad Spem recurrat docet hoc distichon ab eis quae antecedunt non recte dirimi.

abesse maluit. Quod Fuerthius (l. l. p. 6 sq.) dedita opera stabilire conatus est, parum respiciens id, quod Dissenus de dubitatione quam Heynius moverat iudicavit. Et primum quidem — ut a minoribus initium capiam — v. d. Vossium secutus offenditur particula *ante* quam quomodo explicetur omni sensu carere censet et prorsus superfluam esse.[1]) At mihi hoc adverbium (scilicet vertendum est: *davor, vorn*) sententiam illustriorem — qua re saepius laudavimus Tibullum — reddere videtur, ut tamquam oculis nostris videamus cibum qui, cum ante i. e. in ipsa fronte hami illigatus sit, hamum operiens allicit pisces perniciei futurus. Neque vero neglegendum est Tibullum saepius ut sententiam illustraret hoc adverbium posuisse. Conferas velim[2]):

I, 10, 67 sq.:

> *at nobis, Pax alma, veni spicamque teneto,*
> *perfluat et pomis candidus ante sinus.*

II, 1, 23 sq.:

> *turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,*
> *ludet et ex virgis extruet ante casas.*

ibid. 77 sq.:

> *et pedibus praetemptat* (puella) *iter suspensa timore,*
> *explorat caecas cui manus ante vias.*

II, 5, 97 sq.:

> *aut e veste sua tendent umbracula sertis*
> *vincta, coronatus stabit et ante calix.*

Haec igitur Fuerthii suspicio refellitur. Neque vero probabilius sententiam universam vituperat: descriptionem piscandi minus accuratam molestam esse, tum gradationem ab agricola ad servum male interrumpi his versibus tenuioribus minusque aptis ad Spei vim declarandam, denique sententiam ab eleganti iudicio poetae alienam esse; quem si exemplum addere voluisset, aliud certe huius loci et totius carminis gravitati magis aptum electurum fuisse. Huc accedere quod Ovidius vim Spei depingens (epp. ex Pont. I, 6, 27—46), cum idem exemplum servi sperantis poneret aliis adiunctis, piscatoris et aucipis mentionem non faceret. Et haec quidem critico satis gravia videntur esse quae versus spurios esse probent. — Iam causa ea quam ex Ovidii descriptione criticus sumit tam inanis est, ut opus

---

1) Coniectura quae placuit illi *arte* mihi parum arridet: quae (ut omittam mire coniungi *cibus arte abdidit hamos* cum dicendum fuerit personam quandam arte hamos abdere) sententiam languidam atque inanem inserit pro viva.

2) Animadvertis adverbium *ante* apud Tibullum eodem semper versus loco (quinto pede pentametri) legi.

non sit dedita opera refellere; nam Ovidius Spem varie depingens exempla ea quae apta sibi videbantur elegit neque ita nostrum est cur alia praetermiserit quaesitare ut ea quae attulit intelligere. Tali autem si rationi adstipulamur iam extabit quis, qui prius quoque Tibulli exemplum qualibet de causa in suspicionem vocet quod ne hoc quidem apud Ovidium legatur; quod tamen cur hoc primo loco posuerit Tibullus ruris amator facile intelligis. Quare non licet increpare poetam quod incipiens *Spes alit agricolas* ingenio tum indulsit. Ac distichon id quod suspicatur ille nonne artius cum priore cohaeret? Quod videtur fugisse criticum cum dicat, gradationem ab agricola ad servum hoc interposito male interrumpi. Vocibus autem *Spes alit agricolas* in initio positis propositum [1]) tamquam poeta significat, quo spectant ea quae his duobus distichis continentur. Quod in sententiam idem in formam cadit, cui iam vides Tibullum miram curam invertisse: qui, cum in priore hexametro (v. 21) Spem ipsam et in fronte et post caesuram principalem poneret, in altero hexametro (23) iisdem locis pronomen *haec* respondens fecit, versus autem 25. 26 et 27. 28 in fronte voce *Spes* posita vulgari modo conexuit. Ne id quidem offendit, quod poeta aucupem attingit depingit paulo copiosius piscatorem, nec fas est ei quae apta sint ad sententiam illustrandam et vim eius quam plurime augendam quae non sint, quae attingenda quae describenda imperare. Fritzschius quoque, id semper fere studens ut si quis sententias Tibullianas in suspicionem vocavit assentiretur ipse vel novis causis probaret, in his verbis haesit (l. l. p. 17); qui dicit solere Tibullum eam cui illustrandae omnia serviant notionem (h. l. Spem) initio versuum hexametrorum vel pentametrorum ponere: quod cum in hoc disticho neglectum sit concinnitatem adeo turbari ut cogitari non possit haec Tibullum scripsisse. Sed iam nemo non videt vocem *Spes* cum in v. 21 bis, tum in frontibus vv. 25 et 27 posita sit, si in v. 23 bis ipsa repetita esset aures non parum offensuram fuisse; etenim Tibullus, quamquam in usu anaphorae libenter sibi indulget, ne eodem verbo usque repetito modum transgrederetur diligenter cavit, velut demonstravimus supra (p. 396) quam varie frontes versuum elegiae I instituisset. Quare id ipsum apte factum esse censeo quod in v. 23 Spes non ipsius nomine vocatur, sed pronomine oratio variatur, ita tamen ut aequabilitas quidem ea quam diximus inter hunc versum et 21 intercedat. Aliud quoque Fritzschius quod opinatur criticos nondum animadvertisse ipse sibi videtur observasse: dici non posse *haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces;* quod tum tantummodo intelligi si *Spes* ad ipsas volucres et pisces referremus, ut hi cupiditate et spe cibi captarentur. Hanc autem interpretationem hoc loco, ubi de salutari Spei vi diceretur, reiciendam esse: Spem quidem laqueos ponere et iacere arundines, non captare volucres et pisces. Haec

1) Mecum facit Karstenus l. l. p. 76.

quid sibi velint nescio. Erravit sane criticus, quod captandi[1]) verbum non recte interpretatus est. Sed respicias velim poetam cum has sententias de Spe faceret pendentes praemissa sententia principali *Spes alit agricolas* id diligenter studuisse ut verba, quae cum hoc nomine coniungebat, eligeret ea quibus notio ipsa sperandi vel expectandi inesset. Iam quidem in priore disticho verbum expectandi *credit* sententia relativa adiecta ita illustravit, ut eventum quoque, quem expectat agricola, significaret voce *reddat*. Neque eum vituperaremus, si in altero disticho similiter sententiam composuisset ita fere: „haec (Spes) laqueos ponit et arundines iacit quibus aves et pisces capiantur (non „captentur", ut opinatur v. d.)." Sed varietas delectat Tibullum, qui tamen pro his duabus, quas modo significavi, sententiis quae priori disticho plane responderent unam ponens expectandi notionem verbo captandi aperte pronuntiavit; quod quidem non aeque ac *capiendi* eventum significat i. e. *fangen* sed spem capiendi i. e. *sucht, hofft zu fangen*. Quod si ita interpretaris nulla relinquitur difficultas. Ceterum Fuerthius et Fritzschius non solum ex ipsa sententia dubitationes suas ceperunt, sed haud parum moti sunt ut symmetriae isti servirent; eiectis enim vv. 23. 24 ordinem elegiae palinodicum hunc:

7 (1—14) + 6 (15—22, 25—28) + 6 (29—40) + 7 (41—54)

opinantur restitui. Sed praeterquam quod in hac partitione post v. 14 male inciditur, cum non a v. 15 nova sententiarum series incipiat sed a v. 11 (opponuntur enim consilium poetae audacius captum: ego ut Macer ut aerumnas quas ab Amore patior usque effugiam castra sequar (1—10) et verae miseraeque condicionis memoria gravior: heu a me impetrare non possum ut quod velim efficiam, cum Amor tamquam ferreis vinclis me retineat (11—20)) id quoque probatur, quod supra monuimus saepius, symmetriam per tota carmina digestam nisi per vim nusquam statui posse. Eadem lubrica ratio fuit causa cur Prienius (l. l. p. 17) multo artificiosius Fuerthio partes digerens post v. 35 lacunam statuit; quo loco sine praesumpta opinione carmen legenti ne species quidem hiatus obvenit.[2])

Inter eleg. II et carmina libri quarti II—VII num qua ratio intercedat.

Elegia II quamquam brevissima est usque tamen criticorum maxima molimina in se convertit. Quae quidem omnia non ita, ut

1) cf. Ov. Met. VIII, 217.

2) Pluribus hoc demonstrare non opus est, cum munus subierit Grothius (l. l. p. 18); cf. Karsten. l. l. p. 76.

usu fiebat in reliquis huius libri carminibus, ad textus fidem pertinebant ut locum quem obtinet elegia in hoc libro sub litem vocabant. Has autem controversias, quippe quae non parum cohaereant cum disputatione mea quae fit de libri integro statu, magna ex parte ex specie magis causarum quam causis ipsis sat probabilibus ortas denuo examinare et si fieri potest quod spero ad finem certum deducere meum esse iudico.

Lis ne adhuc quidem plane composita ex eo orta est, quod extiterunt, qui num qua ratio intercederet inter hanc elegiam et libri quarti quae quidem Tibulli esse viderentur carmina quaererent. Etenim cum Heynius et Dissenus viri humanissimi amicum eum qui hac elegia (idem in III) celebratur Tibulli eundem esse ac Cerinthum amatorem Sulpiciae, de quo in quarto libro plura legimus, coniecissent, Gruppius dedita opera id sibi visus est demonstrasse, fortuito elegiam hunc in librum incidisse: quam, cum eo quo adhuc legeretur loco argumento colore ambitu tolerari non posset, cyclum Sulpiciae et Cerinthi Tibullianum (IV, cc. 2—7) elegia extrema VII non apte terminatum bene claudere. Sed ut quod sentio in principio dicam, Gruppius quique eius rationes secuti sunt corrigentes firmantes stabilientes, velut Teuffelius, id imprimis peccavisse mihi videntur quod, opinione illa ducti, quem locum elegia omnium codicum consensu in libro secundo teneret parum respexerunt et extrinsecus rationes inserentes in ipsum carmen — quod summum est — quid inesset et num quid ex eo colligere liceret non eo quo decet animo libero et integro inquisiverunt. Quare, priusquam verba ea quae fecerunt de illis rationibus critici examinemus, placet carmen eo quo traditur loco ipsum per se observare, ut iam appareat num ex sententiis quae insunt de suo loco movere cogamur. Argumentum est hoc: „Natalis venit, bona igitur verba dicamus, honoribus genium afficiamus[1]), qui iam velim, Cornute, quod petis id tibi adnuat; cessas? auguror fidos te optare uxoris amores quos aestimes pluris summis pretiis. Iam video vota cadere: utinam Amor artius vinclum reddat natalisque progeniem paret.“ Quid igitur? Natalicium — hoc velim satis respiciatur — carmen est; ita initium capit poeta: *venit natalis* (v. 1), ita facit finem: *hic veniat natalis avis* (21).[2]) In memoriam revocemus inter carmina viginti quattuor ea, quae certe Tibulli sunt, tria — admodum multa pro ceteris — carmina natalicia legi: Messallam celebrat poeta (I, 7) sat diligenter et copiose ea qua decebat in fautorem spectatissimum et amicum benevolum reverentia, Sulpiciam (IV, 5) die Cerinthi natali brevius facit petentem a genio ut mutuus secum illi sit amor; simile h. l. legimus carmen ob honorem Cor-

1) Cf. quae nuper de Genio luculentissime contulit Birtius in *Roscheri lexico mythologico (vol. I, Lips. 1884 sqq.)* p. 1613 sqq.
2) De hoc extremo disticho cf. Rothstein l. l. p. 96 sqq.

nuti amici[1]) compositum. Etenim ut in quarto libro ubicunque amatoris illius mentio fit Cerinthus scribendum est et scribitur ab omnibus, ita in secundo (et II, 11 et III, 1), utcunque ceterum iudicatur de ratione num qua intercedat inter Cornutum et Cerinthum, lectio *Cornute* consensu manuscriptorum meliorum firmatur[2]) itaque fit ut, cum in editionibus vestutioribus — Lachmanni quoque — ex interpolatis codicibus *Cerinthe* insereretur, nunc ne ii quidem, qui Gruppii et Teuffelii rationes ceterum sequuntur, velut Zingerleius vir doctissimus[3]), scripturam *Cerinthe* ex quarto libro in secundum interpolatione insitam[4]) esse persuasum non habeant. De scriptura igitur ipsa adhuc dubitare non debemus. Iam Tibullus — ecce quantus vigor quasi agatur non describatur res — appellat amicum dum sacra natalicia parantur ut aliquid roget. Cessat hic quidem. Tum iterum invitans ille quid petiturus sit Cornutus non expectat et ipse verba facere coepit: auguror te fidos uxoris amores rogare. Haec uxor quae fuerit ex ipso carmine nec discimus nec quomodo coniciamus habemus. Neque vero decet poetam quod nomen uxoris silentio tegat increpare, cum ne ita quidem leporis Tibulliani quidquam in carmine viginti duorum versuum desideretur. Id autem ex votis licet colligere (cf. vv. 11, 12, 18, 21, 22) Cornutum uxorem non multo antequam haec elegia componeretur in matrimonium duxisse — nisi forte quis credat et nuptias et diem natalem celebrari, quod mihi quidem non arridet cum poeta genium natalem cum vi quadam ea, qua summum argumentum significare solet, et in exordio et in fine carminis vocet et ex voto tantummodo Cornuti, quod ipse auguratur Tibullus, matrimonium quod bene continuari (natalicium quasi donum) iubet attingat. Baehrensio autem (l. l. p. 42 n.) ex vv. 11. 12:

auguror, uxoris fidos optabis amores:
iam reor hoc ipsos edidicisse deos,

sumenti matrimonium aliquot annos extare non assentior. Quis enim nescit, homines, plerosque si quid boni acciderit, non desistere ut ita semper sit anxie secum optare, et si ex hominum rationibus fortuna sat certa niti videntur, tamen cotidie sexcenties ne destituat deos precari? Quodsi Tibullus hac re ita utitur ut dicat „dei votum tuum edidicerunt“ i. e. „clam hoc saepius deos precatus es quam ut aperte repetas necesse sit“ inter nuptias ipsas et hoc votum plures anni intersint nequaquam oportet, sed menses si mavis dies. Haec omnia sunt, si res ipsas observamus, quae ex elegia sumere licet;

---

1) Quod olim coniecerat Heynius natalicia puellae non iuvenis celebrari, recte Wunderlichius refutavit.
2) cf. Baehrensii apparatum ad h. l.
3) *Kl. philol. Abhandlungen I,* Innsbr. 1871, p. 24 sqq.
4) cf. Baehrens. *Tibull. Blätter* p. 42, n.

ne plura cave. Quae quidem brevissima et ob id ipsum fortasse lepidissima — ut ad carum amicum missa — Tibullianum colorem ubivis spirat. Nec hoc unum; immo eo quo legitur libri loco (ut reliqua carmina) non inepte positum esse videtur, quamquam plerique negant, neque vero forte insitum sed redactum consilio. De qua re infra disseremus. Nunc ad cyclum Sulpiciae et Cerinthi aggredimur.

Carmina libri quarti II—XII in duas partes dividenda esse ita, ut VIII—XII essent ipsius Sulpiciae epistolia ad Cerinthum amatorem missa, II—VII[1]) autem elegidia[2]) addicerentur Tibullo, quibus illorum argumenta non tam repetens quam amplificans et scite nectens mira arte cyclum forma et sententiis concinnum effecit, cum qui usque ad Dissenum in hac re versati erant quid haec series cc. II—XII sibi vellet perspicere non potuissent primus Gruppius (l. l. p. 47—57), ut poeta, sensu poetae ductus ingeniose demonstravit. Qui cum ipsi viro harum rerum peritissimo Carolo Lachmanno[3]) persuasisset, vix extitit qui hanc sententiam — universam nempe — cum specie probabilitatis refelleret.[4]) Et equidem Gruppium, si hac summa quam ex causis satis probabilibus collegit contentus fuisset, existimo magis his rebus profuturum fuisse quam si novarum ut erat rerum cupidus coniecturas vanas secutus esset opinatus

1) Carmen VII quod incipit *tandem venit amor* plerique hodie Sulpiciae, non Tibullo tribuunt — non recte, opinor. Etenim quamquam non multum id valet, quod in fragmento Cuiaciano carmen VIII titulum habet *Sulpicia* (non recte de hac inscriptione quam subscriptionem carminis VII habet sentit Zingerleius l. l. p. 29 sq.), quo factum est ut auctore Hillero (*Rhein. Mus. XXIX, 1874,* p. 106) novissimi editores eum e textu moverent (velut Vahlenus), ipsa tamen elegia, quamquam eis quinque quae praecedunt ambitu minor est similiorque earum quae sequuntur, videtur probare non de epistolio Sulpiciae sed de carmine Tibulli cogitandum esse; quod post Gruppium apte docuit Woelfflinus (*act. semin. phil. Erlang. I, 1878,* p. 100), quamquam quod comparat v. 3: *exorata meis illum Cytherea camenis* cum panegyrici v. 191: *non te deficient nostrae memorare camenae* nil iuvat, cum panegyricus falso Tibullo tribuatur. Iamque ita cyclus Cerinthi et Sulpiciae amorum idoneam et tamquam rotundam servat constructionem, cum tribus elegidiis II IV VI poeta ipse loquatur, identidem tribus III V VII Sulpiciam loquentem faciat. Atque hoc carmine cyclum bene cumulari infra patebit Recte igitur Ehwaldium puto vituperare quod Hillerus (*Herm. XVIII, 1883,* p. 355 et in *editione quam curavit* a. 1885) carmen VII in epistoliis Sulpiciae habet (*Phil. Anz. XV, 1885,* p. 593); cf. i. p. 457. Errorem repetit ut saepius nuper Doncieux (l. l. p. 17, 18, n. 1).

2) Ut brevitati inserviam carmina II—VII nomine vel cycli vel elegidiorum, VIII—XII epistoliorum amplector.

3) cf. *Kl. Schr.* p. 149 sq.

4) Qui de his rationibus dubitaverunt viri doctissimi R. Richterus (*Progr. d. königl. Gymnas. z. Dresd.-Neust. 1875,* p. 1) et Knappius (*De Tibulli libri quarti elegiis inde a II usque ad XII disputatio, diss.* Goetting. Duderstadt 1880, p. 41 sq.), qui 8—12 ipsius Tibulli esse vult breviter schedis priusquam ipsum cyclum componeret describentis aliquid novi afferre conati mihi non persuaserunt; cf. Magnus l. l. p. 358 sq.

c. II, 2 post IV, 7 transponendum esse. Qua re ipsius meritum paulum minuisse mihi videtur. Neque tamen qui post eum de hac re aliquid litteris mandaverunt num re vera illae rationes extarent quaerere conabantur omnesque fere in illius verba iurabant et iurant; itaque utile mihi videtur illius molimina stent cadantne examinare. Gruppius, cum Italos secutus in libri secundi elegiis II et III *Cerinthe* in textum reciperet, in quarto libro idem nomen legens quin eadem esset persona non dubitavit. Et uxorem quidem, quae est in II, quamquam nomen non legitur, eandem esse ac Sulpiciam, de qua in quarto libro plura legimus, eo facilius ratum esse est fisus quod aeque ac Dissenus cyclum libri quarti, in quo non uxoris sed puellae mentio fit, ut perfectissimum libro secundo ut nec satis perpolito nec ab ipso Tibullo in lucem emisso priorem esse iudicavit. Neque vehementius vitupero virum doctum quippe qui cum perperam — ut demonstravimus — sentiret de libri secundi statu et editione non faceret quin ex eo illud non recte colligeret. At si constat, librum secundum editum esse a Tibullo et cyclum elegidiorum post[1]) libri secundi editionem compositum esse, luce clarius est, si modo c. II, 2 suo loco legitur, eas condiciones quae in cyclo depinguntur depingi non potuisse, si uxor illa (II, 2, 11) Sulpicia esset — nisi quis dicat Tibullum, paulo postquam et nuptiae illae quarum mentio fit in II, 2 confectae sunt et ipse totum librum edidit, epistoliorum eiusdem Sulpiciae sive ipsa Sulpicia auctore sive Cornuto (= Cerintho) notitiam habere potuisse et tum demum cyclum composuisse. Pertinet autem ad quaestionem solvendam utrum nomen Cerinthi verum an fictum sit. Dissenus enim iudicat poetam, ut vera ficta misceret, cum Sulpiciam ipsius nomine vocaret amatoris finxisse (l. l. p. 426—428). Hoc enim fuisse poetae si carmina libri quarti, quod verisimile esset, edere voluisset; quod si in animo non habuisset, verum nomen eum servare potuisse et sumendum esse ab editore fictum esse positum: quem cum in libro secundo verum servare posset, tamen illic quoque fictum posuisse cum haud ignorasset de eadem persona dici. De editore quidem quid iudicandum sit et libri secundi et appendicis[2]) scimus; ac quamquam non negligendum est Dissenum, quod Gruppio contigit, nondum perspexisse rationes quae intercederent inter utramque cc. II—XII partem omniaque Tibulli esse compertum habuisse, etiamsi haec omnia recte Tibullo tribuerentur num quid poetam, si edere voluit[3]) cyclum (quod verisimile habet v. d.) et decere iudicavit pro amatoris vero nomine

---

1) cf. *Stud. Tibull.* p. 49 sqq.
2) v. *Stud. Tibull.* p. 63 sqq.
3) Quod cur non fecerit Tibullus Dissenus quo pacto explicet probabiliter non habet. Quae res de libri secundi editione sententiam eam, quam nuper exposuimus, firmat; etenim si conceditur Tibullum hunc libri quarti cyclum edere voluisse, quid si prius libro secundo scripsisset impedivit quominus in lucem ipse emitteret?

fictum ponere (cum Sulpiciam ipsius semper nomine vocaret!) nempe reverentia quod putant plerique Sulpiciae vel Messallae avunculi motus eo deducere potuit ut in secundo libro, imprimis in eleg. II, maritum amicum, si idem erat atque is qui in quarto libro occurrit, vero nomine vocaret? Nolim quis dicat, in libro quarto de amoribus clandestinis agi de nuptiis apertis in secundo; nil enim iuvit in cyclo quarti, ut ederetur, amatoris nomen fingere et Sulpiciam cui parcere debebat ipsius nomine vocare, in secundo autem mariti verum nomen ponere cum uxoris silentio praetermitteretur; neque enim, quod ad comprobandam sententiam affert Dissenus in libro secundo Messallam quoque (II, 1 et II, 5) et Macrum (II, 6) suis nominibus vocari, quidquam valet, cum nemo sit quin sciat vera nomina poetas fictis non mutare nisi res amatorias, quae quidem spectent ad ipsas eas quae vocantur personas, describentes. Existimo igitur futurum fuisse ut Tibullus in nominibus fingendis sibi constaret, si rationes illae inter II, 2 et IV, 2—7 intercessissent. Ac solent poetae puellarum, quas amant et canunt, nomina in carminibus fingere non amatorum. Et si concederemus Disseno, fictum nomen in quarto libro flagitari, verum potuisse poni in secundo, id tamen occaecatum fere verum doctum, cum dicat hoc verum nomen ignorari, plane fugit Cornutum quod traditur verum hoc nomen esse, dummodo quis credat eundem hunc esse in II, 2 ac Cerinthum in quarto libro. Quod quidem Teuffelius et Zingerleius (ceterum Gruppium secuti) recte senserunt. Causas igitur, quae utique cogant ut Cerinthum nomen fictum esse credamus, eas extare negaverim et Gruppius et Baehrensius (l. l. p. 42 n.) ceterum prorsus dissentientes recte mihi videntur sumpsisse nomen Cerinthi ut Graecum ita verum esse amatoris quem Sulpicia puella dives pulchra liberior ut tum erant intemperantior adamavit. Neque tamen quae praeterea coniecit Gruppius probo. Iam primum si recte statuitur quod credimus cc. 8—12 esse Sulpiciae, 2—7 Tibulli, respiciendum est nomen Cerinthi non solum in Tibulli cyclo sed etiam in epistoliis Sulpiciae legi (IV, 8, 2; 11, 1), quibus locis nec ad editorem nec ad librarium ineptissimum — ut solent plerique si quid iniquum videtur — quisquam adhuc refugit; num putemus Sulpiciam ipsam in epistoliis, quippe quas in publicum edi certe noluerit, necessarium habuisse iuvenem quem amabat ficto nomine vocare? Quod mihi non arridet. Tibullum autem, si ab ipsa Sulpicia vel a Cerintho dignus habebatur qui certior fieret de epistoliis et sive excitatus ab illis sive sua sponte cyclum composuit, quid movere potuit cum Sulpiciae nomen servaret amatoris fingere, non solum si hoc cyclo ipsius studium erga Messallae familiam haud mediocre erat significaturus cum foras eum exire nollet, sed etiam si de integro in lucem emittere statuerat? Quem quidem cyclum utrum edere in mente habuerit necne causis sat certis nec statui nec negari potest. Edere si voluit, quod equidem crediderim, consilium mors praematura pervertit itaque factum est ut per unum

fere saeculum amoenissima elegidia oblivione obruerentur (cf. *Stud. Tibull.* p. 63 sqq.); neque enim adstipulor Hillero viro humanissimo utique neganti cyclum hunc qui seorsum ederetur idoneum fuisse.[1]) Ipse autem coniecerim poetam libellum 124 versuum fortasse editurum fuisse non seorsum sed una cum aliis carminibus — si Parca invida permisisset — aeque ac carmina quinque quae ad Deliam pertinent, quattuor quae ad Nemesim, non seorsum ut potuit in lucem emisit aliisque additis vel interpositis in librorum formam redegit.[2]) — Vehementer dolemus quod in his quarti libri et elegidiis et epistoliis fundamenta quibus nitamur prorsus fere destituunt; sed hoc ipsum cogit si quid conicimus — quod hic evitari non potest — coniecturam esse profiteri non pro re tamquam explorata venditare ita ut Gruppio placuit.

Iam igitur si tenemus nomen Cerinthi, qui occurrit in quarti libri carminibus II—XII, fictum esse non satis probari, tum librum secundum cyclo esse priorem tempore, denique in libro secundo lectionem *Cornute* meliorem esse: ratum habemus Cornutum et uxorem eius quae appellatur non nominatur in c. II, 2 alios esse ac Cerinthum et Sulpiciam. Quod eo magis credemus si Gruppii et Teuffelii quaestiones examinaverimus.

Ac Gruppius quidem postquam rationes illas, quas nos quoque exploratum habemus intercedere inter cc. II—VII et VIII—XII, demonstravit finem facit ita[3]) ut in epilogo elegidii VI corruptela depravato periculum faciat sat audacis coniecturae: *sis Iuno grata ct sqq.* Non inlepide censet v. d. orationem a poeta olim ita institutam esse ut in fine aeque atque in fronte — scimus et supra saepius monuimus Tibullum libenter elegias ita circumcingere — Iuno in-

---

1) At libenter concedo viro docto id cadere in epistolia; quae nisi ab illo editore nunquam in lucem proditura fuisse collecta compertum habeo. v. *Herm. XVIII (1883)* p. 354.

2) Neque tamen mihi persuaserim cyclum — ut in prioribus libris — Tibullum aliis carminibus interrupturum fuisse. Haec enim quae ex ipsius amoribus orta erant compluribusque fortasse annis segregabantur ita — nescimus quo pacto (de C. P. Schulzii rationibus v. i.) — poeta complexus est ut ne ea quidem quorum definiri posse videntur tempora (ut libri primi III I V II VI) ratione temporum habita ordinaret. Elegidia autem sex quae Sulpiciae et Cerinthi amores depingunt eo quo scripta sunt ordine ut membra cycli rotundi et concinni ordinata esse videntur — brevi scilicet tempore, quippe quae omnia ambitu non multo maiora sint singulis priorum librorum elegiis quibusdam latius patentibus (velut I, 2 et 3; II, 1 et 5). Exceperim carmen IV, 2: neque enim quod in hoc carmine de amoribus ipsis nondum agitur nec Cerinthi nomen iam legitur id mihi probare videtur — quod dixerit quis — hoc primum scriptum esse, sed coniecerim vice versa poetam, cum spectans ad Sulpiciae epistolia quinque — quae amoris plenissima sunt omnia — ipsos amores quinque elegidiis III—VII depinxisset, c. II extremum composuisse ob unius Sulpiciae honorem eiusque nomine quod in ipsa fronte posuit ornatum caput cycli esse voluisse.

3) l. l. p. 58 sqq.; cf. s. p. 429 n. 2.

vocaretur ut amantes perpetuo vinclo iungeret; sed iunctos esse Sulpiciam et Cerinthum non a Iunone sed a Venere carmen VII indicare. In eo quidem non gravius haeserim quod ipsa coniectura criticus hunc commodum transitum parat: qui ut statuatur vix opus est Iunonem in fine iterum invocari, cum brevissimum carmen quo toto Iunonem[1]) Tibullus precatur facile per se ipsum ita ut vult Gruppius carmini VII opponi potuit — si necesse erat. Namque elegidio VII, quippe quod cycli extremum esset, cur Tibullus, epistoliorum argumenta secutus, fecerit Sulpiciam Veneris gaudia exultantem facile intelligitur si respicis quanto ipsa illa scribens epistolia desiderio flagret ut intime cum Cerintho suo coniungatur. Neque iam mirabimur, quod poeta, cum reliqua argumenta morbum Sulpiciae diem natalem Cerinthi alia minora ex epistoliis petita in suum usum converteret et magna ex parte ornaret amplificaretque, id quod puella epistolio XII cum frui posset se neglexisse dicit reapse accidisse Sulpiciam c. VII quam fervidissime pronuntiantem fecit. Sed Gruppius hoc fine non contentus cumulari tantummodo censet cyclum non apte finiri: aliquid quieti expectari, cum non Veneri soli solvenda essent vota sed etiam Iunoni modo vocatae. Quo quidem poetam cum VI scriberet spectantem scite tamen finem non statim adnexuisse sed interposuisse elegidion VII; quod vocat v. d.: *Ueberraschung,* desiderari autem extremum: *Schlussaccord* (l. l. p. 62). Neque enim c. VII, quamquam cupidini, poesi nec mori satisfacere: hunc autem postulare, ut extremo loco nuptiae rite celebrarentur. Et nuptias quidem reapse factas esse, priusquam annus (cf. IV, 6, 19) circumageretur; iterum agi diem Cerinthi natalem cum uxore — Sulpicia scilicet — coniuncti. Tum demum patefieri quid voluerit poeta scribens illa (l. l.) *veniet cum proximus annus:* quae verba languere nisi ipsum matrimonium postea factum esset, et quae legerentur ibidem (v. 20) *hic idem votis iam vetus adsit amor* quam clarissime ea spectare ad verba *vota cadunt* (II, 2, 10): amorem re vera esse *veterem,* sc. cum Cerinthus iam pridem Sulpiciam in matrimonium duxisset. Hoc modo finem (II, 2) ad initium (IV, 2) redire: in quo cum Sulpicia divitiis abundans depingeretur, in fine Cerinthum celebrari, quod amorem uxoris pluris aestimet divitiis itaque gratiam tamquam illi referat debitam quod dives pauperi nupserit. Ita plenam esse cycli symmetriam: Tibullo cum initium ceperit finiendum quoque fuisse. Quo modo cum Gruppius summo cum stupore tironis finem usque quem desideret laudaverit in extrema quaestiuncula (l. l. p. 64) quid hic sibi velit probat his: *Das letzte Stück ist, um*

1) Libenter concedo, si unum c. VI respicimus, elegidii concinnitatem Gruppii coniectura non parum augeri; quae quamquam audacissima et a tradita lectione plus aequo recedens tamen paulum mihi arridet, cum ex ceteris quae lectionem depravatam corruptela emendare cupiunt ne una quidem sententiam aeque probabiliter reficiat. Franckenus (*Mnemos N. S. 13, 1885,* p. 185) de certa emendatione desperat.

dies nicht zu vergessen (!), aus dem zweiten Buche genommen, wohin es sich durch einen eignen Zufall verirrt hatte.

Iam quaeramus num cyclus is quem legimus hoc fine careat. Amores Cerinthi et Sulpiciae matrimonio sanciri potuisse quis neget? Sed ex genere amorum, qui et in epistoliis et in cyclo describuntur, num ansa praebeatur quae ad hunc finem rem ipsam et descriptionem poetae pervenisse ut credatur cogat dubitamus. Sulpicia — praesto sunt et ipsius epistolia et Tibulli cyclus multifariam variatus — Cerinthum summo amore amplexa (maiore certe quam ipsam iuvenis) ut copuletur cum illo flagrat desiderio — non coniugio. Cuius voti, quamquam in promptu esse potuit, in epistoliis ne vestigium quidem extat; et quamquam concedo Tibulli non fuisse argumenta, quae illic suberant, in cyclo describendo in modum servi sequi tamquam ad normam praescripta, sed, ut poetae, utcunque concinnitas rerum et responsio postulabat variare et, quae breviter Sulpicia attigerat, exprimere et effingere, tamen non crediderim in mente eum habuisse, ut quae ad res ipsas pertinebant prorsus ea mutaret ita ut matrimonio amores clauderet. Quaecunque autem ad rem pertinent argumenta — morbum Sulpiciae (XI et IV), diem Cerinthi natalem (VIII IX nex. et V), Sulpiciam fidem Cerinthi suspicantem (X et V(11)), desiderium amoris gaudiorum multis locis — ea ex epistoliis in cyclum transisse patet. Et poeta, nisi sensus me fallit, quaecunque a puella cum cupidine et ardore scripta erant ipsa in ea cycli carmina transtulit quibus Sulpiciam loquentem fecit III V[1]) VII. In his tribus elegidiis nomen Veneris quaeque ad eam pertinent crebro leguntur, cum reliqua II IV[2]) VI

---

1) Ne ea quidem quae leguntur IV, 5, 15 sq.:

sed potius valida teneamur uterque catena,
nulla queat posthac nos soluisse dies,

ad coniugium spectant, praesertim si respicimus ea quae sequuntur:

optat idem iuvenis quod nos, sed tectius optat:
nam pudet haec illum dicere verba palam.

2) Non recte nuper Maehlius vir doctissimus (*Blätter f. d. bair. Gymnasialw. XXIV, 1888 Satura I.* p. 480) statuit hoc carmen in duas partes dividendum esse: IVa: 1—14, IVb: 15—26: altera enim parte responsionem Apollinis contineri. Sed poeta hoc carmine non Cerinthum ab Apolline facit petentem ut puellam morbo liberet, sed ipse petit ab Apolline (vv. 2, 3, 9, 19), ne iuvenem torqueat sed faveat. Atque cum ipso v. 19 Apollo invocetur, quomodo hic alteri isti responsionem Apollinis continenti parti tribui potest? Quare patet illa: *pone metum Cerinthi* (v. 15) quae virum doctum in errorem abduxerunt non Apollinem dicere sed poetam qui monet Cerinthum amantibus deum non iniquum esse. Aegre autem fero quod vir doctus audacissimam coniecturam quae totius cycli concinnitatem et responsionem plane tollit — hoc summum est — nullo modo probavit. Neque vero quod in ipso carmine (v. 23) censet *clarus* scribendum esse cuiquam persuaserit; codices exhibent:

eum Tibulli animum mitem et tranquillum spirare videantur, quem novimus ex eis carminibus quae rura ac fidos amores depingunt. Sulpicia autem non Iunonem sed Venerem usque vocat: quem animi habitum carmine VII quam fervidissime cumulatum si Tibullus re vera carmine II, 2 sat casto et verecundo auxisset, vereor ne cyclum aliena tamquam re admixta inique obscuraturus fuisset et dulcedinem illam quae est in his ardoribus fere diruturus.[1]) Ceterumque quod Gruppius et Teuffelius non desistunt firmare, amores carmine VII clausos moribus prorsus repugnare, religiosius nostrae aetatis modis illas condiciones quae moribus ut tum erant sat firme nituntur mihi videntur metiri. Amores hi, quantum novimus ex carminibus ipsis, fuerunt tales quales sexcenties tum sive publici sive clandestini intercedebant inter Romanas et viduas et nuptas corporis vel animi virtutibus insignes et iuvenes vel Romanos vel Graecos, fueruntque — cum verisimile sit Sulpiciam (de Cerintho non cogitaverim) ne spectavisse quidem id ut in perpetuum cum illo necteretur — satis liberi, qui ut oriebantur ad tempus durabant ita dissolvebantur. Summa autem rei mea quidem sententia carmine VII quam lepidissime describitur a Tibullo: qui, cum Sulpicia questa sit (c. XII) occasionem idoneam se praetermisisse, ita hoc argumentum ipse videtur amplificasse ut quod tum praetermisit iam tenuisse eam fingeret id nimiaque fere voluptate gestientem faceret. Hic est finis post quem vix graviorem, nec vehementiorem nec quietiorem, desideraveris. Hoc carmen ipsius quoque forma quod cyclum determinet aptissimum esse videtur, cum et in fronte sententiam — votorum quasi eventum — exhibeat: *tandem venit amor* et in fine amores verbis insignioribus comprehendat his: *cum digno digna fuisse ferar.*[2]) Itaque necessarii aliquid post c. VII desiderari mihi

---

iam celeber, iam laetus eris, cum debita reddet
certatim sanctis laetus uterque focis.

Iam cum pateat *laetus* quod in hexametro legitur non ferri (neque enim sententiae quae a *celeber* initium capiens gradationem flagitat satisfacit) et error quomodo ortus sit in promptu — oculi librarii ad simile vocabulum pentametri aberrabant — decet splendidissimam Hauptii coniecturam *lautus* recipere, qui meliore quam Maehlius ratione idem praestitit. cf. Vahlen. *ind. lect. Berol. hib. 1886/87* p. 13 sq.

1) Cum ironia Richterus (l. l. p. 2) haec: *Audite vos quicunque amoris praeconia suscepistis quid sequentes verecundiae et pudicitiae speciem servare possitis. Praedicate Veneris gaudia; quamvis delicata, quamvis lasciva sint poemata vestra, si in iustum peccantium coniugium exierint, omnia excusata, omnia sancta erunt!* Tumque ipse (l. l. p. 5) carmen II, 2 huc referri non inepte vetat: etenim si nuptiae ipsae factae essent, iam verisimile esse illae confessiones (epistolia scilicet) non futurum fuisse ut servarentur sed perderentur.

2) Hoc quoque, cum ceterum certum videatur, gravius probat c. VII in cyclo rectius quam in epistoliis Sulpiciae haberi; quae quominus eo quo leguntur ordine VIII—XII scripta esse cum nil obstet sumamus omnia, miraremur si unum VII, finis amorum, in fronte positum esset. Neque

non probatur. Neque vero eae rationes, quas praeterea Gruppius opinatur intercedere inter cc. VI VII et II, 2, si accuratius inspiciuntur, verae sunt; neque enim qui sine ira ad res accesserit si leget verba: *veniet cum proximus annus* postulabit, ut status proximi anni utique ipse in fine cycli describatur, nec quod de hoc statu a poeta certior non fiat moleste feret; talia diebus natalibus non solum a poetis sed ab omnibus hominibus voveri solent: „hodie iam velim quodcunque boni est tibi evenire iamque spero si proximus annus venerit multo meliorem rem futuram esse"; nec habemus, quod, si haec futura condicio non ipsa describitur postea, aliquid deesse statuamus. Teuffelius quoque (l. l. p. 490) opinatus IV, 6, 11 ad c. VII spectare ultra modum coniciendi progreditur; nam ipsa sententia custodes fallendi, quae sexcenties apud Tibullum et poetas qui similia canunt legitur, universior h. l. dicitur quam ut ansam praebeat ad comprobandum voluisse hac transitum parare poetam ad finem; in ipso cyclo alias (cf. III, 16 et 25; V, 7) similia leguntur, quae si ad carmina quae sequuntur (IV et VI) spectare opineris aeque erraveris. Plurimum autem offendit, quod Gruppius vota quae insunt his *hic idem votis iam vetus adsit amor* ad sententiam *vota cadunt* (II, 2, 17) referri iubet; nam patet haec *vota cadunt* ad vota quae in ipso carmine II, 2 voventur (vv. 9 sqq.) pertinere, quae ut satis perspicias non modo non necesse est extrinsecus aliquam sententiam supponere sed etiam ratione caret, ac leguntur similia I, 5, 57, II, 1, 25 quae ad eiusdem ipsius carminis vota pertinent. Ceterum Tibullum, si decorum esse putavisset cyclum carmine nuptiali cumulare, iudico prorsus alium epilogum fuisse compositurum ac II, 2, quod per se non ita nuptiale carmen ut natalicium esse monuimus quodque, cum versus 22 tantum contineat, medium fere (v. 11) legas priusquam noveris Cornuto uxorem esse. Hoc igitur carmen quod cyclum claudat ne aptum quidem est, nec crediderim Tibullum, cum bis argumentum diei natalis (V et VI) adhibuerit, tertium in ipso fine amorum qui rite sancirentur idem repetiisse. Quae his addit Gruppius minoris momenti sunt. Velut si opinatur c. II, 2 finem ad initium IV, 2 redire, cum ratio intercederet inter Sulpiciam puellam divitissimam (IV, 2) et Cerinthum divitiis amores meliores esse censentem (II, 2), respondemus tale nec novum esse nec inauditum apud Tibullum, sed, ut dicam, ipsius poetae rationem vitae beate instituendae saepissime illustratam; et cavere decet ne in coniecturam quippe quae ipsa summa vi nitatur et fundamentis satis lubricis posita sit hoc convertas, quod melius, si recte II, 2 eo quo traditur loco legis, intelliges intercedere inter id ipsum carmen et 3 quod

quod sentit Hillerus (l. l. p. 356) carmen VII (quod scimus eum in epistoliis Sulpiciae habere), quamquam ipsum condicionem carminibus VIII—XII posteriorem illustraret, ea ratione ceteris praemissum esse ab editore quod putasset haec ad summum gaudium amoris carmine VII illustratum omnia referenda esse mihi arridet. At cf. Richter. l. l. p. 2.

sequitur (de hac re cf. p. i.). In c. IV, 2 autem (de quo cf. s. p. 454 n. 2), quamquam amorum mentio nondum fit ipsaque Sulpicia una quam splendidissime celebratur, non haerendum est: neque enim qui cetera III—VII, quibus ipsi amores depinguntur, legit eum fugiet in his quoque Cerintho Sulpiciam diligentia multo maiore a poeta ornatam esse — quod mirum non est cum epistolia Sulpiciae sororis Messallae filiae sequeretur — itaque non modo non reprehendimus sed laudamus quod in fronte cycli IV, 2 Sulpicia quam pulcherrimis coloribus illustratur. Itaque si hoc tenemus, Sulpiciam eam esse ad quam omnia fere spectant in cyclo omnia redeunt, credamus inter IV, 2 et II, 2 — ut finem — in quo nihil fere quod spectet ad uxorem celebrandam legitur eas quas vult Gruppius rationes intercedere? Ne id quidem mihi arridet quod censet criticus responsionem cycli plenam non esse nisi II, 2 adiecto, cum poetam qui coepisset finem facere deceret; nam responsio ea quam in libris manuscriptis legimus ut in carminibus tribus ipse loquatur Tibullus (II IV VI), tribus Sulpiciam loquentem faciat (III V VII) eodem iure et fortasse maiore plena iudicanda est.

Nunc restat ut quaeramus num probabiliter Gruppius et Teuffelius demonstraverint quomodo elegia II, 2 suo loco — nempe eo quem obtinebat olim, ut opinabantur illi, post c. VII libri quarti — moveri et in secundum librum transferri posset; hoc enim gravissimum est.

Ac Gruppius quidem (l. l. p. 75) id tantummodo monet elegiam ex quarto libro eo facilius alio subduci potuisse quia ultima esset. Ultimane? Videmus Gruppium ipsius rationibus ceterum rectis in errorem inductum esse. Namque ex traditionis historia — venia nomini detur — satis apparet (cf. *Stud. Tibull.* p. 68 sqq.) eum, qui secundo fere saeculo alteram editionem Tibulli paravit, quae Tibulli essent quae non essent discernere iam non potuisse et quaecunque ad Tibullum et Messallam pertinere videbantur genuina spuria opinatum Tibulli esse miscuisse; quo factum est, ut haec omnia usque ad hoc saeculum Tibulli nomine circumferrentur neque quisquam ante Gruppium[1]) (quamquam Heynius suspicabatur) conaretur carminum libri quarti II—XIV quae Tibulli essent quae non essent diiudicare. Et si reapse unquam II, 2 post IV, 7 traditum fuisset, non ultimum fuit carmen — cuiusnam rei ultimum, cum de cyclo tum ne cogitaretur quidem? — sed in medio libro positum, in quo utrum alicubi incidendum esset necne ne ille quidem editor intellexit. Gruppius igitur, cum partitionem ab ipso recte factam in traditione ipsa olim in promptu fuisse non recte subintelligeret, quod probaturus erat hoc modo minime probavit. In eum autem quo traditur locum elegiam II, 2 irrepsisse ex eo colligi posse opinatur quod tertia quoque ad Cerinthum (nos *Cornutum*) scripta esset. Sed, ut suma-

---

1) Sicut J. H. Vossius Lygdami elegias et panegyricum Messallae (de quo postea dubitavit) a Tibullo abiudicanda esse recte censuit.

mus II, 2 post IV, 7 re vera olim traditum fuisse, num quid librarium intercedere rationes inter carmina 2—7 + II, 2 et 8—12 ignorantem movere potuit, ut hoc carmen ex media reliquorum 2—12 serie ad quae forma et nominibus accedere videbatur evolsum libri secundi carminibus multo longioribus et ad alias res spectantibus insereret, ea una de causa quod in tertio carmine eandem personam vocari intellegebat? Et cur hoc ipsum elegidion (II, 2) ex quarto libro in secundum tulit, cur non quarti libri aliud quodvis in quo eiusdem Cerinthi nomen legit? Hoc igitur consilium quod vult Gruppius equidem librario non tribuerim. Atque accedit, quod verisimillimum est illum in libro secundo non *Cerinthe* sed *Cornute* legisse, neque credi potest, cum ceterum in edendis carminibus (eis quae tertio manuscriptorum libro continentur) nulla fere ratione uteretur, diligenter eundem secum deliberavisse num qua inter Cornutum et Cerinthum ratio intercederet.

Iam meliore ratione Teuffelius — quamquam ne hic quidem probabilius — Gruppii partitioni adstipulatus quod ille satis demonstrare ne conatus quidem erat id ex manuscriptorum lectionibus variis ut colligeret itaque illius rationes stabiliret operam dedit (l. l. p. 490). Iam recordemur in libro secundo *Cornute* in quarto *Cerinthe* legendum esse; quam differentiam Teuffelius, cum recte probaret, ita tamen in usum suum convertit ut censeret librarium, cum in quarto libro ubique Cerinthi nomen legeret, in uno autem II, 2 (nempe quod legit post IV, 7 traditum!) Cornuti (ita ut in II, 3, 1) offensum nominum quae esse videbatur eiusdem personae varietate, cum non intellexisset hoc esse verum nomen fictum illud, suspicatumque num recte hoc uno quarti libri loco nomen Cornuti legeretur quo aptius transferretur investigantem ante II, 3 posuisse, in quo idem nomen invenisset. Iam videmus quae peccata critici in librarium hominem miserrimum congerant coniecturas vanas stabilire studentes. Haec autem Teuffelii argumentatio, dummodo recte quod demonstrasse mihi videor credatur, nec post c. IV, 7 aliquid desiderari nec Cornutum et uxorem eius cuius nomen ignoramus easdem esse personas ac Cerinthum et Sulpiciam, plane cadit. Et vir doctus ipse huic coniecturae aliquid diffisus esse videtur cum existimet c. II, 2 non simul cum ceteris IV, 2—7 ad epistoliorum normam scriptum esse, sed postea ex artis poeticae rationibus adiectum; quod dubito num quis ei crediturus sit. Hoc modo Teuffelius alia via ac Gruppius ad eundem finem pervenit; quare non iuvat iterum idem refellere.

Alterum igitur exposuimus, probabiliter illos, quo pacto epilogus cycli quem desiderabant suo loco motus et in librum secundum translatus esset, non demonstrasse.

Restat tertium, quod elegia II, 2 ipsa reliquis libri aliquanto minor criticis offensioni fuit. Iam vero si versus numerantur non res perpensitantur nemo non videt II, 2 versuum numero ad elegidia cycli propius accedere, cum secundi libri carmina ter vel quater

immo quinquies tantum contineant. Quam rem — cum Gruppius et Teuffelius quique in horum sententias iuraverunt in suum usum vertere numquam desisterent — equidem existimo similis esse generis atque eam quae pertinet ad totius libri quae dicitur brevitatem.[1]) Neque enim carmen breve quod breve est ex longiorum numero per vim excidere satis est; et reliqua quoque libri carmina ambitu non parum inter se differunt[2]): etenim si omittimus II, 2 videmus c. V (122) bis tantum versuum continere quam VI (54) et IV (60). Omnino, quod maxime monendum est, id critici non satis mihi videntur respexisse, Tibullum scriptorem minimi ambitus minorem praebere copiam quam ut ad analogiae rationes certe metiaris, et aequales qui eiusdem generis poetici plura scripserunt evolvendi sunt Propertius et Ovidius, si interest quam in carminibus in libri formas redigendis elegiaci secuti sint rationem cum probabilitate quadam intelligere. Quos si conferas cognosces non anxie curasse ut elegias, quas uno eodemque libro complectebantur, ambitu redderent aequabiles, longaque breviaque carmina miscere sive forte sive consilio nequaquam dubitasse.[3]) Atque hae virorum doctorum dubitationes, quas ne extrinsecus quidem probari videmus, prorsus labuntur si demonstrari potest et brevitatem carminis ex ipsa re quae depingitur explicari et rationes intercedere inter breve carmen et id quod vel antecedit vel sequitur longius eas, ut si breve eicias conexus quem statuit compositio poetae scite excogitata violenter diruatur. Quod mirum in modum in hanc elegiam cadere patebit. Sed dicunt Gruppius et Teuffelius (l. l.) elegiam eo quo traditur loco et deesse posse et conexum qui interesset inter cc. I et III inique interrumpere. Ac primum quidem quod critici carmen quoddam suo loco movere opinantur licere dummodo exciso eo nil desideretur levis momenti est. Profecto si c. II, 2 hoc loco non traderetur nemo animum induceret ut aliquid excidisse suspicaretur; sed talia ut saepissime a criticis afferuntur ad coniecturam quamvis probandam ita nihil tamen valent. Alterum autem quod dicunt, carmen II conexum qui intercederet inter I et III interrumpere si respicimus, ipsi sibi satis constare non videntur, cum singulas huius libri elegias omnes fere poetae manus extremas expertas esse usque negantes tamen concedant inter universas intercedere rationes scite a poeta excogitatas. Nam patet utrumque adversis frontibus sibi

---

1) De libri secundi Tibulliani minore qui fertur ambitu nuper disserui in *Stud. Tibull.* pp. 58—74.

2) Contra libri primi carmina ambitu aequabiliora sunt, cum brevissimum (VII) vv. 64, longissimum (II) vv. 98 contineat.

3) Velut — ut omittam Lygdamum cuius carmen brevissimum (I) 28, longissimum (IV) 96 versus continet! — Propertius, cum libro IV (V L.) carmina aequabiliora comprehenderet, alias minuta cum grandibus miscuit: cf. II, 1 = 78, 2 = 16 vv., II, 31 = 16, 32 = 62 vv. al.; Idem cadit in Ovidium: cf. Amor. I, 5 = 26, 6 = 74 vv., 8 = 114, 11 = 28 vv.

repugnare, nisi forte quis (velut Gruppius) credit — quod ad hunc librum cuius elegiae sicut primi (cf. *Stud. Tibull.* p. 13) singulae prout res et animus poetam excitabant scriptae sunt non attinet — Tibullum ab ipso initio certo consilio motum complura carmina (ut postea cum cyclum componeret) complexum esse. Hoc igitur si excipimus, consentaneum est scriptores suo quodque carmen tempore quantum possunt polire et tum demum, si in eo est ut in libri formam plura redigant, curare, ut quibuscunque rationibus ordinent. Quod quidem operis negotium extremum Tibullus tam splendide praestitit itaque singula carmina ipsa perpolita comprehendit ut si quis nuper a me non satis comprobatum esse moneat iam iterum et gravius certiusque appareat editionem libri secundi non cuivis editori sed ipsi Tibullo deberi.

Compositionis autem si non omnia, permulta tamen adhuc vestigia in promptu sunt. Quam si recte perspicere volumus non licet modo aliunde petito metiri, etenim qui fecit C. P. Schulzius[1]) vir de elegiacorum interpretatione meritus rei aliquid nocuisse videtur, sed elegiae ipsae per se examinandae sunt num qua consilia communia sequantur. Iamque apparet libri secundi elegias facile (multo facilius quam primi) ad certas rationes ordinari potuisse. In libro enim primo carmina decem quae insunt variaque argumenta tractant (cf. *Studia Tibull.* p. 72 sq.) nec in universum, qua ratione disposita sint si omittimus carmen I cum tamquam poetae rustici tamquam modum vivendi illustret Deliaeque et Messallae mentionem faciat fortasse non sine consilio in fronte positum esse aeque ac X in fine, probabiliter statui potest nec, quod maxime dolemus, constat cur elegiae in Deliam scriptae cum re artissime cohaereant ordine qui temporibus parum respondet segregatae sint, quamquam haec quoque omnia consilio certo, quod nunc obscuratur, digesta esse persuasum habeo: neque enim Tibullus, ut poeta elegantissimus, satis habere potuit quae usque ad autumnum a. 727/27 scripserat temere contexere, sed intererat ad rationes nescimus quas digerere aeque ac

1) Hic enim demonstrare conatus est (*Ueber d. Prinzip der Variatio b. d. röm. Dichtern. Neue Jahrbb. f. Phil. 1885* p. 857—879) Tibullum in primo libro varietatis rationes secutum esse. Quas quam lubricum esset adhuc satis certo statuere cum monuerit Reischius vir doctissimus (*Wiener Studien IX (1887)* p. 30 et n. 13) nuper Magnus vir de his studiis meritissimus (l. l. p. 217) denuo recte exposuit, neque habeo quod his addam. Itaque si iam constat in ipso libro primo Schulzii coniecturas (velut eas quae spectant ad c. V quod inscribit: *Delia und Messalla*) probabilitate carere, eo minus probamus quod vir doctus, earum rationum quas in libro primo sibi demonstravisse videbatur vestigia in secundo frustra quaerens, opinatur (l. l. p. 864) hac quoque de causa sumendum esse librum secundum ut a moriente Tibullo destitutum ultimas curas desiderare. Cf. Magnus, *Jahresb. d. philol. Vereins (ZfdGW) IX (1883)* p. 287.

postea carmina libri secundi. Cuius libri elegiae sex ut numero minores ita varietate illis paulo inferiores sunt; quamobrem non vitupero poetam, sed monuerim hac ipsa re facilius quae disponenda erant ea poetam disponere potuisse. Scripsit Tibullus non multo post libri primi editionem (cf. *Stud. Tibull.* p. 26) *Ambarvalia* (c. I); ceterum — ut h. l. c. II omittam — omnem suam mentem et cogitationem in Nemesim quam post Deliam adamaverat conferebat adeo, ut ne in c. V quidem quod aliis de causis scripsit ut illam silentio prorsus praeteriret a se impetrare posset (cf. i. p. 467): amat Nemesim poeta, frustra amat canitque ut avaram aliique amatori deditam. Sensus autem qui ex hoc amore orti sunt quattuor carminibus III IV V VI inde a precibus mollibus usque ad summam desperationem illustravit, toto semper pectore rebus deditus, super modum fere non raro excitatus[1]; quod satis superque apparet ex eis, quae supra de singulis carminibus disserui.

Ac primum quidem patet id carmen ex quo liber initium capit consilio positum esse suo loco. Quid enim ad Tibulli naturam accommodatius, quam vitam rusticam canere, qui cum librum primum duobus circumcinxerit carminibus, quae huius vitae gaudium patefaciunt, alterum librum editurus vix habuit ex quo aptius carminum ordinem inciperet quam Ambarvalium descriptionem lepidissimam. Et accedit quod Messalla fautor potentissimus in hoc ipso carmine cum vi quadam invocatur. Quod carmen ut loco ita tempore primum libri locum tenere apparere mihi videtur, non solum ex eo quod Messalla paulo ante ab Aquitania triumphaverat (*Stud. Tibull.* p. 26) sed etiam quod Nemeseos nondum fit mentio (ibid n. 1). Carmina autem III—VI qua ratione ordinarentur tum res ipsae quae insunt significabant. Quae quidem poeta cum elegiae quae ad alias res pertinerent excepta II iam non extarent — aliter in libro primo — ne potuit quidem alienis interrumpere. Et sive credis quaecunque de Nemesi his carminibus quattuor dicuntur orta esse ea ex veris vitae Tibulli condicionibus sive prorsus vel magna ex parte fictis, id tamen certum est sententiarum progressum, quae subest fictioni poeticae, paullatim fieri inde a III usque ad VI. Qui clarissime intercedens inter III et IV adeo adhuc intelligitur ut etiam ii qui ubique negligentiae vestigia odorabant concedant. — Iam quae insint in his duobus carminibus cum supra accuratius quaesiverimus breviter comprehendamus et iuxta ponamus ut rationes illae eo clariores fiant.

C. III: Nemesis a divite amatore rus abducta est; poeta ut est illi deditus vovet se secuturum esse ut serviat sicut olim Apollo —

---

1) Licetne Horatii (epp. I, 4, 12 sq.):

> *inter spem curamque, timores inter et iras*
> *omnem crede diem tibi diluxisse supremum,*

ad hos amores Tibulli referre?

etiamsi fabula nunc sit. Hoc *nunc* (v. 31) movet poetam, ut vilia studia quae ipsius saeculum occupant iniquo animo illustret. Qui paulum subsistens, cum ne Nemesim quidem ab his studiis abhorrere intelligat, animum inducit ut divitias ipse modo repudians exoptet quibus illam ornet: quod iam fieri non posse, cum illa amatorem alium rus secuta sit, recordatus rura devovet ne quid fructus ille ex eo capiat et priora saecula inculta recuperat, cum culta ipsum minime iuvent Nemesi malevola: cui tamen vovet semper se serviturum in fine ad initium rediens.

C. IV: Servitio teneor a domina admodum tristi: quo cum ne carmina quidem pecuniam illa usque flagitante liberare valeant iam velim abeatis, Musae: divitias peto quas quin violenter rapiam ne ex templis quidem deorum imprimis Veneris quae rapacem puellam mihi dedit dubitabo: heu qui pretiosas res primum legit puellisque causas avaritiae ita dedit, heu qui deus formam ita ut Amor nunc infamis esset: summo odio sequar eas qui divitiis irretitae fidum amatorem despiciunt, at quae bonae sunt puellae eae summis velim laudibus efferantur — quae tamen omnia non iuvant: Amor me retinet, quaecunque mihi sunt in usum Nemeseos vendam et venena quaevis dummodo placido vultu illa me adspiciat bibam.

Quis non animadvertit miram quae extat inter utrumque carmen similitudinem? Perfida est Nemesis; in divitias quae eam moverunt summum odium confero — neque tamen ut amoris stimulum eiciam a me impetro: amor fidus Tibulli describitur qui facile, ut in animo excitato, in odium transit tamenque usque in amorem recurrit. Ex eodem igitur animi habitu utrumque carmen proficiscitur miro modo refulget ipsius poetae animum inter amores et odium nutantem in eundem habitum redit. Sed haec similitudo, ut carminum quae iuxta posita sunt, non modo non moleste fertur, sed poeta varietate delectans ne satis quidem habuit argumenta quae in c. III illustraverat aliis, ut potuit, verbis repetere in IV: immo scite quae illic attigerat diligentius hic exposuit, sensus illic excitatos hic ardentes, verba acria vehementissima reddidit, progressus — ut paucis dicam — omni modo efficaciores effecit. Quod primum in utriusque frontibus optime discernes: in elegiae III initio vovet Tibullus rus se abiturum ut illi serviat velut olim Apollo deus amore motus; hic animus est qui libenter ac laete labores subeat. In IV autem in medias res inducimur: adest quod appetivit servitium, sed tristissimum et prorsus irritum ita ut liberari cupiat poeta aerumnasque his comprehendat acerbissimis: *illa cava pretium flagitat usque manu.* In III legimus poetam quamquam Apollinis servitium fabula iam sit tamen non dubitare quin huius exemplum sequatur, in IV ipsas Musas cum nil se iuvent abire iubet. In III aetatem quae praedam sequitur Tibullus uno tenore sex distichis describit, in IV eandem sententiam orationis forma magis varia (v. 27 sqq.) oppositionibus acerbioribus efficaciorem reddit et pulchritudinis, ut infamis Amoris causae, argu-

mento adiecto scite auget cumulatque. Qui cum in III ipsius divitiarum studium quibus illam ornet votis ut dicam levioribus illustret, in IV ad eam iracundiam rapitur ut per caedes et facinus dona sibi paranda esse dicat ipsiusque Veneris ut causae *rapacis* puellae templa pretiis se spoliaturum esse minetur. In III quod dolet avaritiam Nemeseos simpliciter comprehendit his *heu heu divitibus video gaudere puellas,* in IV adeo auget sensus ut puellas eas quae auro irretiantur devoveat tribus distichis et tantidem bonae puellae laudes, aversam tamquam frontem, opponat. Unum argumentum amatoris istius rurisque devotionis quod legitur in III non invenitur in IV; nec mirum, cum carminis III condicio quae in fronte indicatur *rura meam, Cornute, tenent villaeque puellam* videatur poscere ut accuratius suo loco explicetur: quo factum est ut amatoris qui eam abduxerat mentioni ruris devotio adiungeretur; quod in IV non cadit. Itaque poeta cum in III (velim etiam respiciatur transitus similitudo quae intercedit inter III, 59 et IV, 51) post haec interposita in fine (v. 77) paucis ad initium redeat, in IV eandem sententiam ad v. 50 ipsum adnectens paulo copiosius illustrat et rebus quae insunt epilogum elegiae quam gravissimum reddit. Similitudo autem carminum non modo in animi habitu et progressu sententiarum posita est; sed poeta cum in utriusque finibus ad initia similia recurreret aptum quoque et commodum transitum a tertii epilogo ad quarti initium paravit eum ut quae forma duo sunt carmina sententiis in unum fere coalescant.

Gruppii igitur dubitationibus ne speciem quidem probabilitatis tribuerim opinati hanc IV elegiam in medio libro (nempe II eiecta) positam breviorem esse et argumenta non ita variata exhibere (l. l. p. 100); etenim ut concedat aliquis quod hic statuit elegiam II alio transponendam esse et reapse elegiam IV mediam binis elegiis I III et V VI utrobique circumcinctam[1]) fuisse, ideone quod media est haberemus quod amplioris ut sit ambitus postularemus? Quae coniectura nititur non parum ea opinione — quam falsam esse compertum habemus (cf. *Stud. Tibull.* p. 13 et supra p. 462) — Tibullum ab ipso initio scribendi certum consilium libri describendi cepisse; cum id unum credi possit eum ad digerendi rationes tum demum spectavisse cum omnibus elegiis ad quas animus excitaverat scriptis id ageret ut publici iuris faceret. Argumenta autem elegiae IV va-

1) Numerum quinarium Gruppius, ut de analogiis nunquam incertus, cum fabulae actibus quinque comparat. Tales autem analogiae quales qui quaesiverit cuilibet numero facile inveniet ad incertam coniecturam comprobandam nil valent. In Propertii quoque et Ovidii carminibus interpretandis Gruppius numerum quinarium, quem vocat *Normalzahl* plus aequo in suum usum convertit (cf. l. l. pp. 286, 366, 376, 378). Sed mihi numerare testes, quod plerique solent, multo inferius videtur negotium esse quam pendere; neque enim ex numeris si res obstant maiorem salutem petiveris. Quod mirum in modum attinet ad Tibulli libri secundi elegias.

riis coloribus quos desiderat Gruppius carere vix quisquam putaverit et si putet respondendum est, res quae hoc carmine describuntur per se non tam apte intelligi et explicari quam si cum eis quae in III leguntur eodem iudicio spectantur. Eadem de causa id refellitur quod conicit Gruppius (l. l.) Tibullum, si librum ipse edidisset, frontem huius (IV) quoque elegiae nomine amici cuiusdam ornaturum fuisse; vir doctus enim, cum censeat (l. l. p. 75) quattuor huius libri elegias ad amicos missas esse, I ad Messallam, II (i. e. III) ad Cerinthum (nos *Cornutum*), IV (nos *V*) ad Messalinum, V (nos *VI*) ad Macrum, in III (nos *IV*) nomen amici desiderans suspicatur hoc quoque probare Tibullum librum ipsum non ita ut par erat expolivisse. Ac primum quidem v. d. harum elegiarum naturam non recte mihi videtur perspicere, cum dicat eas ad amicos missas esse. Neque enim quod in omnibus libri huius elegiis talia nomina leguntur ita accipiendum est semper (scilicet praeter II III V) ut credas universas elegias amico cuivis dedicatas esse. Velut c. VI Tibullus ad Macrum (de quo quae adnotant veteres interpretes merae fere coniecturae sunt) non misit, sed, quod ille amoribus nescimus quibus relictis castra secutus erat, id argumentum scite in sententias suas ita convertit ut ipsius miseras condiciones ex eo adnecteret.[1]) Et mira profecto nobis videtur esse ea dedicatio quae Macrum ne alloquatur quidem! Idem cadit in c. I. In quo cum Tibullus Ambarvalia varie illustraturus et quidquid vim argumenti augeat allaturus in aliis agricolas Messallam triumpho celebrem salvum esse faciat iubentes, summam rei ei mihi videntur obscurare qui, cum picturam quid sibi velit non percipiant nisi lignea forma inclusam, ex his colligunt elegiam ad Messallam scriptam esse. Iam nemo offenderetur si in hac elegia, quam diximus per se aptissimam esse quae frontem libri ornaret, nomen Messallae non legeretur; sed facultate data (cf. *Stud. Tibull.* p. 26) Tibullus nil habuit antiquius, quam ut fautorem benevolentissimum — in transcursu — laudibus efferret. Cuius similiter mentionem fecerat I, 5, 31: hoc quoque loco haec mentio id tantum respicit ut color descriptionis augeatur; fingit poeta qualis futura sit vita rustica sibi et Deliae: hanc domui praefuturam esse, cunctos recturam, muneribus domesticis functuram — Messallae denique si hospes quando devertisset dulcia poma praebituram; quod qui censent argumentum esse elegiae (velut Schulzius l. l. inscribens: *Delia und Messalla*[2]) cf. s. p. 462, n. 1) quid intersit non recte diiudicant. Omnino Gruppius, quod dicit in secundo libro personas advocari prorsus aliter atque in primo, discrimen quod inter utrumque intercedit non recte perspicit: quod equidem puto non positum esse in hac formae

1) Veri non dissimile est Macri personam a Tibullo plane fictam esse ut ipsius condicionis miserae descriptio oppositione efficacior fieret.
2) Propositum elegiae significare non licet nisi ita: „Dives amator Deliae et Tibulli amores perdit“.

ratione, sed — praesertim si confers Deliam et Nemesim utriusque tamquam nervos — in rebus. Res autem si respicimus et usum descriptionis negari non potest, alieno nomine in fronte c. IV adiecto conexui, quem demonstravimus intercedere inter hoc et c. III ad Cornutum quod missum est, magis noceri magisque mali afferri quam boni.

Rationes aeque intimae atque inter III et IV non intersunt (quamquam non plane desiderantur) inter IV et V. Cuius ad eam tantummodo partem nobis placet accedere, quae ad Nemesim pertinet. Pauca sunt haec:

105 *pace tua pereant arcus pereantque sagittae,*
Phoebe, modo in terris erret inermis Amor.
ars bona: sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,
heu heu quam multis ars dedit illa malum!
et mihi praecipue. iaceo cum saucius annum
110 *et faveo morbo, cum iuvat ipse dolor,*
usque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
verba potest iustos aut reperire pedes.
at tu (nam divum servat tutela poetas)
praemoneo, vati parce, puella, sacro,
115 *ut Messalinum celebrem sqq.*

Carmen V, si universum respicis, natura prorsus aliud est ac III et IV; sed poeta quin in transcursu (ne quid sensus elegiaci desideretur) ipsius amorem attingat facere non potest. Hoc modo „elegia" perfecta fit.[1]) Neque tamen Tibullus hoc argumentum quod ad ipsum attinet per vim adigit sed cum eis quae antecedunt et quae sequuntur apte coniungit.[2]) Iam legens *iaceo cum saucius annum* (cf. *Stud. Tibull.* p. 56) *et faveo morbo, cum iuvat ipse dolor, usque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus sqq.* quis non meminit condicionum quae carminibus III et IV illustratae sunt? Sed hi versus illis animum multo placidiorem (quod ex natura totius carminis facile intelligitur) mitioremque spirant, quique tum fuit ardens et iracundus, hic est moderatior. In IV cum nec carmina nec Apollo iuvent Musae abire iubentur, hoc loco puella ut parcat rogatur et monetur deos (nempe Apollinem praeter ceteros, quem in ipso hoc carmine poeta imprecatur) poetis favere. Multo artius cc. V et VI conectuntur, dummodo exploratum habeatur VI ut ordine ita tempore posterius esse. Nuper enim Doncieux (l. l. p. 85 sq.) ductus ista opinione (l. l. p. 78) carmen V esse inconditum id extremum rectius habendum esse demonstrare conatus est; qui censet fugere non posse cognationem quandam extare inter cc. I et V, et Tibullum id respe-

1) cf. Lachmann. l. l. p. 156: *Kunstzweck ... ein Fest- und Ehrengedicht in der Form eines Gebets, aber aus elegischer Stimmung, d. h. aus einer subjektiven Stimmung des gegenwärtigen Lebens.*
2) Hoc aptissime exposuit Leo l. l. p. 15.

xisse ut prima et extrema elegia accuratius sibi responderent: illic Ambarvalia hic Palilia celebrari, utrumque ornatum esse Messallae invocatione, in utroque de amoribus pauca et eisdem fere verbis (conferri iubet I, 70. 79. 81 cum V, 105—109) expressa esse, utrobique vix Nemesim apparere. Quae tantum abest ut quod volunt probent ut significent quo, qui plus aequo extrinsecus res assumunt, deducantur. Ac primum quidem si respicitur quomodo in utroque Messallae mentio fiat, in transcursu videlicet, vix credi potest hanc normam fuisse elegias in libri formam redigendi. Profecto si Messallae ipsius invocatio in utroque summum argumentum describendi esset intelligeremus, hoc poetam movere potuisse ut librum utrobique similibus carminibus circumdaret. Tum monendum est Ambarvalium descriptionem summam esse rei in I, Palilium in V unum argumentum e multis. Denique quod dicit vir doctus in utroque pauca de amore i. e. Nemesi tradi minus definitum est quam ut legem ordinandi merito voces; et accedit quod amores qui quamquam parce depinguntur ne iidem quidem sunt, quod plerique opinantur, sed diversi, cum nil cogat ut de Nemesi ipsa in I cogitetur (cf. *Stud. Tibull.* p. 26 n. 1). Hoc igitur modo non probatur elegiam V extremam esse. Immo si naturam carminis VI recte intelligimus iam apparebit id ordine et tempore extremum locum tenere. Haec autem elegia similem habitum animi spirat ac III et IV, sed, in initio, paulo vehementiorem. Tibullus enim cum in III et IV quamquam de successu fere desperans usque pronuntiet se iam conaturum esse puellae gratiam quocunque modo sibi conciliare, in VI ipso exordio velut Macer qui amore relicto arma secutus sit ita ipse profitetur se iam avaram puellam deserturum. Sed novimus Tibullum minari, ut perficiat tamen a se non impetrare. Haec autem scripta sunt non modo post cc. III et IV, sed etiam post V. Imprimis vv. 13 et 19 sive veros amores putas describi sibi fictos videntur significare ad extremum rem pervenisse spemque recuperandae puellae plane evanuisse i. e. carmen esse libri extremum. In V petit poeta a puella ut sibi parcat, in VI videmus denuo eum torqueri denuoque — petere. Atque Tibullus, ut est poeta elegantissimus, non ita facit finem ut flebiliter queratur minaciterve exsecretur quod puella aditum nunquam permiserit, sed (similiter ac in V libri primi quod eorum carminum quae in Deliam scripta sunt priusquam nuberet ultimum est) in lenam culpam et devotiones ingerens ipsam puellam bonam esse profiteatur. Ita concludit. Hunc igitur finem vere poeticum cave ne per vim adimas; namque si c. V ultimo loco ponitur vv. 105—115 inique claudicant. Poeta autem, quod in exeunte c. V ipsius amorem attingit et VI ab eodem initium capit, et transitum aequum paravit et utrumque carmen simili vinclo quamquam non aeque firmo ac III et IV conexit.

Haec duo igitur tamquam paria III IV et V VI iam teneamus eodem quo leguntur ordine scripta esse et iuxta posita a Tibullo.

His expositis quid de c. II iudicandum sit facilius perspiciemus. Cuius cum non offendat per se ambitus minutus argumento quod tractatur videtur servire. Carmen est natalicium, nil aliud; et utile est carmina solemnia talia quam scite Tibullus suae quodque personae accommodaverit diiudicare; praesertim si conferuntur I, 7 et II, 2. Tum fautoris potentissimi qui modo triumphavit dies natalis movet poetam ut canat; qui a die ipso initium capiens aliquantum digreditur ad terras in quas ille bella gerens venerat — imprimis Aegyptum — illustrandas itaque per Osirim ad genium natalem (v. 49) invocandum accedens argumentum initii recipit. Cuius carminis si totam partem mediam excideris eadem fere argumenta invenies atque in II, 2: cf. 7, 49—53 cum 2, 1—8; 7, 55. 56, 63. 64 cum 2, 21—22[1]); neque enim habuit Tibullus quod aliunde petitum Cornuto dedicaret, neque vero opus erat. Grande illud ut ad fautorem missum, lepidum hoc ut ad carum amicum non ita spectatum rebus gestis. Ad quem quid potuit sincerius comiusve mittere, quam haec pauca sed ex animo amicissimo orta quae pertinent ad familiam? Plura hic offenderentur, brevitas decet scriptorem, iuvat eum qui accipit. Quod carmen natalicium quo tempore scriptum sit certius ex quo colligamus non habemus; sed nil obstat quin quo loco legitur eodem aetate optime poni — sicut reliqua carmina libri — sumamus. Exploratum autem habeo Tibullum cum librum in publicum emissurus esset quo hoc elegidion insereret deliberantem locum eligere vix potuisse aptiorem quam qui est inter I et III. Sed in contrariam partem affert Gruppius (l. l. p. 68, 74 sq.) conexum quem opinatur intercedere inter I et III interposito II inique interrumpi: poetam enim cum in elegia I Nemeseos nomen nondum commemoraret ad Amorem tamen in fine transisse consulto ut initium elegiae III *rure meam, Cerinthe* (nos *Cornute*), *tenent villaeque puellam* eo efficaciorem redderet. Quae profecto coniectura primo obtutu arridet, sed primo. Namque iterum supponit v. d., quod non rectum esse supra saepius monuimus, Tibullum cum scriberet singula carmina ab initio ipso certo consilio libri redigendi ductum esse itaque cum scriberet finem carminis I iam de initio III cogitasse. Et patet Gruppium non parum ob eam causam ad hanc opinionem refugisse ut haberet quo carmen II quod eiecit re vera suo loco non positum esse probaret. Hoc autem multifariam repudiatum suo loco non modo non offendit sed bene positum est. Iam vidimus III IV et V VI artius cohaerere; inter haec igitur secundam elegiam interponere aequum non fuit; neque aequius inter IV et V, cum poeta non haberet quod elegiarum quae ad Nemesim pertinebant ordinem aliena interrumperet. Neque vero quisquam existimaverit elegidion aptum fuisse quod frontem

---

1) R. Richterus (l. l. p. 5 sq.) quod Tibullus ex c. 7 non pauca huc transferre non dubitavit id levitatis cuiusdam et incuriae esse non recte censet.

vel finem libri ornaret. Restat igitur locus qui est ante III. Quae elegiae non modo quod Cornuto dedicatae sunt extrinsecus continentur, sed etiam rebus ipsis quae illustrantur oppositae esse videntur. Quod egregie nuper coniecit Magnus vir humanissimus (l. l. p. 218), cui plane assentior. Etenim si cogitamus in II laudari amores qui intercedunt inter uxorem et Cornutum divitias inferiores esse censentem intimos, in III vice versa Nemesim depingi quae pauperem quamquam fidum amatorem repudiat divitiis irretita patet haec non sine consilio opposita[1]) esse a Tibullo qui reliqua quoque carmina apto ordine nexerit. Et hae quidem rationes multo probabiliores sunt eis, quas statui iubet Gruppius inter IV, 2 et II, 2 post IV, 7 transpositum. Elegia autem hac excisa aliquid deesse videtur quod cognitionem subtilem et acutam offendat. Neque enim nisi hoc modo intelligitur, cur Tibullus eidem Cornuto (quod Gruppius percipere non potuit) carmen III, quod ipsius aerumnarum descriptionem tenet, dedicaverit: „tu amores uxoris pluris aestimas divitiis (c. II), iam accipe Nemesim fidum me auro corruptam destituisse (III)." Id unum viro docto concedimus, cc. I et II non tam intime cohaerere quam II III IV et V VI; quod tamen illius coniecturam non probat, si tenemus c. I propter se ipsum aptissimum fuisse quod primo loco poneretur.

Ad finem disserendi pervenimus. Illis autem criticis qui haec studia ea ratione iuvaverunt et iuvant ut non specie decepti coniectandi libidine plus aequo ducantur sed ea quae tractaturi sunt sine ira et studio perspicere atque intelligere studeant, si non inutile ipsum videbitur quod carmina haec Tibulliana a multis temptata defendere conatus sum non iniquo animo accipiam. Quae, si re vera ita ut demonstrasse mihi videor bene composita ipsa sciteque in libri formam redacta esse iudicabuntur, multum haud scio an valeant ad eam quaestionem, quam nuper institui, non probandam, sed firmandam: Tibullum ipsum munus libri secundi edendi subisse. Iam non paenitet me quod tot quaestionum et quaestiuncularum, quae alias atque ego rationes secutae erant, mole congesta plura mihi accusanda quam probanda fuerunt; quod fert natura rei. Id autem vel ex perversissimis etiam atque etiam disco non interesse ut rationibus extrinsecus petitis iisque non raro primum intuenti splendidis inserviatur, quod fieri non potest nisi summo cum rei detrimento, salutemque non peti nisi ex eo ut ipsae res aequo animo percipiantur explicentur adhibeantur neque quidquam praetermittatur quod ad hanc rationem pertineat. Commodius quidem illud, quod specie quadam non paucis arrideat: utilius tamen hoc, quod nil nisi rem iuvet.

1) Vix igitur crediderim Richterum, si — ut par erat — existimasset librum secundum a Tibullo editum esse, verba facturum fuisse haec (l. l. p. 6): „si ipse collecta sua carmina foras edidisset, vix dubitaverim quin viliorem hanc chartam (II, 2) intus fuerit retenturus".

Conspectus.

Conspectus locorum.

1. Rebus invitatus disserui de his:

2. Attinguntur vel laudantur haec:

a. Tibulli:

b. Aliorum scriptorum:

AGRIPPA UND AUGUSTUS

ALS

QUELLENSCHRIFTSTELLER DES PLINIUS

IN DEN

GEOGRAPHISCHEN BÜCHERN DER NATURALIS HISTORIA

VON

OTTO CUNTZ.

Gomperzi restitutio probabilis non est, vir doctissimus, qua est moderatione, ipse verba εἶναι et θείαν dubitanter proposuit. nullo modo fieri potuit, ut Metrodorus affirmaret omnes concretiones rerum κατ' ἀριθμόν indelebiles esse. nam si Epicurus hunc terminum ab Aristotele accepit, id quod certum videtur, omnes fere res singulae κατ' ἀριθμόν subsistunt (cf. Hirzeli quaest. I p. 54 sq.), quas omnes perire Epicurei mordicus contendunt. Hirzelius, qui in prima parte quaestionum de Ciceronis scriptis philosophis p. 46—84 locum obscurum Ciceronis de nat. deor. I, 19, 49 sq. sagacissime explanavit, recte, ut puto, (p. 73 adn. 1) suspicatus est ad interpretandum nostrum locum scholion ad Epicuri primam κυρίαν δόξαν usui esse. quod scholion Usenerum secutus (Ep. p. 71, 8 sqq.) sic lego: ἐν ἄλλοις δέ φησι τοὺς θεοὺς λόγῳ θεωρητούς, οὓς μὲν κατ' ἀριθμὸν ὑφεστῶτας, οὓς δὲ κατὰ ὁμοείδειαν ἐκ τῆς συνεχοῦς ἐπιρρύσεως τῶν ὁμοίων εἰδώλων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτετελεσμένους[3]), ἀνθρωποειδεῖς[4]). recte, ut mihi quidem videtur, contendit Hirzelius Epicurum duo genera a Cicerone quidem l. l. confusa statuisse, quorum alterum ex Democriti de simulacris doctrina fluxit (v. Hirz. l. l. p. 73 sqq. cf. Ep. Us. fr. 352 p. 237, 28—238, 11). cuius partitionis deorum apud Aetium quoque vestigium extat Aet. I, 7, 34 p. 306 D. (Ep. Us. fr. 355 p. 239, 11) Ἐπίκουρος ἀνθρωποειδεῖς μὲν τοὺς θεοὺς λόγῳ δὲ πάντας θεωρητοὺς διὰ τὴν λεπτομέρειαν τῆς τῶν εἰδώλων φύσεως, nam cur additum sit verbum πάντας, nisi Epicurus complura deorum genera distinxit, non video. in nostro Philodemi loco non generaliter de concretionibus agi certum est (v. supra p. 541 sq.), de deorum concretione agi ex ipso Philodemei libri titulo conicere licet. puto igitur recte me restituisse καί φησιν θε|ῶν σύνκρισιν τῶν γε | κατ' ἀριθμὸν οὐ μόν|ον ἄφθαρτον ἀλλὰ | ἀιδίαν. totum locum sic vertam: „Metrodorus quoque in libro, qui inscribitur de mutatione, talem statuit distinctionem et dicit deorum concretionem, qui quidem ad numerum subsistunt, non solum indelebilem sed sempiternam." verbum θεῶν bene quadrat ad lacunam, primae litterae θ lunula extat in apographo, item γε et ἀιδίαν lacunas explent. lineolis indicavi, quas litteras singulis versibus tribuam, quia Gomperzius versuum fines non recte terminasse videtur. quanto latius pateat vox ἀίδιος quam ἄφθαρτος docet scriptor Platon. defin. 1 p. 411 A Ἀίδιον τὸ κατὰ πάντα χρόνον καὶ πρότερον ὂν καὶ νῦν μὴ ἐφθαρμένον.

Conicere licet vocabuli συγκρίσεως notionem apud Metrodorum fluctuasse, vide Philod. de sanct. VH² II f. 118 p. 134 G. l. 8 κἂν ἐξ ὑπερβά[σεως] τῶν μεταξὺ.... [τ]ὴ[ν] κατ' ἀριθμὸν [σύν]κρισιν ὅτὲ

1) ἀλλὰ καὶ θείαν Gomp. 2) μὲν οὖν sive μέντοι Gomp. 3) ἀποτετελεσμένων Hirzelius cum codicibus 4) ἀνθρωποειδῶς Hirzelius, ἀνθρωποειδ . . ς cod. Par.

μὲν [τὴν ἐκ τῶν] αὐτῶν καλε⟨ῖ⟩ν [ὁτὲ δ]ὲ τὴν ἐκ τῶν [ὁμοίων(?)[1]), unde cognoscitur Epicureis ab adversariis inconstantiam in usu termini cύγκριcιc κατ' ἀριθμόν obiectam esse. haud scio an recte vituperati sint Epicurei, nam cum et contenderent deos ex atomis constare (vide Ep. Us. fr. 352 p. 238, 3 sqq., fr. 354 p. 238, 18 cum eis locis, qui in adnotatione ad p. 238, 21 referuntur) et omnes concretiones dissolvi censerent (v. Ep. ep. I, 40, fr. 282 p. 202, 8, Lucr. I, 518 sq.), facere non potuerunt quin ad tuendam deorum aeternitatem alteramutram sententiam arteficiose interpretarentur. de deorum aeternitate enim Epicurum vel discipulos clam adversariis quidquam detraxisse vix credam (cf. Ep. ep. III, 123, sent. sel. I cum eis locis, quos Usenerus in subsidio interpretationis ad l. l. adnotat).

Philodemus de sanctitate VH[2] II f. 122 p. 137 G vide supra fr. 9 p. 541.

XII. Περὶ οἰκονομίαc.

Philodemus de vitiis et oppositis virtutibus VH[1] IIIa p. 53 = Ox. I p. 104 Goettl. p. 64 εἰ δὴ καταμέμψεταί[2]) τιc ἡμῶν περὶ οἰκονομίαc ἀναγρ[α]φ[όν]των, ἡμῖν μὲν ἱκανὸc μετ' Ἐπικούρου Μητρόδωροc ἐπιcτέλλων καὶ παραινῶν καὶ διοικῶν ἐπιμελέcτερον καὶ μέχρι μικροτέρων κα[ὶ π]οιῶν αὐτόc, εἰ καὶ μὴ τὰ[3]) πράγ[μ]α[τ'] ἤπειγεν[4]), ὡc [φα]ίνεται.

Dueningius ex hoc loco collegit proprium librum Περὶ οἰκονομίαc a Metrodoro scriptum esse, recte ut puto (p. 31). enuntiati finis adhuc male habitus est ab editoribus, apographi Oxoniensis auxilio facile sanatur. discimus igitur ex hoc loco Metrodorum rei familiari ipsum bene consuluisse, quamquam res eum non cogebant ad parsimoniam, ut videtur Philodemo. constat sane ex Epicuri epistulis (fr. 122, 138, 177 U.) et testamento, Metrodori liberos summa inopia pressos esse, sed cur Philodemi hominis peritissimi rerum scholasticarum testimonium reiciamus, causa non est. licet conicere liberos civis Lampsaceni ex muliere Attica natos nec iure Lampsaceno, nec Attico heredes legitimos fuisse, ita ut Metrodori res fratri Timocrati obtingerent, quem inimici liberis nimime consuluisse non est mirum.[5])

13. Philodemus de vitiis et oppositis virtutibus VH[1] IIIa p. 39 sqq. = Ox. I, 97 sq., Goettl. p. 57 sq. οἱ δὲ φιλοcοφε[ῖν] φάc[κο]ντεc ἐξὸν λέγειν ἡμῖν, παρ' ἃc αἰτίαc ὁ cοφὸc ἐπ' ὠ[φελεί]ᾳ μάλιcτα κ[α]ὶ κτήcεται καὶ κυριε[ύcει χρη]μάτων καὶ ὅλωc ἐμφαίνειν, ἡ ποία βελτίcτη διοίκηcιc, τοῦτο μὲν οὐ ποιοῦcιν, μόνον δὲ ἐφαρμόcαι ζητοῦcιν ἐπὶ τὸν cοφὸν τὴν τοιαύτην κατηγορίαν καὶ

1) ἄλλων Gomp. 2) καταμέμφεται N. 3) τοπραι ap. 4) ηπ..... N., τὸ πρᾶγμα δήποτε ἄλλωc edit. Neap., τὸ πρᾶγμα δήπου λυcιτελὲc γείνεται Goettl. 5) Neapolitani, quos sequitur Dueningius (p. 10), ex loco male restituto Philod. de morte VH[1] IX p. 1 sq. non recte collegerunt inopes fuisse Polyaenum et Metrodorum. in illo loco, de quo infra (p. 560) agam, omnino neque res familiaris neque Polyaenus respicitur.

τοῦτ' οὐκ ἐπὶ πρόληψιν ἀνάγοντες, ἣν ἔχομεν ὑπὲρ ἀγαθοῦ χρηματιστοῦ ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰς τῶν λέξεων ὁμιλίας ἀποβιαζόμενοι. τὸ παράπαν γὰρ οὔτ' ἐν τοῖς ἄλλοις ἐοίκασιν ἐθέλειν [κα]τὰ τὸ προειρημένον ἀεὶ τοὺς λόγους ὑπὲρ τῶ[ν] ἀγνοουμένων ποιεῖσθαι, οὔτ' ἐπ' αὐτοῦ τοῦ ν[ῦν] ἐνεστῶ[τ]ος, ἀλλὰ δεινο[ί] εἰσιν ὑπὸ τῶν κατὰ τὰς λέξεις συ[νη]θε[ι]ῶν [ἑ]λκυσθῆναι πρὸς [τὰς] περὶ τῶν πραγμάτων ἀποφάσεις κἄπειτα δ' [ἥδον]ὰς(?) ἔχειν ὡς τούς τε πολλοὺς ἐξελέγχο[ντε]ς[1]) ἔνθ' ἂν ἐναντίως [τι αὐτοῖς][2]) κατηγορῶσιν ὑπὲρ τῶν αὐτῶν καὶ τῶν ἀγνοουμένων τι διδά[σ]κοντες, ὅ[π]ερ Ἀριστοτέλη[ς] ἔπαθεν [κατ]ὰ τὸν ἐν τῷ Πε[ρ]ὶ π[λούτου][3]) λόγον ὑπὲρ τοῦ τὸν [μ]ὲν [ἀγα]θὸν ἄνδρα καὶ χρημ[ατι]σ[τὴν] ἀγαθὸν εἶναι τὸν δ[ὲ] φ[αῦλ]ον καὶ χρηματιστὴν [φαῦ]λον, ὡς ὁ Μητρόδωρος [ἀ]πέ[δ]ειξεν.[4])

Totum locum exscripsi, quia inde a τὸ παράπαν Metrodori verba respici suspicor. ut hoc quoque fragmentum libro Περὶ οἰκονομίας ascribam, Philodemi οἰκονομίας definitio me commovet VH[1] IIIa p. 23 Goettl. p. 49: διαλεξόμεθα τ[οί]νυν οὐχ ὡς ἐν οἴκῳ καλ[ῶς] ἔστιν βιοῦν ἀλλ' ὡς ἵστασθαι δεῖ περὶ χρημάτων κτήσεώς τε καὶ φυλακῆς, περὶ [ἃ] τὴν οἰκονομίαν ἰδίως νοεῖσθαι συμβέβηκεν.

XIII. Πρὸς τὸν Πλάτωνος Γοργίαν δύο.

B.

Philodemus adversus? VH[2] I p. 152 vide supra p. 542 ad Μαρτυρίας.

Erat hic liber nonnullis valde suspectus. sed ex eo ipso quod solum alter liber inter scripta dubiae fidei refertur, cognoscitur priorem librum vel ab illo critico genuinum iudicatum esse. non Colotem solum adversus Platonem scripsisse sed etiam Hermarchum testatur Laertius Diogenes X, 25. cf. Cic. de nat. deor. I 33, 93 „istisne fidentes somniis non modo Epicurus et Metrodorus et Hermarchus contra Pythagoram, Platonem Empedoclemque dixerunt, sed meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa est?"

XIV. Πρὸς τὸν Εὐθύφρονα Πλάτωνος.

14. Scriptor incertus Epicureus VH[2] X f. 201 (Ep. Us. fr. 41 usque ad nomen Τιμοκράτους) καὶ ἄλ]λῃ κἂν [τῷ Περὶ ὁ]σιότητ[ος κἂν τῷ] δωδεκάτ[ῳ καὶ τῷ][5]) τρεισκα[ιδεκάτῳ] Περὶ φύσε[ως[6]) κἂν τῷ] πρώτῳ [τῶν Περὶ] Τιμοκρ[άτους]..των[7]), Μητ[ρόδωρο]ς δ'[8]) ἐν [τῷ Πρὸς τὸν] Εὐθύφρο[να κἂν τῷ] Πρὸς Ἀρ[ίστωνα(?) καὶ] μάλιστα....

In hac columna, ex qua Usenerus l. l. complures Epicuri libro-

1) ἐλεγχομένους ed. Neap., corr. Goettl. 2) τούτοις ed. Neap., τι αὐτοῖς Goettl. 3) ἐν τῷ περιπάτῳ διάλογον ed. Neap., ἐν τῷ Περὶ πολιτείας Goettl., Περὶ πλούτου Spengelius Comm. acad. Mon. III p. 449 adn. 4) περίδειξεν ed. N., corr. Goettl. 5) τῷ ego adieci ut lacuna expleretur 6) περὶ συν.. ap. 7) fortasse λόγων 8) ουεν ap.

rum titulos enucleavit, Metrodori quoque scripta commemorari manifestum est, primo loco nominatur liber adversus Euthyphronem Platonis (v. fr. 15), alterius libri inscriptio incerta est, potuit esse Πρὸς Ἀρίστιππον vel Πρὸς Ἀρίστωνα, cum hoc Polyaenus quoque de deorum natura controversias habuit (cf. fr. 8).

15. Philodemus de sanctitate VH² II, 77 p. 107 G. οὕτω δὲ μακρὰν ἀφεστήκασι τοῦ [μ]ὴ τὸν ἀ[γνεύ]οντα λόγον ἐν τοῖς Περὶ θεῶν λέγειν ὥστε καὶ Σωκράτην Μητρόδωρος ἐν τῷ[1]) Πρὸς Εὐθύφρονα τὸν Πλάτωνος, εἴπερ ἐπόε[ι] τοῦτο, καταμέ[μφε]ται.

Verba a Gomperzio edita intellegi nequeunt. quae Dueningius ad ea interpretanda profert (p. 28), ab omni arte grammatica aliena sunt. sanatur locus mutata voce αὐτῷ in ἐν τῷ. ex verbis εἴπερ ἐπόει τοῦτο apparet hunc quoque Metrodori librum nonnullis suspectum fuisse, ut librum alterum adversus Gorgiam Platonis (supra p. 546).

XV. Περὶ πλούτου.

Laertius Diogenes X, 24 supra p. 537.

16. Philodemus de vitiis et oppositis virtutibus VH¹ IIIa p. 23 = Ox. I p. 89, Goettl. p. 49 φι[λοσό]φῳ δ' ἔστι πλούτου μ[έτρ]ον[2]), ὃ παρεδώκαμεν [ἀκολούθ]ως[3]) τοῖς καθηγε[μόσιν] ἐν τοῖς Περὶ π[λού]του [λόγο]ις, ὥστε τὴν οἰκο[νομία]ν τῆς τε τούτου κ[τή]σε[ως κ]αὶ τῆς τούτου φυλ[ακ]ῆς [ἐπιμε]λεῖσθαι(?).[4]) κεῖται τοίν[υν ἐ]ν τῷ Πε[ρὶ π]λο[ύτου] Μ[ητρ]οδώρου τοιαῦ[τ]α πρὸς τ[ὸν τρό]πον ἐν τῷ λόγῳ τῷ π[ρὸς τ]οὺς ἐροῦντας ἴσως, ὅ[τι πολ]ὺ κουφοτάτην καὶ ῥᾴσ[την] οἱ Κυνικοὶ διαγωγὴν [ποοῦν]ται[5]) πᾶν αὐτῶν περι[αιροῦν]τες[6]) εἰς τὸ δυνατὸν ὃ μ[ὲν εὐτ]ελῆ(?)[7]) παρέχει βίον εἰρην[αῖόν τ]ε[8]) καὶ μάλιστ' ἀθόρυ[βον φροντίδα δ' ὥ]ς ἐλαχίστη[ν μόνο]ν[9]) . . [κ]αὶ πραγματε[ίαν.

Neapolitani et Goettlingius legunt μικρὸν, sed neque grammaticam structuram φιλοσόφῳ ἐστὶ πλούτου μικρὸν intellego, neque sententia congruit cum sequentibus. quod ego proposui μέτρον, optime illustratur alio loco eiusdem libri VH¹ IIIa p. 37 Goettl. p. 56 l. 10 sqq., nimiae divitiae perturbant philosophum, modicae iuvant. primum enuntiatum sic vertam: „philosopho modus est divitiarum (quem transire eum non decet) — id quod tradidimus secundum principes scholae in libris de divitiis. oeconomia igitur et ad parandum et ad servandum hunc divitiarum modum spectat.“ τοὺς περὶ πλούτου λόγους non principum scholae sed Philodemi ipsius libros esse docet tempus praeteritum. nam cum in hoc de vitiis et oppositis

---

1) αὐτὸν Gomperzius ex apographo inedito, ἐν τῷ ego conieci. 2) μικρὸν ed. Neap., Goettl. 3) εὐκαίρως Neap., πάντα καθὼς τοῖς καθηγεμόσιν δοκεῖ Goettl., συμφώνως Us. 4) ιδς . σοαι ap., μεταδίδοσθαι ed. Neap., παραδίδοσθαι Goettl. 5) βιοῦνται ed. Neap., corr. Goettl. 6) περιφέροντες Goettl. 7) ἀμελῆ Goettl. 8) εἰρηνικὸν ed. Neap. et Goettl., δὲ Neap. 9) μελέτην ed. Neap.

virtutibus libro nondum eum de hac re egisse certum sit, tempore praeterito ad alia Philodemi scripta reicimur.

17. Philodemus de divitiis VH² III f. 88 col. 6, 10 Καὶ[1]) τὰ παρὰ Μητ[ρ]οδώρῳ δὲ κείμεν[α[2]) ἐν τῷ [Π]ερὶ πλούτου καὶ πᾶν τὸ ὁμοειδὲϲ ἀκ[ολο]ύ[θ]ωϲ δεξόμεθα τὸ προϲδιε[ιλημ]μ[ένον.....

18. Philodemus de divitiis VH² III f. 92 col. 10, 7 αὐτὴν πρὸϲ ἣν εἴπαμεν πενίαν. καὶ παν[θ' ὅ]ϲα[3]) κατη[γο]ρεῖται πενίαϲ ὡϲ ἐλλειπο[ύ]ϲηϲ πλούτου, ταῖϲ ἀληθείαιϲ[4]), ὡϲ ὁ Μητρόδωροϲ ἔφη, καταψεύϲματ' ἐϲτί, κ[αὶ μ]ὰ τὸν Δία[5]) οὐ μόνον ἐπ[ὶ τὴ]ν φύϲιν ἀναφ[ερόμενα...... (v. 18) ἀλλὰ καὶ.....

Initio paginae (v. 5) Μητροδ]ώρου nomen extare videtur. a verbis καὶ πανθ' ὅϲα novum enuntiatum incipere spatium ante καὶ docet. Dueningius p. 30 locum mirum in modum corrumpit.

19. Philodemus de divitiis VH² III f. 98 col. 16 πενί]αν ὀνομάζο[ν]τεϲ [ο]ὐκ ἐκωλύοντο λέγειν κακὸν ὅ[ν]ο[μ]ά[ϲ]αι[6])· οὐδ[ὲ π]αραμυθεῖϲθαι τοῖϲ ἐπὶ ταύτῃ[7]) λυπουμένοιϲ ἐδύ[ν]ατο Μητρόδωροϲ, [ὅϲ ?] δὴ τοὺϲ ἐπὶ κακῷ μό[ν]ον[8]) λυπουμένουϲ ἄλλα τε(?) καὶ τοῦθ' ὡϲ ἐπὶ καὶ τῷ......

Praeter hos locos Metrodori nomen in Philodemi libro de divitiis VH² III occurrit f. 75 fr. 3 Μη[τρ]όδω[ροϲ et fortasse f. 78 fr. 7 Μητρόδ]ωροϲ.

XVI. Περὶ ποιημάτων.

A.

20. Philodemus de rhetor. VH² IV, 99 sq. = Ox. II, 107 sq. = VH² V, 38 (restituit Gomperzius Ztschr. 1865 p. 824) καὶ Μητρόδωροϲ ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ποιημάτων ἱκανῶϲ ἔοικε παρεμφαίνειν τὸ τὴν ϲοφιϲτικὴν ῥητορικὴν τέχνην ὑπάρχειν, διαλεγόμενοϲ γὰρ πρόϲ τινα τῶν περὶ ποιήματοϲ ϲυγγεγραφ[ότ]ων[9])....

Verba Metrodori quae attulit Philodemus magna ex parte perierunt, sed cum orationis obliquae nonnulla vestigia in media columna proxima (VH² IV, 100) extent et v. 28 verbum φηϲίν indicet alius scriptoris verba a Philodemo laudari, tota columna Metrodori sententiam referri veri simillimum est. itaque ea, quae tribus apographis collatis enucleare potui, exscripsi. exemplar libri Philodemei, quod VH² V editum est, interdum longius recedere videtur a VH² IV = Ox. II. num continuetur Metrodori sententia in sequente pagina dubito, post verba καλλίϲτη ῥητορική (VH² V, 39) nota in margine enuntiati finem indicat.

---

1) hasta in margine novi enuntiati initium indicat 2) δοκειν . εν . ap. 3) παρούϲηϲ πενίαϲ κατηγορεῖται πλοῦτοϲ τῆϲ ἀληθείαϲ Dueningius dubitanter 4) τῆϲ ἀληθείαϲ Duen. 5) μὰ τὸν Δία restituit Gomperzius Ztschr. 1866 p. 693 6) ε . ο . α . δι ap., δι' οὗ Duen. 7) ταυται ap. 8) με . ον αυτουμενουϲ ap., λυπουμένουϲ restituit Gomperzius l. l. 9) ϲυγκατα N. V, εγρα O.

21. VH² IV f. 100 = Ox. II 108 (VH² V 38 sq.) v. 12 εἰπεῖν μὲν [οὖν τά]ληθὲς περ[ὶ τ]ῶν πλήθ[ει] χρησίμω[ν] ἱκανόν, τὴν δὲ Θρασυμάχου [τ]έχνην.... (v. 22) τὸν Θρασύμαχον καὶ ἄλλους οὐκ ὀλίγους τῶν δοκούντων τὰς τοιούτας ἔχειν λόγων πολιτικῶν ἢ ῥητορικῶν τέχνας, ὧν, φησίν, οὐθεὶς[1]) ἔχει τὰς τέχνας οὐδὲ... τὰς τούτων.... (v. 32) ἀλλ' οὐ μέντ[οι λ]όγον ἔχει καὶ δ[ι]ὰ [τίν]ων ἂν καὶ ἐκ τίνων [γ]ένοιτο καλλίστη ῥητορική.

22. Philodemus commentarii de rhetorica l. I col. VII VH² V, 35 τοῖς δ' ἡμε[τ]έροις μεμπτέον [ἂ]ν εἴη καὶ περιττότε[ρον αὐ]τοῖς γε τοῖς τοιού[το]ις, ὅσοι καὶ τὴν σοφισ[τ]ικὴν ῥητορικὴν οὐ[κ] εἶναι τέχνην διειλή[φ]ασι καὶ τούτου συστατικοὺς λόγους πεποιήκασι. εἰ γὰρ Ἐπ[ί]κουρος καὶ Μητρόδωρος ἔτι δ' Ἕρμαρχος ἀποφαίνονται τέχνην ὑπάρχειν τὴν τ[οι]αύτη[ν], ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς ὑπομνήσομεν, οἱ τούτοις ἀντιγράφοντες οὐ πάνυ τι μακρὰν τῆς τῶν πατρ[α]λοιῶν καταδίκης ἀφεστήκασιν.

23. Philodemus de rhetor. VH² III f. 57 col. 44 (restituit Gomperzius Ztschr. 1865 p. 824 nisus apographo inedito Oxoniensi) Ἐπί]κουρός φησιν ἐν [τῷ] Περὶ ῥη[τ]ορικῆς καὶ Μ[ητρόδ]ωρος [ἐ]ν [τ]ῷ[ι] πρώτῳ [Περ]ὶ ποι[ημά]των καὶ Ἕ[ρμα]ρχας [ἐπὶ] Μενεκλέους [ἐ]ν τ[ῇ] πρὸ]ς [Θε]οφείδην ἐ[π]ι[στολῇ].

Quamquam certe dici non potest, quid Epicurus, Metrodorus, Hermarchus contenderint, cum in Neapolitano apographo magnae lacunae hient, tamen colligere licet ex verbis οὐχί γε πολι[τικὴ]ν ἐνπειρίαν ἔχει [ἡ(?) δ]ύναμιν et paulo infra ... πο[λι]τι[κῇ] καθ' [ὃ] ῥητορική ἐσ[τι]ν, οὐ[δὲ τῷ γ]ε(?) ῥήτορι τῷ [πολιτικῷ κ]αθ' ὃ ῥήτωρ ἐστ[ὶ]ν τοῦτ[ο προσή]κει[2]) principes scholae negasse rhetori politico ex ipsa arte rhetorica scientiam rei publicae administrandae affluere.

Incertorum librorum Περὶ ποιημάτων.

24. Plutarchus contra beat. 12 p. 1094D περὶ δὲ τῆς ἱστορίας, ἵνα τὴν ἄλλην ἀνηκοΐαν ἐάσω, παραθήσομαι μόνα τὰ Μητροδώρου γράφοντος ἐν τοῖς Περὶ ποιημάτων[3])· ὅθεν μηδὲ εἰδέναι φάσκων μετὰ ποτέρων ἦν ὁ Ἕκτωρ, ἢ τοὺς πρώτους στίχους τῆς Ὁμήρου ποιήσεως, ἢ πάλιν τὰ ἐν μέσῳ μὴ ταρβήσῃς.

Cf. Plutarchus contra beat. 2 p. 1086F ὑπολαβὼν οὖν ὁ Ἀριστοτέλης, Ἡρακλείδης[4]) οὖν, ἔφη, γραμματικὸς ὢν ἀντὶ τῆς ποιητικῆς τύρβης[5]), ὡς ἐκεῖνοι λέγουσι καὶ τῶν Ὁμήρου μωρολογημάτων ἀποτίνει ταύτας Ἐπικούρῳ χάριτας, ἢ ὅτι Μητρόδωρος ἐν γράμμασι τοσούτοις ποιητῇ λελοιδόρηκεν. et Cic. de fin. I, 7, 25.

---

1) ουθθ. σιν φησιν ἔχειν N IV, O. 2) κω ap. 3) ποιητῶν libri, corr. Gomp. 4) μὲν inserit Duebnerus 5) lacunae signum ante ὡς testatur Dueb.

XVII. Πρὸς τοὺς ἀπὸ φυσιολογίας λέγοντας ἀγαθοὺς εἶναι ῥήτορας.

25. Philodemus de rhetor. VH² IV, 77 = Ox. II, 85 (restituit Usenerus Ep. fr. 10) [πῶς οὖν —] τέχνην ἔστιν εἰ[πεῖ]ν τὴν πολιτικὴν ῥητορικήν; ὅτι μὲν γὰρ οὐκ ἔχε[ι] τὴν μεθοδικὴν παράδοσιν καὶ τὴν τὸ ἑστηκὸς προσφερομένην, ὁμολογοῦσιν· ὅτι [δὲ] οὐδὲ τὴν παρατήρησιν τὴ[ν τοῦ] ὡς ἐπὶ τὸ πο[λ]ὺ κα[ὶ] κατὰ τὸ εὔλογον στοχαζομένην Ἐπίκου[ρος] ἐν [τ]ῷ πρώτω[ι Περὶ β]ίων [κα]ὶ ἐν τῷ Περὶ [πλ]ούτο[υ] ῥη[τῶς][1]) γέγρα[φεν] καὶ [Μη]τρόδωρο[ς ἐν τ]ῶι Πρὸς τοὺς ἀπὸ φυσ[ιολογί]ας λέγο[ντας] ἀγα[θοὺς εἶναι] ῥήτορας.

26. Philodemus de rhetor. VH² IX f. 114 fr. 3, 4 ὁ [δὲ οὖν] Μητρόδωρος [πολλὰ] μὲν ἐξεργάζε[ται] περὶ τῆς ῥητορ[ικῆς, τ]ῶν ἄλλων κυ[ριωτέ]ρως[2]) διδάσκω[ν ὅτι οὐ]κ ἀπὸ φυσιολογ[ίας[3]) ἡ ῥη]τορικὴ περι[γείνεται] δύναμις, ὥ[ς ψευδῶς] ἐδόξαζόν τ[ινες, γρά]φων δὲ καί.....

27. Philodemus de rhetor. VH² V, 58 [τὴν πολιτικὴν] ἐμπειρίαν ἀπ[ό] τινος τριβῆς καὶ τῶν ἐν ταῖς πόλεσιν ἱστορίας[4]) περιγίνεσθαι πολλῶν ἐν τῇ πραγματείᾳ δ[ι]ασαφούν[τ]ων ἀρκέσει τὰ παρὰ Μητροδώρῳ σαφῶς διδάσκοντα. πότερον οὖν τὴν [ῥη]τορικὴν δύναμιν λέγει [ἐμ]βλέπων ἐπὶ τὴν διάγνωσιν τοῦ[5]) ὃ πρακτέον ἐστὶν τῷ μέλλοντι εὐδαίμονι εἶναι το[ῦ τε ὃ][6]) ο[ὐκ ἔστιν πρακτέον αὐτῷ(?)] καὶ ταύτην[7]) φησὶν ἀ[π]ὸ φ[υσι]ολογίας παραγείνεσθαι; [ἢ κ]αὶ τὴν πολειτικὴν ἐμπειρ[ί]αν, καθ' ἣν ἐκ τριβῆς καὶ ἱστορίας τῶν πόλεως πραγμάτων συνορῴη[8]) ἄν τις οὐ κακῶς τὰ πλήθει συμφέροντα;

Huius libri titulum restituit Usenerus (Ep. fr. 10 p. 95), idem coniecit librum contra sodales sectae scriptum esse (Ep. p. 412b). utraque coniectura confirmatur fr. 26, qui locus virorum doctorum oculos adhuc fugisse videtur. nam paene ad verbum Philodemus libri inscriptionem transcribit, et verbis τῶν ἄλλων (emendatio ἀλλουν in ἄλλων articulo τ]ῶν commendatur) principes sectae respici pro certo habeo. videntur nova doctrina, quae physiologiae summam curam egit, iuvenes nonnulli ardentioris ingenii eo producti esse, ut a physiologia artes quoque pendere putarent, quorum impetum refrenavit Metrodorus. fortasse Epicuri ipsius dictum aliquod ambiguum talibus discipulorum opinionibus favit, id quod duobus ex locis colligam: in fr. 27 Philodemus ad Epicuri sententiam interpretandam Metrodori testimonio utitur, quem eisdem Epicuri verbis explanandis operam dedisse hinc cognoscitur. quam recte

---

1) ρη...τοιεπρα O., ...τοι..φ N., ῥητῶς γέγραφεν dubitanter Us. 2) αλλουνκυ.....τωϲ ap. 3) φυϲιϲλογ... ap. 4) ἱϲτορίαιϲ ap. 5) διαγνωϲινο^ται ap. 6) τϲ.ι..οϲ ap. 7) τουτην ap. 8) ϲυνορο^ω ιν ap.

enim Usenerus (Ep. p. 110 adn. ad 2) subiectum verbi λέγει Epicurum esse contenderit, discimus ex alio Philodemi loco de rhetor. VH² V f. 96 φα]νερόν, [ὅτι τὴν ῥη]τορικ[ὴ]ν δύνα[μιν εἴρη]κεν βλέπων ἐπὶ τ[ὴν] σοφιστικ[ὴν ἢ] ἐπὶ τὴν πολιτι[κ]ὴν ἢ ἐπὶ τὴν διά[γνωσιν[1]) τ]ῶν, [π]ρακτ[έ]ον ὅ [ἐσ]τιν καὶ οὐ πρακ[τέ]ον τ[ῷ] μέλλοντι [μακαρίῳ γεν[έσθαι. eandem Epicuri sententiam eisdem fere verbis, quibus Metrodorus usus est, Philodemus hic explicare studet. Metrodorus et Philodemus Epicuri verbis interpretandis non eam operam impenderent, nisi alii sodales sectae ea secus intellexissent. accedit quod in fr. 26 Metrodorum κυριωτέρως quam ceteros de hac re egisse Philodemus testatur.

Puto his perspectis fr. 27 intelligi posse, quem locum Dueningius propter obscuritatem non inter fragmenta recepit (p. 36). haec est sententia: Metrodorus ostendit, utrum Epicurus, cum artem rhetoricam δύναμιν dicat, respiciat facultatem dignoscendi, quid sit faciendum quidque fugiendum ei qui beatus esse velit, et hanc facultatem per physiologiam percipi dicat, an contendat a physiologia rerum quoque publicarum peritiam affluere, secundum quam ex usu et scientia urbis rerum haud male quis intelligat, quid plebi prosit.

Ad Metrodori sententiam cf. Philod. de rhetor. VH² V f. 132 col. 39 δῆλον το[ί]νυν ἤδη καὶ διότι μω[ρία] πολλή τίς ἐστιν τὸ φάσκειν [ε]ὐθὺς ἕξιν [τί]ν' ἐ[γγε]ίνεσθαι πολιτικ[ῶν] λόγων ἀπὸ φυσιολ[ογίας.

Duo frustula his adiciam item hausta ex rhetoricis Philodemi, in quibus nihil fere intelligitur nisi nomen Metrodori: VH² III f. 45 ἔφη καὶ τὸ [τοῦ] Ἐπικούρου τὸν Μητρόδωρον τ. . . . [ῥ]ήτο[ρα(?). . . . . εἶνα[ι. . . . .

Et VH² V f. 56 Περικλῆν, καὶ ταὐτὰ προσ[τάτ]τε[ται κατὰ τὸ[ν] παρὰ Μητροδώρωι [λόγον(?)]. . . . .

XVIII. Περὶ τῆς ἐπὶ σοφίαν πορείας.

Laertius Diogenes X, 24 v. p. 537.

XIX. Πρὸς τοὺς σοφιστὰς ἐννέα.

Laertius Diogenes X, 24 supra p. 537.

Galenus de libris suis 17 (t. XIX p. 48 K.) Περὶ τῶν Πρὸς τοὺς σοφιστὰς ἐννέα Μητροδώρου.[2])

28. Plutarchus adversus Ep. beat. 7 p. 1091 A οὐ μόνον τοίνυν ἄπιστον καὶ ἀβέβαιον ἀρχὴν λαμβάνουσι τοῦ ἡδέως ζῆν ἀλλὰ καὶ παντάπασιν εὐκαταφρόνητον καὶ μικράν· εἴπερ αὐτοῖς κακῶν ἀποφυγὴ τὸ χαρτόν ἐστι καὶ τὸ ἀγαθόν, ἄλλο δὲ οὐδὲν διανοεῖσθαί

---

1) διανα. . . . . αρ. 2) Πρὸς τοὺς σοφιστὰς ἔν. Μητροδώρου ἐπιστολὴ πρὸς Κέλσον Ἐπικούρειον libri, corr. Jonsius.

φασιν, οὐδὲ ὅλως τὴν φύσιν ἔχειν ὅποι τεθήσεται τὸ ἀγαθόν, εἰ μὴ μόνον ὅθεν ἐξελαύνεται τὸ κακὸν αὐτῆς[1]), ὥς φησι Μητρόδωρος ἐν τοῖς Πρὸς τοὺς σοφιστάς ὥστε τοῦτο αὐτὸ τἀγαθόν[2]) ἐστι τὸ φυγεῖν τὸ κακόν· ἔνθα γὰρ τεθήσεται τἀγαθὸν οὐκ ἔστιν, ὅταν μηθὲν ἔτι ὑπεξίῃ μήτε ἀλγεινὸν μήτε λυπηρόν.

Cf. Plutarchus contra beat. 8 p. 1091 E ὥσπερ Ἐπίκουρος ἡγεῖται καὶ Μητρόδωρος, οὐσίαν τἀγαθοῦ καὶ ἀκρότητα τὴν τοῦ κακοῦ φυγὴν τιθέμενοι καὶ χαίροντες ἀνδραπόδων τινὰ χαράν.

Cf. Ep. Us. fr. 423 et sent. sel. 3.

Facere non possum quin occasione oblata opinionem redarguam, quam Dueningius in adnotatione ad hunc librum protulit, sunt enim ex illa Dueningi opinione alii errores nati. dicit ille (p. 36 et p. 20) philosophum Gadarensem dissensisse a scholae principibus de arte rhetorica sophistica, id quod colligit ex his verbis Philod. de rhetor. VH² IV f. 93 = Ox. II f. 101 (Gomp. Ztschr. 1865 p. 825) νῦν ἐπ' [ἐ]κεῖνο βαδίζωμεν, ὅτι τέχνην οὐχ ἡμεῖς[3]) λέγομεν [τὴ]ν σοφιστικὴν οἱ δὲ τὴν αἵ[ρ]εσιν κτίσαντες ἡμῶν ἀντιφωνοῦσιν κτέ. at Dueningius hunc locum non recte interpretatus est. saepius enim Philodemus affirmat se de hac quoque re cum principibus consentire (cf. fr. 20 et Ep. Us. fr. 11 ὅπου φαμὲν κα[ὶ δι'] ὧν φαμεν δηλοῦσθαι τὸ τὴν σοφιστικὴν ῥητορικὴν τέχνην ὑπάρχειν παρατεθείκαμεν), quid quod non longe a parricidii crimine eos Epicureos abesse dicit (supra fr. 22), qui de hac re ab Epicuro Metrodoro Hermarcho discrepent. in loco a Dueningio relato manifeste hoc dicitur: iam id tractabo (sc. refellam), quod adversarii nonnulli contenderunt a nobis (sc. Philodemi amicis) rhetoricam sophisticam non artem dici, principes scholae contra dicere.

Sed non tam id egi in hoc errore notando ut Dueningium refellerem, quam ut Hirzeli sententiae cuidam adminiculum subtraherem. contendit ille (quaest. I p. 171—185) Apollodorum, Zenonem, Demetrium, Philodemum omnes fere, quos novimus recentiores Epicureos aliquantum recessisse a mera Epicuri doctrina et a genuinis horti sodalibus sophistas appellatos esse. ut recte iudicarit vir doctissimus veretur Usenerus (Ep. p. 417), liceat mihi paulo copiosius de hac re disputare.

Philodemum inter illos sophistas numerandum esse Hirzelius duobus argumentis demonstrare studet. primum Philodemus a Laertio non nominatur inter illustres Epicureos, commemoratur autem bis in vita Epicuri (Laert. X, 3 et 24), ergo, si credimus Hirzelio, τοῖς ἄλλοις adnumeratur, „οὓς οἱ γνήσιοι Ἐπικούρειοι σοφιστὰς ἀποκαλοῦσιν" (Laert. Diog. X, 26). at omnino nemo Epicureus Philodemo recentior a Laertio commemoratur, ita ut veri simillimum sit, ipsius Philodemi σύνταξιν φιλοσόφων (cf. Laert. X, 3) fontem esse,

1) αὐτοῖς Us. 2) ἀγαθὸν l., corr. Us. 3) μὲν inseruit Us.

unde hic Epicureorum illustrium index fluxerit. hoc sane argumento nihil evincit Hirzelius, inspiciamus alterum.

Dicit Philodemum de compluribus rebus aliter sensisse ac principes scholae (l. l. p. 171). unde hoc collegit Hirzelius?

Primum Philodemo humaniorem illam de amicitia sententiam ascribit (p. 171) quam refert Cicero de fin. I, 20, 69 „sunt autem quidam Epicurei timidiores paullo contra vestra convicia, sed tamen satis acuti; qui verentur, ne, si amicitiam propter nostram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur. itaque primos congressus copulationesque et consuetudinum instituendarum voluntates fieri propter voluptatem: cum autem usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere tantum, ut etiam si nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur." sed erravit Hirzelius, nam ex gnomologio Vaticano discimus illam sententiam iam ab Epicuro ipso vel ab uno ex illis quattuorviris pronuntiatam esse gnom. Vat. Ep. 21 (stud. Vindob. X p. 193): Πᾶcα φιλία δι' ἑαυτὴν αἱρετή· ἀρχὴν δ' εἴληφεν ἀπὸ τῆc ὠφελίαc. hanc discrepantiam Hirzelius ipse investigavit, haud feliciter, plures si quaerimus, ad Dueningium nos reicit (p. 99), quem primum docuisse putat, quantae differentiae inter Philodemi opiniones et Epicuri doctrinam intercedant. Dueningius p. 20 *ne longior evaderet expositio eos dumtaxat locos, quibus distincte notatur differentia*, attulit, *alias e re ipsa consequentes praetermittens*. duos omnino locos Dueningius refert, quibus demonstrare studet, et de rhetorica sophistica et de arte poetica Philodemum ab Epicuro dissentire. in priore loco interpretando eum manifeste errasse supra ostendi, turpius erravit in altero: in adnotatione ad fr. 31 p. 64 sq. ex verbis Laerti X 121 (Ep. Us. p. XXX et fr. 568) ποιήματα δὲ ἐνεργείᾳ[1]) οὐκ ἂν ποιῆcαι (τὸν cοφόν) male lectis secus intellectis multa enucleat Dueningius, quae de arte poetica sensisse Epicurum contendit. ipsius verba afferam: *Contemnit igitur Epicurus* ποιητὴν *in meris fictionibus, ut ipse putat, inanibus vanisque versantem, etiamsi ingenio praeclarissimo et imaginatione splendidissima praeditus sit.* haecine insunt in verbis Laerti? — sed plus invenit egregius interpres: Epicurus *postponit artem poeticam, anteponit poesim iucundae utilitatis effectricem,* nam — ipse μυριάδαc versuum in laudem Metrodori composuit, id quod testatur Plutarchus de occ. viv. 3 p. 1129 A (v. p. 569). egregius sane est poeta Epicurus, qui ad amicos celebrandos carmina pepigit Iliadi cum Odyssea prope paria amplitudine (τοcαύταc μυριάδαc cτίχων)! quis credat virum Graecae linguae non imperitum nescire cτίχουc non solum carminis sed cuiuslibet libri versus dici. ut brevis sim, pro Epicuri sententiis Dueningius meras fictiones protulit, a quibus Philodemum discrepare non est mirum.

---

1) ἐνεργεῖν libri, corr. Us.

Nullas differentias Dueningius indagavit, ergo nulla est causa cur Philodemum inter sophistas numeremus. nam ex eo quod Philodemus doctior et eruditior erat, quam Epicurei esse debebant, non licet concludere eum a doctrina recessisse (l. l. p. 172). oblitus esse videtur Hirzelius inter primos dilectissimosque Epicuri discipulos Idomeneum fuisse, rerum scriptorem satis eruditum (cf. Muell. FHG. II p. 489 sqq.).

Ultra progredi licet: Philodemi temporibus in horto dissensiones fuisse ex ipsius scriptis cognoscitur cf. fr. 22, sed Philodemus cum eis stabat, qui severius tenebant Epicuri doctrinam. quales enim fingat Hirzelius ὀρθοδόξους Epicureos, si is est ἑτερόδοξος, qui parricidii fere criminis obnoxios esse eos Epicureos dicit, qui de re non ita gravi a magistro discrepant, equidem non video. immo Philodemus, si non Athenis at Romae, princeps scholae fuisse videtur hortoque conciliavit viros praeclarissimos (v. Mus. Rhen. t. XLV p. 172 sqq.).

Iam tota sophistarum series, quam Hirzelius conexit, dissoluta est. nam si Philodemus genuinus Epicureus est, id quod certe demonstrasse mihi videor, ne Zeno quidem magister eius dilectissimus est sophistes, hoc vero remoto ex sophistarum numero apparet locum Laerti Diogenis eos recte interpretatos esse, qui verba καὶ ἄλλοι, οὓς οἱ γνήσιοι Ἐπικούρειοι σοφιστὰς ἀποκαλοῦσιν non ad philosophos nominatos sed ad alios ignotos referunt.

Qui fuerint, quid docuerint, illi sophistae Laerti equidem nescio, fortasse hanc quoque rem aliquando carbones Herculanenses illustrabunt.

XX. Τιμοκράτης.

29. Laertius Diogenes X 136 Ὁμοίως δὲ καὶ Διογένης ἐν τῇ ιζ̄ τῶν ἐπιλέκτων καὶ Μητρόδωρος ἐν τῷ Τιμοκράτει λέγουσιν οὕτω· Νοουμένης δὲ[1]) ἡδονῆς τῆς τε κατὰ κίνησιν καὶ τῆς καταστηματικῆς.

Dueningius dubitat, utri verba νοουμένης — καταστηματικῆς tribuat (p. 37), id quod mihi quidem sic explanandum videtur: Laertius, vel eius auctor, apud Diogenem Metrodori verba relata reperit et, ut mos est compilatorum, cum scriptore testem tamquam duo auctores commemoravit.

XXI. Πρὸς Τιμοκράτην.

Laertius Diogenes X, 24 supra p. 537.

Plutarchi fr. 7 (ed. Dueb.) apud Proclum ad Hesiodi opera 284 Τιμοκράτην δὲ καὶ Μητρόδωρον τοὺς Ἐπικουρείους ἀδελφοὺς ὄντας καὶ προσκρούσαντας ἀλλήλοις ἐκδοῦναι κατ' ἀλλήλων συγγράμματα.

Plutarchus contra beat. 16 p. 1098 B τὴν μὲν γὰρ Μητροδώρου

1) δέ libri, fortasse διχῶς Us.

μητέρα καὶ τὴν ἀδελφήν, ὡς ὑπερέχαιρον ἐπὶ τοῖς γάμοις αὐτοῦ καὶ ταῖς πρὸς τὸν ἀδελφὸν ἀντιγραφαῖς, ἐκ τῶν βιβλίων δήπου δῆλόν ἐστιν.

Plutarchus adversus Colotem 32 p. 1126 C Ἐπίκουρος μὲν γὰρ εἰς Ἀσίαν ἐξέπεμπε τοὺς Τιμοκράτει λοιδορησομένους καὶ[1]) τῆς βασιλικῆς ἐξελῶντας[2]) αὐλῆς τὸν ἄνθρωπον, ὅτι Μητροδώρῳ προσέκρουσεν ἀδελφὸς ὤν· καὶ ταῦτα ἐν τοῖς[3]) βιβλίοις γέγραπται τοῖς ἐκείνων.

30. Philodemus de ira col. XII p. 48 Gomp. οὐ μὴν [ἀλ]λ' ἐ[νίο]τε καὶ παρὰ πολ[ὺ] συμ[βά]λλουσιν ἰσχυρ[ο]τέ[ροι]ς, οὐ γὰρ ἐᾷ διακ[ρί]νειν ὁ θυμός· ὡς καὶ Τ[ι]μοκράτην φησὶν ὁ Μ[η]τρό[δω]ρος τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν ἀδελφῶν Ἀ[κ]τορίδῃ· κἄπειτα τῆς προπετείας πικρὰ κ[ο]μίζονται τἀπίχειρα.

Metrodorum harum puerilium rixarum mentionem fecisse in libro Πρὸς Τιμοκράτην veri simillimum est.

XXII. Ὑποθῆκαι.

Philodemus adversus? I VH² f. 152 vide supra p. 542 ad Μαρτυρίας. Liber suspectus, qui fortasse sententias Metrodori continebat collectas ex epistulis, quales ad Menestratum et Timarchum scripsit Metrodorus.

XXIII. Περὶ φιλοσοφίας.

31. Plutarchus adv. Col. 33 p. 1127 B ἃ δὲ Μητρόδωρος ἐν τῷ Περὶ φιλοσοφίας ἐξορχούμενος πολιτείαν γέγραφεν οὐκ ᾤμην δεῖν παρεῖναι· λέγει δὲ ὅτι τῶν σοφῶν τινες ὑπὸ δαψιλείας τύφου, οὕτως καλῶς ἐνεῖδον τὸ ἔργον αὐτῆς ὥστε οἴχονται φερόμενοι πρὸς τὰς αὐτὰς Λυκούργῳ καὶ Σόλωνι ἐπιθυμίας κατὰ τοὺς περὶ βίων λόγους καὶ ἀρετῆς.

32. Plutarchus adv. Col. 33 p. 1127 C καὶ λοιδορῶν ὁ Μητρόδωρος ἐπιλέγει τοῖς εἰρημένοις διὸ καὶ καλῶς ἔχει τὸν ἐλεύθερον ὡς ἀληθῶς γέλωτα γελάσαι[4]) ἐπί τε δὴ πᾶσιν ἀνθρώποις καὶ ἐπὶ τοῖς Λυκούργοις τούτοις καὶ Σόλωσιν.

Dueningi opinionem hoc fragmentum apud Metrodorum nullis verbis interiectis antecedens excepisse probare non possum. nam particula διὸ docet rationes, quibus Metrodorus sententiam confirmavit, a Plutarcho praetermissas esse.

Cf. Plutarchus adv. Col. 34 p. 1127 D εἴπερ οὖν οἱ νόμους καὶ πολιτείας ἀναιροῦντες τὸν βίον ἀναιροῦσι τὸν ἀνθρώπινον, Ἐπίκουρος δὲ καὶ Μητρόδωρος τοῦτο ποιοῦσι τοὺς μὲν συνήθεις ἀποτρέποντες τοῦ τὰ κοινὰ πράττειν, τοῖς δὲ πράττουσιν ἀπεχθανόμενοι, τοὺς δὲ πρώτους καὶ σοφωτάτους τῶν νομοθετῶν κακῶς

---

1) καί eicit Us. 2) ἐξελῶν libri, Us.; ἐξελῶντας Madvigius
3) τῆς E. 4) γελᾶσαι B.

λέγοντες, τῶν δὲ νόμων παρακελευόμενοι περιφρονεῖν ἐὰν μὴ προσῇ φόβος πληγῆς καὶ κολάσεως κτέ.

33. Plutarchus adv. Col. 3 p. 1108 E ὁ δὲ Μητρόδωρος ἄντικρυς ⟨ἐν τῷ⟩[1]) Περὶ φιλοσοφίας εἴρηκεν ὡς εἰ μὴ προκαθηγήσατο Δημόκριτος, οὐκ ἂν προῆλθεν Ἐπίκουρος.

XXIV. Ἐπιστολαί.[2])

Philodemus de lib. dic. secund. Zeu. VH¹ Vb, 15 τί δ' ἕξει [κοι]νοῦ[ν], τί δ' εἰπεῖν ε[ἰ μὴ] παρρησίᾳ σοφὸς ἀνὴρ πρὸς τοὺς φίλους ὡς Ἐπίκ[ο]υρος καὶ Μητρ[ό]δω[ρος]........[3]) [π]ρός...

Epitoma epistularum.

Scriptor incertus voluminum Herculanensium ined. 1044 f. 4 (ed. Gomperzius Hermae t. V p. 386) καὶ τὰς ἐπιτομὰς [τῶν] ἐπιστολῶν τῶν Ἐπικού[ρου] Μητροδώρου Πολυαίνου Ἑρ[μά]ρχου καὶ τῶν [γνωρί]μων.

Tacitus dial. 31 ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes adsumere eisque prout res poscit uti alienum erit oratori. cf. Ep. Us. praef. p. LVI.

Epistulae ad certos datae.

1. Πρὸς Βατίδα.

34. Seneca epist. mor. 99, 25 illud nullo modo probo, quod ait Metrodorus: esse aliquam cognatam tristitiae voluptatem, hanc esse captandam in eius modi tempore. ipsa Metrodori verba subscripsi Μητροδώρου Ἐπιστολῶν πρὸς τὴν ἀδελφήν. Ἔστιν γάρ τις ἡδονὴ λύπῃ συγγενής, ἣν χρὴ θηρεύειν κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν.

Quae Rossbachius (comment. philol. Wratislaw II p. 157) ex codice Bambergensi edidit, paullo differunt ab eis, quae Buechelerus in Argoratensi se legisse testatur ΜΗΤΡΟΛΟΡΟΥ ЄΠΙCΤΟΛΑΩΝ[4]) ΤΡΟCΤΗ ΝΑΔЄΑΦΗΝ ЄCΤΙΝ ΓΑΡΤΙΟC ΗΛΟΝΗΛΙ (sive Ν) || ΚΥΤΤΗCΟ||ΥΤ (sive C Bue.) ΤЄΙΝΚ (rasura unius litterae Bue.) ΑΤΛΤΟΥΤΟΝΤΟΝΚΑΤΡΟΝ.

Wilamowitzi restitutionem (ind. lect. Gott. aest. 1889) ἔστιν γὰρ π⟨ρ⟩ὸς ἡδονὴν λύπης συγγένεια κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν, quae proxime abest a codicum litteris, ob eam causam probare non possum, quia longissime recedit a verbis Senecae. verbum θηρεύειν vel simile aliquid meo quidem iudicio inerat in Metrodori dicto, nam

1) ἐν τῷ inseruit Menagius 2) Useneri iudicium secutus (Epic. p. LXIV, stud. Vindob. X p. 188) epistulis omnes sententias ascripsi, quae apud Senecam, Iohannem Stobaeum, Maximum Confessorem, in gnomologio Vaticano servatae sunt 3) εἰώθεσαν dub. Usenerus 4) ЄΠΙCΤΟΛΩΝ Rossb., sed Buechelerus in Bamb. quoque legit ЄΠΙCΤΟΛΑΩΝ, fortasse scribendum ἐπιστολῶν α´

in eo verbo potissimum Seneca offendit v. § 28 „admittitur dico? captatur et quidem ex ipso.“ nonne est veri similius Graecas litteras in codice Latino corruptas ac mutilatas esse quam a Seneca consulto Metrodori verbis sententiam inculcatam esse, quae ab eis aliena est? in Useneri restitutione[1]) desidero vocem cυγγενήc, in quam item recurrit Seneca § 28 „est aliqua, inquit, voluptas cognata tristitiae“. quae ego scripsi, Buechelerus quondam proposuit in exercitationibus seminarii Bonnensis.

35. Seneca epist. mor. 98, 9 egregie itaque videtur mihi Metrodorus dixisse in ea epistula, qua sororem amisso optimae indolis filio adloquitur: „mortale est omne mortalium bonum.“

36. Plutarchus praec. coniug. 28 p. 142 A οἶμαι δὴ καὶ τῇ cώφρονι μάλιcτα δεῖν πρὸc τὸν ἄνδρα χαρίτων, ἵν', ὡc ἔλεγε Μητρόδωροc, ἡδέωc cυνοικῇ καὶ μὴ ὀργιζομένη ὅτι cωφρονεῖ.

Plutarchus amator. 753 C αἱ δὲ cώφρονεc οὐδὲ αὐcτηρὸν καὶ κατεγρυπωμένον ἐπαχθέc **[2]) καὶ δυcκαρτέρητον ἔχουcι καὶ ποινὰc[3]) καλοῦcιν αὐτὰc καὶ τοῖc ἀνδράcιν ὀργιζομέναc ὅτι cωφρονοῦcιν.

Hoc dictum ex epistula Metrodori ad sororem sumptum esse veri simillimum est. nam cui Metrodorus praecepta coniugalia dederit nisi sorori, quam Idomeneus in matrimonium duxit (Laert. X, 23), non video. ceterum Idomeneo Nicidii meretricis gratiam magis placuisse quam Batidis uxoris temperantiam discimus ex Philod. adversus? VH² I f. 149 Ep. Us. p. 402 a.

2. Πρὸc Μενέcτρατον.

37. Gnomologium Epicur. Vatic. 10 Μέμνηcο ὅτι θνητὸc ὢν τῇ φύcει καὶ λαβὼν χρόνον ὡριcμένον ἀνέβηc τοῖc περὶ φύcεωc διαλογιcμοῖc ἐπὶ τὴν ἀπειρίαν καὶ τὸν αἰῶνα καὶ κατεῖδεc[4]) „τά τ' ἐόντα τά τ' ἐccόμενα[5]) πρό τ' ἐόντα“. (Hom. A, 70.)

Clemens Alexandrinus strom. V, 138 p. 732 P. ἀφικόμενοc οὖν ἐπὶ τὴν ἀληθῆ μάθηcιν ὁ βουλόμενοc ἀκουέτω μὲν Παρμενίδου τοῦ Ἐλεάτου ...... Μητροδώρου τε καίτοι Ἐπικουρείου γενομένου ἐνθέωc ταῦτά γε εἰρηκότοc· Μέμνηcο, Μενέcτρατε, διότι θνητὸc φὺc καὶ λαβὼν βίον ὡριcμένον[6]) ἀναβὰc[7]) τῇ ψυχῇ ἕωc ἐπὶ τὸν αἰῶνα καὶ τὴν ἀπειρίαν τῶν πραγμάτων κατεῖδεc καὶ „τά τ' ἐccόμενα πρό τ' ἔοντα“.

Librum scripsisse Metrodorum Πρὸc Μενέcτρατον non recte collegit Dueningius ex hoc fragmento, sententia ex epistula hausta est.

1) Ep. ad p. 164, 6 ἔcτιν γάρ τιc ἡδονὴ διὰ λύπηc θηρευτέα κατὰ τοῦτον καιρόν 2) lacuna E 18 mm, B 17 mm 3) πείναc libri 4) κατ' εἶδεc V. 5) ἐcόμενα V. 6) Metrodorum scripsisse ὅτι φὺc θνητὸc καὶ χρόνον λαχὼν ὡριcμένον placet Gomperzio 7) f. corrigendum ἀνέβηc

3. Πρὸς Τίμαρχον.

38. Plutarchus adversus Col. 17 p. 1117 A εἰ τοίνυν ὁ περὶ Cωκράτους ἀνδρὸς εἰς ἀρετὴν θεολήπτου γενομένου χρηςμὸς ἀνενεχθεὶς ὡς coφοῦ φορτικὸς ἦν καὶ coφιcτικός, τίνι προςείπωμεν ἀξίως ὀνόματι τοὺς ὑμετέρους βρόμους καὶ ὀλολυγμοὺς καὶ κροτοθορύβους καὶ cεβάcειc[1]) καὶ ἐπιθειάcειc, αἷς προτρέπεcθε καὶ καθυμνεῖτε τὸν ἐπὶ ἡδονὰς παρακαλοῦντα cυνεχεῖς καὶ πυκνάς; ..... ἀλλ' ὅμως ὁ μὲν Μητρόδωρος τὸν Τίμαρχον παρακαλῶν φηcι· Ποιήcωμέν τι καλὸν ἐπὶ καλοῖς, μόνον οὐ καταδύντες ταῖς ὁμοιοπαθείαις καὶ ἀπαλλαγέντες ἐκ τοῦ χαμαὶ βίου εἰς τὰ Ἐπικούρου ὡς ἀληθῶς θεόφαντα ὄργια.

Adiciam ad hanc epistulam nonnullos locos Plutarchi, non quo eos ex ipsa epistula fluxisse putem, sed quod ad Metrodori dicta huic (fr. 38) similia referendos esse censeo v. p. 532.

Plutarchus contra beat. 23, 1103 E τῆς δὲ τούτων φιλοcοφίας „ἔκβαcιc οὔ πη φαίνεθ' ἁλὸς πολίοιο θύραζε" τῇ ψυχῇ, ἀλλ' εὐθὺς ἠφάνιcται καὶ διέcπαρται καὶ προαπόλωλε τοῦ cώματος ὥcτε ὑπερχαίρειν τὸ πάνcοφον τοῦτο δόγμα καὶ θεῖον παραλαβοῦcαν, ὅτι τοῦ κακῶς πράττειν πέρας ἐcτὶν αὐτῇ τὸ ἀπολέcθαι καὶ φθαρῆναι καὶ μηδὲν εἶναι.

Plutarchus contra beat. 29 p. 1106 D οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ λέγουcιν αὐτοῖς κακῶν ἀπαύcτων καὶ ἀορίcτων λυθεῖcαν ὑποψίαν ἀγαθὸν βεβαιότατον καὶ ἥδιcτον ἀπολιπεῖν τὴν διάνοιαν τοῦ λελύcεcθαι[2])· καὶ τοῦτο ποιεῖν τὸν Ἐπικούρου λόγον ἱcτάντα τοῦ θανάτου τὸ δέος ἐν τῇ διαλύcει τῆς ψυχῆς.

Plutarchus contra beat. 7 p. 1091 B ἆρα οὐκ ἄξιόν ἐcτιν ἐπὶ τούτοις μέγα[3]) φρονεῖν καὶ λέγειν, ἃ λέγουcιν ἀφθάρτους καὶ ἰcοθέους ἀποκαλοῦντες αὑτοὺς καὶ δι' ὑπερβολὰς καὶ ἀκρότητας ἀγαθῶν εἰς βρόμους καὶ ὀλολυγμοὺς ἐκβακχεύοντες ὑφ' ἡδονῆς; ὅτι τῶν ἄλλων περιφρονοῦντες ἐξηυρήκαcι μόνοι θεῖον ἀγαθὸν καὶ μέγα τὸ μηδὲν ἔχειν κακόν. ad verba ἀφθάρτους καὶ ἰcοθέους cf. Ep. ep. III, 135, fr. 141, fr. 602.

Vide quae de Timarcho narrat Alciphro ep. II, 2, 4 (Λεόντιον Λαμίᾳ) Τίμαρχον τὸν καλὸν οἶcθα τὸν Κηφιcιᾶθεν. οὐκ ἀρνοῦμαι πρὸς τὸν νεανίcκον οἰκείως ἔχειν ἐκ πολλοῦ et infra 7 ἀλλὰ καὶ δι' ἐμὲ πάντα ἠνάγκαcται ὁ νεανίcκος καταλιπὼν τὸ Λυκεῖον καὶ τὴν ἑαυτοῦ νεότητα καὶ τοὺς cυνεφήβους καὶ τὴν ἑταιρείαν μετ' αὐτοῦ (Ἐπικούρου) ζῆν καὶ κολακεύειν αὐτὸν καὶ καθυμνεῖν τὰς ὑπηνέμους αὐτοῦ δόξας.

4. Πρὸς Τιμοκράτην.

39. Athenaeus deipn. VII, 280 αὐτὸς δέ που ὁ Μητρόδωρος οὐκ ἀποκρυπτόμενος τὰς καλὰς ταύτας θέcειc φηcί περὶ γα-

1) coβάcειc B. E. 2) λελύcθαι libri, λελύcεcθαι Us. 3) καὶ libri, μέγα Us.

cτέρα γάρ, ὦ φυσιολόγε Τιμόκρατες, περὶ γαστέρα ὁ κατὰ φύσιν βαδίζων λόγος τὴν ἅπασαν ἔχει σπουδήν.

Idem XII 546 F καὶ Μητρόδωρος ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς φησι· περὶ γαστέρα, ὦ φυσιολόγε Τιμόκρατες, περὶ γαστέρα ὁ κατὰ φύσιν βαδίζων λόγος τὴν ἅπασαν ἔχει σπουδήν.

40. Plutarchus contra beat. 16 p. 1098D περὶ γαστέρα γάρ, ὦ φυσιολόγε Τιμόκρατες, τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ καλόν.[1])

Plutarchus adversus Col. 2 p. 1108C ὧν οὐθὲν ἀπολείπουσιν οἱ περὶ γαστέρα τἀγαθὸν εἶναι βοῶντες οὐκ ἂν δὲ τὰς ἀρετὰς ὁμοῦ πάσας τετρημένου χαλκοῦ πριάμενοι, δίχα τῆς ἡδονῆς πάσας πανταχόθεν ἐξελαθείσας.[2])

Cicero de nat. deor. I, 40, 113 accusat enim Timocraten fratrem suum Metrodorus, quod dubitet omnia, quae ad beatam vitam pertineant, ventre metiri, neque id semel dicit, sed saepius.

41. Plutarchus contra beat. 16 p. 1098C Ἦ γὰρ οὐ τούτοις ἔοικε τὰ Μητροδώρου πρὸς τὸν ἀδελφὸν γράφοντος; οὐδὲν δεῖ σώζειν τοὺς Ἕλληνας οὐδ' ἐπὶ σοφίᾳ στεφάνων παρ' αὐτῶν τυγχάνειν, ἀλλ' ἐσθίειν καὶ πίνειν οἶνον, Τιμόκρατες, ἀβλαβῶς τῇ γαστρὶ καὶ κεχαρισμένως.

Plutarchus contra beat. 19, 1100D ἀνάγκη τοὺς λέγοντας ὡς οὐ δεῖ σώζειν τοὺς Ἕλληνας, ἀλλ' ἐσθίειν καὶ πίνειν ἀβλαβῶς τῇ γαστρὶ καὶ κεχαρισμένως ἀδοξεῖν καὶ κακοὺς νομίζεσθαι.

Plutarchus adv. Col. 31 p. 1125C καὶ ἔτι ταῦτα πρὸς ἐκείνοις (γράφοντες)· οὐδὲν οὖν ἔτι δεῖ τοὺς Ἕλληνας σώζειν οὐδὲ ἐπὶ σοφίᾳ στεφάνου παρ' αὐτῶν τυγχάνειν, ἀλλ' ἐσθίειν καὶ πίνειν, ὦ Τιμόκρατες, ἀβλαβῶς τῇ σαρκὶ καὶ κεχαρισμένως.

Quae apud Plutarchum Metrodori verba antecedunt, Dueningius (fr. 20 p. 54) Metrodoro, Usenerus Epicuro ascripserunt, huic ego adstipuler (cf. supra p. 532 et Ep. Us. fr. 554 cum adnotatione).

42. Plutarchus contra beat. 16 p. 1098C καὶ πάλιν πού φησιν ἐν τοῖς αὐτοῖς γράμμασιν· ὡς καὶ ἐχάρην καὶ ἐθρασυνάμην ὅτι ἔμαθον παρὰ Ἐπικούρου ὀρθῶς γαστρὶ χαρίζεσθαι.

Incertarum epistularum fragmenta.

Metrodori de se et Epicuro dicta.

43. Seneca ep. mor. 79, 16 hoc Metrodorus quoque in quadam epistula confitetur se et Epicurum non satis enituisse: sed post se et Epicurum magnum paratumque nomen habituros[3]), qui voluissent per eadem ire vestigia.

---

1) τὸ ἀγαθόν. καὶ ἔωλον κτε. libri, καὶ τὸ καλόν Us. 2) πάσης — ἐξελαθείσης libri, corr. Us. 3) sic optimi libri, Madvigius Adv. II p. 489 sq., ex deterioribus Fickertus addidit „apud eos"

44. Philodemus de morte VH[1] IX col. I p. 1, Scott. Fr. H. app. XX (Mek. XIX, 11 sqq. p. 326) Καὶ Μητ[ρό]δωρ[ος] Ἐπικού[ρῳ ἔδωκ]ε(?) τοσαῦθ', ὅ[σα π]ροεῖχε[ν], ἔτη [καὶ πολὺ π]λεῖον' α[ὑτῷ ἐ]πιβιῶσαι.

Quae antecedunt hunc locum restituit Meklerus, a verbis καὶ Μητρόδωρος novum enuntiatum incipere spatium ante καὶ (in O.) docet. errant igitur Neapolitani, qui ex hoc loco prave intellecto colligunt Metrodori et Polyaeni rem familiarem valde tenuem fuisse (v. p. 545), eorum nugas copiosius tractare taedet.

de Polyaeno.

45. Philodemus de lib. dic. VH[1] Va p. 11 col. 6 καὶ νε[ανίσκ]ων[1]) γέροντες ἀ[εὶ διοί]κουσιν[2]) (sc. κατὰ τὴν παρρησίαν)· κἂν ᾖ δ' ὁ μ[ὲν ἀ]ποφθεγ[μ]ατίας μᾶ[λλον], ὡς Πολύ[αι]νόν φη[σι] Μη[τ]ρόδωρος, πολλάκι δὲ καὶ παρυποδύνων ὁ[μ]ιλίᾳ μᾶλλον καὶ ποτιμώτερος ἔτι δ' ἀξιοπιστότερο[ς.

de morbo suo.

46. Plutarchus contra beat. 16 p. 1097 E τί δὲ περὶ τοῦ[3]) πρὸς εὐπαθείας ἐπαίρεσθαι ναυτῶν δίκην Ἀφροδίσια ἀγόντων καὶ μέγα φρονεῖν, ὅτι νόσῳ νοσῶν ἀσκίτῃ τινὰς ἑστιάσεις φίλων συνῆγε καὶ οὐκ ἐφθόνει τῆς παραγωγῆς τοῦ ὑγροῦ τῷ ὕδρωπι; καὶ τῶν ἐσχάτων Νεοκλέους λόγων μεμνημένος ἐτήκετο τῇ μετὰ δακρύων ἰδιοτρόπῳ ἡδονῇ· ταῦτα οὐδεὶς ἂν ὑγιαίνων εὐφροσύνας ἀληθεῖς ἢ χαρὰς ὀνομάσειεν.

Cf. Celsus de med. III, 21 Metrodorum tamen Epicuri discipulum ferunt, cum hoc morbo tentaretur (sc. ὕδρωπι, cuius speciem esse ἀσκίτην Celsus initio capitis dicit), nec aequo animo necessariam sitim sustineret, ubi diu abstinuerat, bibere solitum deinde evomere.

Hoc Celsi loco nisus priorem partem Plutarchei enuntiati Metrodoro ascripsi. permirum esset, si et Epicurus et Metrodorus eodem morbo laborantes eodem modo valetudinem in periculum duxissent. alteram enuntiati partem spectare ad dictum Epicuri nomine Neoclis confirmatur. ut solet Plutarchus (v. supra p. 532) ab utroque exemplum petivit.

de philosophia.

47. Gnomologium Epicureum Vaticanum 27 Ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων ἐπιτηδευμάτων μόλις τελειωθεῖσιν ὁ καρπὸς ἔρχεται, ἐπὶ δὲ φιλοσοφίας συντρέχει τῇ γνώσει τὸ τερπνόν. οὐ γὰρ μετὰ μάθησιν[4]) ἀπόλαυσις ἀλλὰ ἅμα μάθησις καὶ ἀπόλαυσις.

---

1) νεανίδων Neap. 2) ἀκούουσιν Neap. 3) τὸ δὲ περὶ τοῦ libri, τὸ δ' Ἐπικούρου Wyttenb., τὸ δ' Ἐπίκουρον Us. 4) μάθησις V., correxit Wotkeius

Adiudicavi Metrodoro hoc fragmentum, quia a nullo horti sodali voluptas illa, quae in ipsa cognitione inest, celebratur, nisi a Metrodoro (fr. 37). vide quae supra in praefatione exposui p. 531.

de physiologiae utilitate.

48. Gnomologium Epicureum Vaticanum 45 Οὐ κόμπου οὐδὲ φωνῆς[1]) ἐργαστικοὺς οὐδὲ τὴν περιμάχητον παρὰ τοῖς πολλοῖς παιδείαν ἐνδεικνυμένους φυσιολογία παρασκευάζει, ἀλλ' ἀθορύβους[2]) καὶ αὐτάρκεις καὶ ἐπὶ τοῖς ἰδίοις ἀγαθοῖς, οὐκ ἐπὶ τοῖς τῶν πραγμάτων μέγα φρονοῦντας.

Ut Metrodoro hanc sententiam ascriberem, duabus causis adductus sum: primum constat Metrodorum eis sodalibus obstitisse, qui non recte de utilitate ex physiologia affluente iudicarent (vide fr. 25 sqq. p. 550 sqq.) et ad eam ipsam rem, quam libro Πρὸς τοὺς ἀπὸ φυσιολογίας λέγοντας ἀγαθοὺς εἶναι ῥήτορας tractavit, hoc dictum spectare videtur. nam verba οὐ κόμπου οὐδὲ φωνῆς ἐργαστικούς optime intelleguntur, si rhetores conicimus vanae grandiloquentiae artifices dici. Epicurum ipsum non tam distincte utilitatis ex physiologia perceptae fines circumscripsisse ex eo concludere licet, quod Metrodorus et Philodemus in eius sententia explicanda enituntur, vide p. 550 sq. accedit quod sententiae finis inscriptioni Metrodorei libri Περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν πρὸς εὐδαιμονίαν τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων (v. p. 540) similis est.

de fortuna.

49. Gnomologium Epicureum Vat. 47 Προκατείλημμαί σε ὦ τύχη καὶ πᾶσαν ⟨τὴν⟩[3]) σὴν παρείσδυσιν ἐνέφραξα. καὶ οὔτε σοὶ οὔτε ἄλλῃ οὐδεμιᾷ περιστάσει δώσομεν ἑαυτοὺς ἐκδότους· ἀλλ' ὅταν ἡμᾶς τὸ χρέων ἐξάγῃ, μέγα προσπτύσαντες τῷ ζῆν καὶ τοῖς αὐτῷ κενῶς περιπλαττομένοις[4]) ἄπιμεν ἐκ τοῦ ζῆν μετὰ καλοῦ παιῶνος[5]) ἐπιφωνοῦντες ὡς εὖ ἡμῖν βεβίωται.

Plutarchus de tranquill. an. 18 p. 476C ὁ γοῦν εἰπών· Προκατείλημμαί σε ὦ τύχη καὶ πᾶσαν τὴν σὴν ἀφῄρημαι παρείσδυσιν οὐ μοχλοῖς οὐδὲ κλεισὶν οὐδὲ τείχεσιν ἐθάρρυνεν ἑαυτὸν ἀλλὰ δόγμασι καὶ λόγοις κτέ.

Cicero Tuscul. V, 9, 27 quod idem melioribus etiam verbis Metrodorus: Occupavi te, inquit, fortuna atque cepi; omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me aspirare non posses.

Ad finem sententiae cf. Plut. contra beat. 16 p. 1098B ἀλλ' ἡδέως τε βεβιωκέναι καὶ βρυάζειν καὶ καθυμνεῖν τὸν αὑτῶν βίον ἐκκραυγάζοντες λέγουσι.

---

1) ⟨κενῆς⟩ φωνῆς Us. 2) ἀλλὰ σοβαρούς V., ἀλλ' ἀφόβους Us., ἀλλ' ἀθορύβους Gomp. 3) τὴν inser. Us. 4) περιπλεκομένοις Us. 5) πλείονος V., corr. Us.

50. Maximus Confessor p. 638 ed. Combef. = **Antonius Monachus** II, 89 p. 153 Μητροδώρου· **Μὴ ζήτει γίνεσθαι τὰ γινόμενα ὡς θέλεις, ἀλλὰ θέλε ὡς ἂν τὰ γινόμενα γίνοιτο.**[1])

de morte.

51. Gnomologium Epicureum Vat. 31 **Πρὸς μὲν τἆλλα δυνατὸν ἀσφάλειαν πορίσασθαι, χάριν δὲ θανάτου πάντες ἄνθρωποι πόλιν ἀτείχιστον οἰκοῦμεν.**

Stobaeus flor. CXVIII, 33 Μητροδώρου· Πρὸς — οἰκοῦμεν.

Codex gnomolog. Palatinus 129 (ex quo nuper **Maximilianus** Treu sex sententias Epicureas cum Hermanno Usener communicavit, quarum duas Metrodori hic mihi exscribendas benigne permisit) fol. 23 l. 10 sq. Ἐπικούρου· Πρὸς μὲν τἆλλα δυνατὸν ἀσφάλειαν πορίσασθαι χάριν δὲ θανάτου πόλιν ἀτείχιστον οἰκοῦμεν.

Maximus Confessor II p. 627 Comb. Ἐπικούρου Gnomologium cod. Par. gr. 1168 f. 115r Γνῶμαι Ἐπικούρου.

Philodemus de morte XXXVII, p. 350 Mek. [πά]ντες γὰ[ρ] ἀτίχ[ισ]τον [πόλι]ν πρὸς θάνατον οἰκοῦμεν.

52. Iohannes Stobaeus flor. CXVI, 42 Μητροδώρου· **Οὐ μακαριεῖς τὸν γέροντα, καθ' ὅσον γηράσκων τελευτᾷ, ἀλλ' εἰ τοῖς ἀγαθοῖς συμπεπλήρωται· ἕνεκα γὰρ χρόνου πάντες ἐσμὲν ἄωροι.**[2])

53. Iohannes Stobaeus flor. XVI, 20 Μητρόδωρος· **Ἑτοιμάζονταί τινες διὰ βίου τὰ πρὸς τὸν βίον ὡς βιωσόμενοι μετὰ τὸ λεγόμενον ζῆν οὐ συνορῶντες ὡς πᾶσιν ἡμῖν θανάσιμον ἐγκέχυται τὸ τῆς γενέσεως φάρμακον.**

Gnomologium Epic. Vat. 30 Ἑτοιμάζονταί τινες διὰ βίου τὰ πρὸς τὸν βίον οὐ συνορῶντες ὡς πᾶσιν ἡμῖν θανάσιμον ἐγκέχυται τὸ τῆς γενέσεως φάρμακον.

Codex gnomol. Palat. 129 fol. 23 l. 10 (Ἐπικούρου)· Πᾶσι θανάσιμον ἐγκέχυται τὸ τῆς γενέσεως φάρμακον.

Apud Stobaeum XVI, 19 legitur sub lemmate Antiphontis Εἰσί τινες, οἳ τὸν παρόντα μὲν βίον οὐ ζῶσιν, ἀλλὰ παρασκευάζονται πολλῇ σπουδῇ ὡς ἕτερόν τινα βίον βιωσόμενοι οὐ τὸν παρόντα καὶ ἐν τούτῳ παραλειπόμενος ὁ χρόνος οἴχεται. hac sententia, quam Demonacti tribuit Maximus Confessor (p. 572 Combef.), usum esse Metrodorum manifestum est. ex verbis ὡς ἕτερόν τινα βίον βιωσόμενοι οὐ τὸν παρόντα apparet rectius Usenerum Gomperzio de eis verbis dicti Metrodorei iudicasse, quae in gnomologio Vaticano desunt (stud. Vindob. X p. 186 et 205).

Metrodorum non tam rudem fuisse liberarum artium quam adversarii fingunt, vel ex eo cognoscitur, quod Antiphontis dictum novit et variavit, ita ut vim eius et altitudinem valde augeret. non est mirum quod scriptor gnomologii Palatini ea verba solum recepit,

1) γένηται libri, γίνοιτο Us. 2) ἄδωροι libri, corr. Wyttenbachius

quae Metrodorus Antiphontis sententiae adiecit. Metrodorum in epistulis interdum aliorum scriptorum dictis usum esse hoc exemplo demonstratur, id quod multi interest ad iudicandum de duobus versibus Metrodoro a Stobaeo ascriptis (fr. 56 et 57). inter tot Metrodoros, quos veteres referunt, poeta non occurrit, dubito vero duorum versiculorum gratia novum Metrodorum eumque poetam statuere. accedit quod prioris potissimum versus sententia optime quadrat ad Metrodori nostri mores cf. fr. 55. puto igitur Metrodorum poetae alicuius versus metro servato verbis fortasse leniter mutatis epistulae inseruisse, unde excerpti sunt pro Metrodori dictis. qua de causa non dubitavi eos inter Lampsaceni fragmenta recipere.

de sapiente.

54. Seneca epist. mor. 81, 11 ne nobis fiat invidia, scito idem dicere Epicurum: Metrodorus certe ait solum sapientem referre gratiam scire.

de adolescente.

55. Iohannes Stobaeus ecl. eth. 31, 67 p. 213 Wachsm. Μητροδώρου[1]· Νέος[2]) ἐν πολυτελέσι βρώμασι καὶ ποτοῖς ἔτι δὲ ἀφροδισίοις ἀναστρεφόμενος[3]) λέληθεν[4]) ἑαυτὸν ἐν τῷ θέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβων.

Appendix ex cod. Laur. I, 6 (Mein. IV p. 150) Μητροδώρου[5])· Νέος — κατατρίβων.

Sententiae altera pars fluxit ex proverbio Zenob. III, 72, Diogen. IV, 51 ἐν θέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβεις· ἐπὶ τῶν μὴ καθ' ὥραν τοῖς ἀναγκαίοις χρωμένων. nam in proverbium abiisse Metrodori dictum veri simile non est.

56. Iohannes Stobaeus flor. LII, 7 Μητροδώρου· Νέος φιλοδοξῶν πρώιμος πονηρία.

Arsenius XI 98e Νέος — πονηρία· ἡ Μητροδώρου γνώμη.

Arsenius ex Stobaeo hausit sententiam, vide Arsen. XI, 98c et d = Stob. LII, 4 et 6.

57. Iohannes Stobaeus flor. LII, 8 Τοῦ αὐτοῦ· Τὸ νέον ἅπαν ὑψηλόν ἐστι καὶ θρασύ.

de servis.

58. Iohannes Stobaeus flor. LXII, 44 Μητροδώρου· Δοῦλος ἀναγκαῖον μὲν κτῆμα οὐχ ἡδὺ δέ.

de re familiari.

59. Gnomologium Epic. Vat. 41 Ἅμα[6]) δεῖν καὶ φιλοσο-

---

1) (Μ)ρ̄ο̄δώρου L., nomen Μητροδώρου latere Cobetus animadvertit 2) νέος ὢν Gaisfordius 3) ἀνατρεφόμενος libri append. 4) λέληται libri append., λέλησαι Nauckius 5) Ἱροδώρου libri 6) Gomperzius ultimum verbum antecedentis sententiae γελᾶν ab Usenero in γέλων mutatum ad nostram trahit, non recte ut puto

φεῖν καὶ οἰκονομεῖν καὶ τοῖς λοιποῖς οἰκειώμασι χρῆσθαι καὶ μηδαμῇ λήγειν[1]) τὰς ἐκ τῆς ὀρθῆς φιλοσοφίας φωνὰς ἀφιέντας.

Metrodoro ascripsi sententiam, quia illum studiosissime sodales admonuisse constat, ut rei familiari administrandae operam darent. vide p. 544. quamquam hoc quidem dictum certe ei adiudicari nequit.

de securitate in re publica.

60. Stobaeus flor. XLV, 26 Μητροδώρου· Ἐν πόλει μήτε ὡς λέων ἀναστρέφου μήτε ὡς κώνωψ. τὸ μὲν γὰρ ἐκπατεῖται, τὸ δὲ καιροφυλακεῖται.

Incertae sedis fragmenta.

61. Sextus Empiricus adv. gramm. 60 Ἐγκαλεῖ δὲ αὐτῷ (Διονυσίῳ Θρᾳκὶ) Πτολεμαῖος ὁ περιπατητικός, ὅτι οὐκ ἐχρῆν ἐμπειρίαν εἰρηκέναι τὴν γραμματικήν — αὐτὴ μὲν γὰρ ἡ ἐμπειρία τριβή τίς ἐστι καὶ ἐργάτις ἄτεχνός τε καὶ ἄλογος, ἐν ψιλῇ παρατηρήσει καὶ συγγυμνασίᾳ κειμένη, ἡ δὲ γραμματικὴ τέχνη καθέστηκεν — οὐ συνορῶν ὅτι τάττεται μὲν καὶ ἐπὶ τέχνης τοὔνομα, καθὼς ἐν τοῖς ἐμπειρικοῖς ὑπομνήμασιν ἐδιδάξαμεν, ἀδιαφόρως τοῦ βίου τοὺς αὐτοὺς ἐμπείρους τε καὶ τεχνίτας καλοῦντος, ἀφ᾽ ἧσπερ ἐννοίας καὶ ὁ Μητρόδωρος ἔφη μηδεμίαν ἄλλην πραγμάτων ἐμπειρίαν τὸ ἑαυτῆς τέλος συνορᾶν ἢ φιλοσοφίαν, τοῦτ᾽ ἔστι μηδεμίαν τέχνην.

Totum locum exscripsi, ut refellerem Dueningi errorem, qui verba ἀφ᾽ ἧσπερ ἐννοίας — τέχνην coniunxit cum parenthesi αὐτὴ μὲν γὰρ — καθέστηκεν, ita ut sententiarum conexum plane inverteret: illa parenthesis Ptolemaei sententiam continet, Sextus contra affirmat vocabula τέχνην et ἐμπειρίαν in sermone cotidiano non distingui, quod Metrodori loco illustrat. miror Dueningium, qui Bekkeri argutam observationem de scholiastae Dionysi errore laudat, non rectius illo scholiasta iudicasse. nam nemo, qui fragmentum nostrum apud Dueningium (fr. 2 p. 42 sq.) legit, non putabit verba τοῦτ᾽ ἔστι μηδεμίαν τέχνην Metrodori esse. nihil dicit Metrodorus de artis et experientiae differentia, id quod Dueningius putat.

Anecdota Graeca Bekkeri (schol. ad Dionys. Thr.) II p. 731 ἕτεροι δὲ οὕτω φασίν, ὅτι τὸ τῆς ἐμπειρίας ὄνομα τέτακται καὶ ἐπὶ τῆς τέχνης ἀδιαφόρως <ὑπὸ> τοῦ βίου, τῶν αὐτῶν ἐμπείρων τε καὶ τεχνικῶν ὀνομαζομένων, ὥς φησί που καὶ Μητρόδωρος μηδεμίαν ἄλλην πραγμάτων ἐμπειρίαν τὸ ἑαυτῆς τέλος συνορᾶν ἢ φιλοσοφίαν, τοῦτ᾽ ἔστι μηδεμίαν τέχνην.

62. Plutarchus contra beat. 3 p. 1088 B τὸ δὲ ἡδέως ζῆν *** ἂν ἅπτωνται πλείονα περὶ τούτου λέγειν οὐκ ἐῶσιν ἡμᾶς, ὁμολο-

---

1) λέγειν V., corr. Us.

γοῦντες αὐτοὶ μικρὸν εἶναι τὸ τῆς σαρκὸς ἡδὺ μᾶλλον δὲ ἀκαρές, εἴ γε δὴ μὴ κενολογοῦςι μηδὲ ἀλαζονεύονται, Μητρόδωρος μὲν λέγων ὅτι πολλάκις προςεπτύςαμεν ταῖς τοῦ ςώματος ἡδοναῖς.

63. Philodemus de morte XII, 30 Mek. (v. de Arnim Rh. Mus. 1888 p. 369) ποῦ γὰρ ἐλεῆςαι νέον ἔςτιν [ὅςτις ἂν ἕλοι]το(?) ἀναλογιζόμενον [ὁρ]ῶν Πυθοκλ[έα καθ'] ἃ κελεύει Μητρόδω[ρος, ἃ] περιπε[ποί]ηται, γε[γο]νὼς οὐ π[λέο]ν ὀ[κ]τωκα[ίδε]κα[1]) [ἐτῶν], ἀλλ' οὐχὶ τὸ[ν θανάςιμον] βίον ζήςας ἀνυπονόητος.

De Arnim, qui hunc locum l. l. tractavit, dicit se verba καθ' ἃ κελεύει Μητρόδωρος non de epistula ad Pythoclem data intelligere (id enim praesenti tempore κελεύει refutari), sed de praecepto Metrodori, a quo Epicurum secuto Pythoclem exemplar adulescentiae perfectae propositum esse. sed licet minus artificiose tempus praesens interpretari: non modo Pythoclem sed omnes homines Metrodorus in libris vel epistulis, studiosius fortasse quam Epicurus, ut vitae calculos ponerent, admonuit. Arnimio, amicissimo meo, iam hanc interpretationem placere, id quod per epistulam mecum communicavit, gaudeo.

64. Philodemus de ira col. 45 p. 149 G. ἀ]ρέ[ς]κει δὲ καὶ τοῖς καθηγεμόςιν οὐ τὸ[2]) [κ]ατ[ὰ] τὴν πρόληψιν [τα]ύτην θυμωθήςεςθαι τὸν ςο[φ]όν, ἀλλὰ τὸ[3]) κατὰ τὴν κοι[νο]τέραν, καὶ γὰρ ὁ Ἐπίκου[ρος] ἐν ταῖς Ἀναφωνήςεςιν [δι]αςαφεῖ [τό][4]) τε θυμωθήςεςθαι κα[ὶ τὸ] μετρίω[ς] κα[ὶ] ὁ Μητρόδ[ωρ]ος, εἰ κυρ[ί]ως λέγει, ζ[έςει[5]) ςο]φοῦ θυμός, ςυνεμφα[ίνει][6]) τὸ λίαν βραχέως.

Adiciam locum desperatum fortasse Metrodori dictum continentem scriptoris incerti pap. Herc. 862 col. 3 (Scott. Fr. H. p. 314) αφην..... προ[ς]αγορεύειν ι.τ. τὸν Μητρόδωρον, sequitur spatium in enuntiati fine solitum.

Metrodori nomen non recte restitutum esse puto his locis: 1) VH[1] Va p. 9 col. 5, 16. 2) Philod. de sanct. pap. 1428 D, b p. 69 G.

Appendix.

Testimonia de Metrodori vita et ingenio.

1) Laertius Diogenes X, 22 sqq.[7]) Μαθητὰς δὲ ἔςχε πολλοὺς μέν, ςφόδρα δὲ ἐλλογίμους Μητρόδωρον Ἀθηναίου ἢ Τιμοκράτους καὶ Cάνδης Λαμψακηνόν· ὃς ἀφ' οὗ τὸν ἄνδρα ἔγνω, οὐκ ἀπέςτη ἀπ' αὐτοῦ πλὴν ἓξ μηνῶν εἰς τὴν οἰκείαν, ἔπειτα ἐπανῆλθε. γέγονε δὲ ἀγαθὸς πάντα, καθὰ καὶ Ἐπίκουρος ἐν προηγουμέναις γραφαῖς

1) incipit col. XIII 2) οὕτω Gomp. 3) ἀλλὰ οὐ Gomp. 4) τό τε restit. Spengelius 5) τ.... ap., πνεῦμα coniecit Dueningius 6) ςυνεμφαίνεται Gomp., ςυνεμφαίνει τό Buech. 7) Cum omnino non ab Useneri textu (Ep. 367, 18—69, 3) recesserim, apparatum criticum non transcripsi, in matris nomine enucleando frustra enisus sum.

μαρτυρεῖ καὶ ἐν τῷ τρίτῳ Τιμοκράτους. τοιοῦτος δ' ὢν καὶ τὴν ἀδελφὴν Βατίδα ἐξέδοτο Ἰδομενεῖ καὶ Λεόντιον τὴν Ἀττικὴν ἑταίραν ἀναλαβὼν εἶχε παλλακήν. ἦν δὲ καὶ ἀκατάπληκτος πρός τε τὰς ὀχλήσεις καὶ τὸν θάνατον, ὥς Ἐπίκουρος ἐν τῷ πρώτῳ Μητροδώρου φησί. φασὶ δὲ καὶ πρὸ ἑπτὰ ἐτῶν αὐτοῦ τελευτῆσαι πεντηκοστὸν τρίτον ἔτος ἄγοντα, καὶ αὐτὸς Ἐπίκουρος ἐν ταῖς προειρημέναις διαθήκαις, ὥς προαπεληλυθότος αὐτοῦ δηλονότι, ἐπισκήπτει περὶ τῆς ἐπιμελείας αὐτοῦ τῶν παίδων. ἔσχε δὲ καὶ τὸν προειρημένον εἰκαῖόν τινα ἀδελφὸν τοῦ Μητροδώρου Τιμοκράτην. βιβλία δέ ἐστι τοῦ Μητροδώρου τάδε· — Περὶ εὐγενείας. vide supra p. 537.

de patria.

2) Strabo XIII p. 589 Ἐκ Λαμψάκου δὲ .... Μητρόδωρος ὁ τοῦ Ἐπικούρου ἑταῖρος· καὶ αὐτὸς δ' Ἐπίκουρος τρόπον τινὰ Λαμψακηνὸς ὑπῆρξε διατρίψας ἐν Λαμψάκῳ.

3) Cicero Tuscul. V, 37, 109 qui enim beatior Epicurus, quod in patria vivebat, quam quod Athenis Metrodorus?

de aetate.

4) Plutarchus de defect. or. 20 p. 420 D οὕτω γὰρ Ἐπίκουρός τε χείρων Γοργίου φανεῖται τοῦ σοφιστοῦ καὶ Μητρόδωρος Ἀλέξιδος τοῦ κωμῳδοποιοῦ· διπλάσιον γὰρ οὗτος ἔζησε τοῦ Μητροδώρου.

5) Scriptor incertus vol. Herc. 1044 col. 23 (edidit Gomperzius Hermae tom. V p. 387) Μητροδ[ώρου] ἐπ[ὶ] Δη[μ]οκλέους [τελευ]τ[ήσαν]τος.[1]) i. e. a. 277 a. Chr. n.;
V. fr. 44.

de concubinatu cum Leontio inito.

6) Seneca (fr. 45 Haasi) ap. Hieronymum adv. Iovin. I, 48 p. 317 Vall. Epicurus voluptatis assertor, quamquam Metrodorus discipulus eius Leontium habuerit uxorem, raro dicit sapienti ineunda coniugia.

Iure Attico Metrodorus Lampsacenus Leontium Atheniensem legitimo matrimonio sibi coniungere non potuit, sed videtur illa non tam meretricis quam uxoris locum obtinuisse.

7) Plutarchus contra beat. 16 p. 1098 B τὴν μὲν γὰρ Μητροδώρου μητέρα καὶ τὴν ἀδελφὴν ὥς ὑπερέχαιρον ἐπὶ τοῖς γάμοις αὐτοῦ ... ἐκ τῶν βιβλίων δήπου δῆλόν ἐστιν.

8) Laertius Diogenes X, 6 καὶ ἄλλαις δὲ πολλαῖς ἑταίραις γράφειν, καὶ μάλιστα Λεοντίῳ, ἧς καὶ Μητρόδωρον ἐρασθῆναι.

de aliarum meretricum usu.

9) Laertius Diog. X, 7 συνεῖναί τε αὐτῷ καὶ Μητροδώρῳ ἑταί-

---

1) ...ωτει..τος in apogr. legi testatur Gomperzius

ρας καὶ ἄλλας, Μαμμάριον[1]) καὶ Ἡδεῖαν καὶ Ἐρώτιον καὶ Νικίδιον (Τιμοκράτης φησίν).

de liberis.

10) Ep. ep. ad Idom. (Us. fr. 138) apud Laert. X, 22 σὺ δὲ ἀξίως τῆς ἐκ μειρακίου παραστάσεως πρὸς ἐμὲ καὶ φιλοσοφίαν ἐπιμελοῦ τῶν παίδων Μητροδώρου. vertit Cic. de fin. II, 30, 96 Us. fr. 122 ex Epicuri epistula ad Hermarchum cf. adn. Us. ad p. 139, 5.

11) Ep. ep. apud Philodemum πραγματ. VH² I, 128 (Us. fr. 177) σὺ οὖν, ἄν τι γένηται, τὰ παιδία τὰ Μητροδώρου διοίκησον τέτταρα ἢ πέντ' ἔτη μηθὲν πλεῖον δαπανῶν ἤ περ νῦν ε[ἰς ἐ]μὲ δαπανᾷς κατ' ἐνιαυτόν.

12) Epicuri testamentum apud Laertium Diog. X, 19 (Us. fr. 217) ἐπιμελείσθωσαν δὲ καὶ Ἀμυνόμαχος καὶ Τιμοκράτης τοῦ υἱοῦ τοῦ Μητροδώρου Ἐπικούρου καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Πολυαίνου φιλοσοφούντων αὐτῶν καὶ συζώντων μεθ' Ἑρμάρχου. ὡσαύτως δὲ τῆς θυγατρὸς τῆς Μητροδώρου τὴν ἐπιμέλειαν ποιείσθωσαν καὶ εἰς ἡλικίαν ἐλθοῦσαν ἐκδότωσαν, ᾧ ἂν Ἕρμαρχος ἕληται τῶν φιλοσοφούντων μετ' αὐτοῦ οὔσης αὐτῆς εὐτάκτου καὶ πειθαρχούσης Ἑρμάρχῳ.

Et infra X, 21 ἐὰν δέ τι τῶν ἀνθρωπίνων περὶ Ἕρμαρχον γένηται πρὸ τοῦ τὰ Μητροδώρου παιδία εἰς ἡλικίαν ἐλθεῖν, δοῦναι Ἀμυνόμαχον καὶ Τιμοκράτη, ὅπως ἂν εὐτακτούντων αὐτῶν ἕκαστα γίνηται τῶν ἀναγκαίων.

de fratre Actorida v. fr. 30.

de fratre Timocrate v. p. 554 sq., fr. 30, fr. 39 sqq.

Timocratis iudicium de Metrodoro.

13) Philodemus de lib. dic. sec. Zen. VH¹ Va p. 39 col. 20 ὡς Τιμοκράτης καὶ φιλεῖν ἔφη τ[ὸν ἀδ]ελφὸν ὡς οὐδεὶς καὶ μισεῖν ὡ[ς] οὐδείς.

Metrodorus Mithrae auxilium fert.

14) Plutarchus adv. Col. 33 p. 1126 E καίτοι ὅτι Μητρόδωρος εἰς Πειραιᾶ κατέβη σταδίους τεσσαράκοντα Μιθρῇ τινι Σύρῳ τῶν βασιλικῶν συνειλημμένῳ βοηθήσων, πρὸς πάντας ἐγράφετο[2]) καὶ ⟨πάσας⟩[3]), πάσαις ἐπιστολαῖς μεγαληγοροῦντος Ἐπικούρου καὶ σεμνύνοντος ἐκείνην τὴν ὁδόν.

15) Plutarchus contra beat. 15, 1097 B οἵας φωνὰς ἀφῆκεν Ἐπίκουρος, οἷα δὲ γράμματα τοῖς φίλοις ἔπεμψεν ὑμνῶν καὶ μεγαλύνων Μητρόδωρον, ὡς εὖ τε καὶ νεανικῶς ἐξ ἄστεως ἅλαδε[4]) κατέβη[5]) Μιθρῇ[6]) τῷ Σύρῳ βοηθήσων, καὶ ταῦτα πράξαντος οὐθὲν τότε τοῦ Μητροδώρου.

---

1) Μαρμάριον libri, emendavit Spengelius ex Philod. VH² I f. 149 2) ἐγραφέ τε libri, corr. Reiskius 3) πάσας inser. Us. 4) ἀλλὰ libri, em. Wyttenbachius 5) συνέβη libri, em. Xylander 6) Μίθρῳ libri

de re familiari v. p. 545.

de morbo v. fr. 46.

de morte.

16) Aelianus de providentia apud Suidam v. Ἐπίκουρος· Μητρόδωρος δὲ καὶ Πολύαινος ἄμφω τὼ ἑταίρω αὐτοῦ κάκιστα ἀνθρώπων ἀπέθανον· καὶ μέντοι τῆς ἀθεΐας ἐνέγκαντο μισθὸν οὐδαμὰ οὐδαμῇ μεμπτόν.

de cultu post mortem.

17) Epicuri testamentum (Laert. Diog. X, 18 Us. fr. 217) ἐκ δὲ τῶν γινομένων προσόδων τῶν δεδομένων ἀφ' ἡμῶν Ἀμυνομάχῳ καὶ Τιμοκράτει κατὰ τὸ δυνατὸν μεριζέσθωσαν μεθ' Ἑρμάρχου σκοπούμενοι ..... εἰς τὴν γινομένην σύνοδον ἑκάστου μηνὸς ταῖς εἰκάσι τῶν συμφιλοσοφούντων ἡμῖν εἰς τὴν ἡμῶν τε καὶ Μητροδώρου μνήμην[1]) κατὰ τὰ τεταγμένα.[2])

18) Cic. de fin. II, 31, 101 quaero autem quid sit quod ... tam accurate tamque diligenter caveat et sanciat, ut Amynomachus et Timocrates heredes sui de Hermarchi sententia dent quod satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis mense Gamelione itemque omnibus mensibus vicensimo die lunae dent ad eorum epulas qui una secum philosophati sint, ut et sui et Metrodori memoria colatur.

19) Aelianus apud Suidam v. Ἐπίκουρος· οὕτω δὲ ἄρα ἦν ἡδονῆς ἥττων ὁ Ἐπίκουρος ὥστε διὰ τῶν ἐσχάτων ἐν ταῖς διαθήκαις αὐτοῦ ἔγραψε τῷ μὲν πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ καὶ τοῖς ἀδελφοῖς ἐναγίζειν ἅπαξ τοῦ ἔτους καὶ Μητροδώρῳ δὲ καὶ Πολυαίνῳ τοῖς προειρημένοις, ἑαυτῷ δὲ δισσῶς.

20) Philodemus de morte XXIII p. 331 Mek. τίς ἔτυχεν [κη]δεμόνων οἵων Πολύ[α]ινος καὶ Μη[τρό]δωρος κα[ὶ] Λεοντε[ὺ]ς καὶ Ἐπίκουρ[ος αὐ]τὸς ἀπὸ τῆς τελευτῆς ἄχρι καὶ νῦν.

de amicitia Epicuri.

21) Seneca epist. mor. 6, 6 Metrodorum et Hermarchum et Polyaenum magnos viros non schola Epicuri sed contubernium fecit.

22) Seneca epist. mor. 33, 4 apud istos quicquid dicit Hermarchus, quicquid Metrodorus ad unum refertur.

23) Seneca epist. mor. 79, 15 (Epicurus) multis itaque iam annis Metrodoro suo superstes in quadam epistula cum amicitiam suam et Metrodori grata commemoratione cecinisset hoc novissime adiecit: nihil sibi et Metrodoro inter bona tanta nocuisse, quod ipsos illa nobilis Graecia non ignotos solum habuisset, sed paene inauditos.

24) Athen. deipn. VII, 279 f. περὶ δὲ τοῦ Ἐπικούρου Τίμων

1) μνήμην Aldobrandinus supplevit ex Cicerone 2) κατατεταγμένην libri, corr. Us.

ἐν τρίτῃ σίλλων φησί· „γαστρὶ χαριζόμενος τῆς οὐ λαμυρώτερον οὐδέν"., ταύτης γὰρ ἕνεκεν ὁ ἀνὴρ καὶ τῆς ἄλλης τῆς κατὰ σάρκα ἡδονῆς ἐκολάκευε καὶ Ἰδομενέα καὶ Μητρόδωρον.

25) Philodemus de morte XXVII p. 336 Mek. διότι δὲ λαμπρότερο[ν] εἰς δόξαν εἶχεν ὡς κα[ὶ] τούτοις καὶ Λεοντεῖ καὶ Μητροδώρῳ θε[ρ]απευομένοις ὑπ' ἀλλήλων καὶ θεραπεύουσι πᾶσιν Ἐπίκουρον ... πᾶς ἄν τις εὖ φρονῶν ὁμολογήσειεν.

26) Plutarchus contra beat. 22 p. 1103 A τῷ μὲν Ἐπικούρῳ καὶ Μητρόδωρος καὶ Πολύαινος καὶ Ἀριστόβουλος ἐκθάρσημα καὶ γῆθος ἦσαν, ὧν τοὺς πλείστους θεραπεύων νοσοῦντας ἢ καταθρηνῶν ἀποθνήσκοντας διετέλεσε.

cf. fr. 43 sq.

de libris Epicuri ei sacratis.

27) Plutarchus de occ. viv. 3 p. 1129 A. τί δὲ αἱ τοσαῦται μυριάδες στίχων ἐπὶ Μητρόδωρον, ἐπὶ Ἀριστόβουλον, ἐπὶ Χαιρέδημον γραφόμεναι καὶ συνταττόμεναι φιλοπόνως;

28) Laertius Diogenes X, 28 (in indice scriptorum Epicuri) Εὐρύλοχος πρὸς Μητρόδωρον et Μητρόδωρος ᾱ β̄ γ̄ δ̄ ε̄.

29) Epicurus Περὶ φύσεως κη̄ VH² VI f. 54 (in ultima libri pagina) ἱκα]νῶ[ς] οὖν ἡμῖν [ἠ]δολεσχήσθω ἐπὶ τοῦ παρόντος καὶ ὑμεῖς[1]) (desunt fere duae lineae).. Μάγ]νητ[ι](?) καὶ Μητρ[οδώ]ρῳ τῷ[2]) [ἐμῷ εἰρη]μένα.

Alloquitur Metrodorum in illo libro VH² VI f. 40 λέγε[ι] Μητρόδ[ω]ρε et f. 45—46 (Gomperzius rel. ac. Vindob. tom. 83 p. 92) ἀ]λλὰ γὰρ πῶς οὐκ εὔκαιρόν ἐστι [ταῦ]τ[α] προσφέροντα μ[η]κύνε[ιν κ]αὶ μᾶλ⟨λ⟩ον ὡς[3]) [πρὸς σὲ] Μητρόδωρε; πάνυ γὰρ οἶμαι σὲ πολλὰ ἂν ἔχειμ πρ[οεν]έγκασθαι κτἑ.

Epicuri de Metrodoro iudicia.

30) Seneca epist. mor. 52, 3 Quosdam ait Epicurus ad veritatem sine ullius adiutorio exisse, fecisse sibi ipsos viam. hos maxime laudat, quibus ex se impetus fuit, qui se ipsi protulerunt. quosdam indigere ope aliena, non ituros, si nemo praecesserit sed bene secuturos, ex his Metrodorum ait esse egregium hoc quoque sed secundae sortis ingenium.

31) Seneca epist. mor. 18, 9 certos habebat dies ille magister voluptatis Epicurus, quibus maligne famem exstingueret, visurus an aliquid deesset ex plena et consummata voluptate, vel quantum deesset, et an dignum quod quis magno labore pensaret. hoc certe in his epistulis ait, quas scripsit Charino magistratu ad Polyaenum. et quidem gloriatur non toto asse pasci, Metrodorum, qui nondum tantum profecerit, toto.

1) ὑμεῖς [δὲ μὴ κ]ακ[ίζητε τὰ ἐν το]ύ[τῳ τῷ λόγῳ ἐμοί] τ[ε] καὶ Μητρ[οδώ]ρῳ τῷ [ἐμῷ Gomperzius Ztschr. 1867 p. 210 2) τῷ [Λαμψακηνῷ γραφό]μενα(?) Us. 3) ἴσως Gomp., ὡς Us.

32) Cicero de finibus II, 3, 7 nec est quod te pudeat sapienti assentiri, qui se unus, quod sciam, sapientem profiteri sit ausus. nam Metrodorum non puto ipsum professum sed cum appellaretur ab Epicuro repudiare tantum beneficium noluisse.

aliorum iudicia de moribus et ingenio.

33) Philodemus de morte XXIX p. 339 Mek. θαυμαστὸν δ' εἰ κ[αὶ τ]οὺς ἐν παρατάξει μόνον ἀποθνήσκοντας ὑπολαμβάνουσιν οἱ μεταγενέστεροι λαμπρόν τι πεπραχέναι Θεμιστοκλέα δὲ .... οὐ νομίζουσιν καὶ φυσικωτέρως ἐζηκότας Ἐπίκου[ρ]ον καὶ Μητρόδωρον.

34) Lucianus Alex. 17 ὥστε πάνυ τὸ μηχάνημα ἐδεῖτο Δημοκρίτου τινὸς ἢ καὶ αὐτοῦ Ἐπικούρου ἢ Μητροδώρου ἤ τινος ἄλλου ἀδαμαντίνην πρὸς τὰ τοιαῦτα τὴν γνώμην ἔχοντος, ὡς ἀπιστῆσαι καὶ ὅπερ ἦν εἰκάσαι, καὶ εἰ μὴ εὑρεῖν τὸν τρόπον ἐδύνατο ἐκεῖνο γοῦν προπεπεισμένου, ὅτι λέληθε μὲν αὐτὸν ὁ τρόπος τῆς μαγγανείας, τὸ δ' οὖν πᾶν ψεῦδός ἐστι καὶ γενέσθαι ἀδύνατον.

de sermone.

35) Cicero Tusc. II, 3, 8 Platonem reliquosque Socraticos, et deinceps eos, qui ab his profecti sunt, legunt omnes, etiam qui illa aut non approbant aut non studiosissime consectantur; Epicurum autem et Metrodorum non fere praeter suos quisquam in manus sumit.

36) Plutarchus contra beat. 2 p. 1086 E ἀπίασι δ' ἡμῖν ἐγκαλοῦντες οἱ περὶ Ἡρακλείδην τοῦ Ἐπικούρου καὶ Μητροδώρου (ἡμῶν)[1] μηδὲν αἰτίων ὄντων θρασύτερον καθαψαμένοις. καὶ ὁ Θέων· Εἶτα οὐκ ἔλεγες, εἶπεν, ὅτι τοῖς ἐκείνων ὁ Κωλώτης παραβαλλόμενος εὐφημότατος ἀνδρῶν φαίνεται; τὰ γὰρ ἐν ἀνθρώποις αἴσχιστα ῥήματα βωμολοχίας ληκυθισμοὺς ἀλαζονείας ἑταιρήσεις ἀνδροφονίας βαρυστόνους πολυφθόρους βαρυεγκεφάλους συναγαγόντες Ἀριστοτέλους καὶ Σωκράτους καὶ Πυθαγόρου καὶ Πρωταγόρου καὶ Θεοφράστου καὶ Ἡρακλείδου καὶ Ἱππάρχου καὶ τίνος γὰρ οὐχὶ τῶν ἐπιφανῶν κατεσκέδασαν;

Tacitus dial. 31 v. p. 556.

In exemplo logico eius nomen adhibet

Philodemus de signis p. 18 sq. G. ὥσπερ οὐ δύν[ατ]αι [ν]οεῖσθ' Ἐπίκουρος μὲν ἄνθρω[πος, Μ]ητρόδωρος δ' οὐκ ἄνθρωπ[ος.

---

1) ἡμῶν uncis inclusit Duebnerus

Pars altera.

Scriptoris incerti Epicurei tractatus moralis VH[2] X, 71—80.

Priusquam exponam, cur Metrodori esse hunc libellum suspicer, Gomperzi opinio mihi refellenda est, quam vir optime de voluminibus meritus protulit in studiis Vindobonensibus (II p. 139): hanc chartam 831 et p. 1012 (VH[2] VII, 1—29) unius eiusdemque operis partes esse coniecit, esse enim non modo litterarum ductus columnarumque formas plane pares sed etiam argumenti similitudinem quandam occurrere.

De litterarum ductu nihil audeo affirmare, quia papyros ipsas non inspexi, in apographis Neapolitanis certe utraque manus simillima est, nisi quod scriba papyri 831 saepius κ- pro καὶ scribit, cuius notae in 1012 exemplum non extat. sed haec una, ut mihi quidem videtur, similitudo inter illas papyros intercedit, cetera discrepant. primum singulorum versuum ambitus in p. 831 85—90 mm. est, in p. 1012 65—75 mm., deinde singuli versus papyri 831 20—25, p. 1012 18—22 litteras continent, deinde denorum versuum spatium in 831 60—62 mm. est, 53—55 in 1012. vel his differentiis, quarum primam Scottus quoque (Fr. H. p. 26 adn.) testatur, prohibeor, quominus eidem operi utramque papyrum adiudicem, graviora argumenta ab indole libellorum petuntur.

Scriptor papyri 1012 grammatici munere fungitur, ut ipse adnotat Gomperzius l. l., κυρίας δόξας aliaque dicta Epicuri recenset (col. 16 sqq., 19) et interpretatur (col. 22 sq.), sermonem Epicuri defendit, complures versus Empedoclis tractat, recentiores Epicureos, Zenonem dico et Irenaeum, commemorat. nulla, quantum video, toto in libro sententia tritas Epicureorum vias excedit, doctrina non ingenio excellit scriptor.

Is vero, qui papyrum 831 composuit, philosophus est, non grammaticus, non recenset aliorum dicta, docet ipse. toto libro non id agere videtur, ut Epicuri doctrinam ab adversariorum impetu defendat, sed ut iuvenem quendam horto conciliet vel potius conciliatum confirmet. certum hominem respici ex his locis cognoscitur: col. XI, 4 οὐ μὴν ἀλλὰ βλέπεις γε, πῶς ἂν περὶ τὰ τοςαῦτα καὶ τοιαῦτα θεωρήματα γυμναζομένη διάνοια οὐκ ἂν ἔξω γείνοιτο παντὸς ἀδιαλήπτου λόγου καὶ ςυγχαίρεις ςεαυτῷ κτέ. col. XV, 2 ἤχθης τε καλῶς ὑπὸ γονέων προςέθηκάς τε τῇ ἀγωγῇ ταύτῃ καὶ τὸ ἐξ

ἑαυτοῦ cωφρονικὸν ἀναλόγωc· ἔρρωcαί τε τῷ cώματι, ἐφ' ὅcον ἐνδέχεται τὸν θνητόν, μεθέμενόc τε τῶν περὶ τὰ τυχόντα cπουδαcμάτων λόγων ἐπιμελὴc εἶ κτέ. cf. col. V, 8, VIII, 7. sunt sane in locis allatis nonnulla a me restituta, sed si quis de ceteris dubitet, verba ἔρρωcαί τε τῷ cώματι ἐφ' ὅcον ἐνδέχεται τὸν θνητόν, in quibus nihil fere suppletum est, ad sententiam meam comprobandam sufficiunt. haec non cuilibet lectori dici possunt, sed ad certum quendam deriguntur. adolescentem aliquem admoneri, colligo cum ex totius libri sermone, tum ex verbis παιδευ- (col. XII, 12) et ἤχθηc τε καλῶc ὑπὸ γονέων προcέθηκάc τε τῇ ἀγωγῇ ταύτῃ καὶ τὸ ἐξ ἑαυτοῦ cωφρονικόν, qui loci Scottum commovisse videntur, ut de educatione libellum agere coniceret l. l.

Iam demonstrasse mihi videor nullam cognationem esse inter hanc papyrum et n. 1012, videamus quid de fine, aetate, scriptore statuendum sit.

Primum adnotatione dignum est, quod in nostro libello omnino nullus adversarius impugnatur, nisi ei, qui sensuum normam tollunt, i. e. ei, quos iam Epicurus ipse refutare studuit. at omnes fere, quos novimus, libri recentiorum Epicureorum, Philodemum dico, Demetrium, scriptorem de deis VH[1] VI, b, scriptorem papyri 1012, (quam Philodemo ascribere dubito), Ciceronis primi de deorum natura libri fontem, in eo potissimum versantur, ut hortum ab Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum incursu tueantur.

Sed ne sodalis quidem scholae commemoratur, nisi semel Epicurus; vide autem quomodo huius dictum inducatur, col. VI τῶν ἀνθρώπων θνηcκόντων οὐδείc ἐcτιν, ὃc δύναται φυγεῖν θάνατον, καὶ μὴν ἑκάcτου, καθά περ φηcὶν Ἐπίκουροc, ἀπὸ τῆc πρώτηc γενέcεωc πρόc τινα χρόνον cυcτάντοc, ὥcτε πλήονα μὲν μὴ δύναcθαι βιῶcαι, ἐλάττονα δὲ δύναcθαι κτέ. non tam ut scriptoris sententia Epicuri testimonio confirmetur, sed ut oratio flosculo adornetur dictum insertum videtur.

Deinde miramur in undeviginti paginis de tot tamque diversis rebus agi: ut ea solum enumerem, quae maioris ponderis sunt, sensuum auctoritas defenditur col. IV sq., cupiditatum licentia refrenatur col. VIII, physiologiae studium commendatur col. VIII eiusque altitudo celebratur col. VIII—XI, tamen ne rerum cognitioni nimiam operam impendat ille iuvenis admonetur col. XI, ad ratiocinandum, quanta bona perceperit, quanta mala vitaverit, impellitur col. XIV, utilitates ex philosophia affluentes enumerantur col. XVI, tota denique summa Epicureae doctrinae tractatur.

Si quaerimus, qua aetate talia doctrinae breviaria composita sint, ad primordia scholae reicimur. postquam Epicuri disciplina per totam Graeciam vel per orbem terrarum propagata est, sodales horti non in brevius contrahere magistri doctrinam studuerunt, sed unamquamque partem quam subtilissime et copiosissime explanare, amplificare, confirmare; vide Philodemum de arte rhetorica, quae

ab Epicuro certe non inter capita doctrinae habebatur, tot tantaque volumina conscribentem. at cum primi sodales in hortum conveniebant, tum erat operae pretium singulis iuvenibus summam novae doctrinae nuntiare eosque studiose admonere, ne relaberentur in volgi errores. ideo Epicurus ipse disciplinae capita summatim tractavit ut in epistulis ad Herodotum et Menoeceum datis, quas Laertii in Epicurum studium nobis servavit; inter Herculanensia volumina nullum video, quod his Epicuri epistulis tam simile sit, quam noster libellus.

His argumentis evincitur, si quid video, libellum multo propius ab Epicuri quam a Philodemi aetate abesse, sed ultra progredi licet.

Primum sunt nonnulla in hac papyro, quae recedunt a volgari Epicureorum usu verborum: persaepe legimus vocabula μετεωριcμόc col. IV, 4 et 11, XII, 5, XIII, 6, XVIII, 10, μετεώριcμα V, 6, μετεωρίζεcθαι XIV, 1, XVIII, 5, XVIII, 8, ἀμετεώριcτοc(?) VII, 8 inusitata quadam notione. nam plerumque haec vocabula aut de homine ab humili loco ad excelsum evecto usurpantur cf. Philod. de vitiis X VH[1] IIIb col. 10 p. 19, Sauppii p. 18 ἐάν ποτε cυναιcθάνηται μετεωριζόμενοc μεταρρίπτειν τὴν διάνοιαν ἐπὶ τὰc ἔμπροcθεν ταπεινώcειc ὑπὸ τῆc τύχηc, εἴ ποτε γεγόναcιν, aut de animo vel gaudio vel superbia elato ita ut, si quid insit vituperationis, id ad nimiam elationem pertineat, at scriptor huius libelli voce μετεωριcμοῦ significat perturbationes animi quales ex vanis opinionibus nascuntur, et μετεωριζόμενον eum dicit, cuius animus vanis opinionibus abripitur.[1]) idem fere dicendum est de vocibus ἀναπλαcμόc col. IV, 4, V, 5 et ἀναπλάccειν col. XIV, 1, XVII, 5: ἀναπλάccειν ab hoc auctore absolute dicitur pro ψευδοδοξεῖν vel κενοδοξεῖν, vide XIV, 1 μετεωρίζεται καὶ ἀναπλάccει, quod, quantum video, nemo scriptor ausus est. usurpatur sane interdum de fictionibus sed non nisi addito obiecto vide Sext. Emp. adversus mathem. IX, 42 τὸ δὲ εἴδωλα εἶναι ἐν τῷ περιέχοντι ὑπερφυῆ καὶ ἀνθρωποειδεῖc ἔχοντα μορφὰc καὶ καθόλου τοιαῦτα ὁποῖα βούλεται αὐτῷ ἀναπλάττειν Δημόκριτοc παντελῶc ἐcτι δυcπαράδεκτον. ἀναπλαcμόc autem eadem notione nusquam occurrit, nisi in Plutarchi consolatione ad Apollonium, quae scatet verbis et sententiis Epicureis 23 p. 113 D εἴ γε μὴν ὁ ἄωροc θάνατοc κακόν ἐcτιν ἀωρότατοc ἂν εἴη ὁ τῶν νηπίων καὶ ἔτι μᾶλλον ὁ τῶν ἄρτι γεγονότων. ἀλλὰ τοὺc τούτων θανάτουc ῥᾳδίωc φέρομεν καὶ εὐθύμωc, τοὺc δὲ τῶν ἤδη προβεβηκότων δυcχερῶc καὶ πενθικῶc διὰ τὸν ἐκ τῶν ματαίων ἐλπίδων ἀναπλαcμὸν ἤδη νομιζόντων ἡμῶν, βεβαίαν ἔχειν τὴν τῶν τηλικούτων διαμονήν (totum locum

1) cum haec iam sub prelo essent, Usenerus animum meum advertit haec verba eadem natione usurpari a Basilio or. ascet. I p. 319 E, 320 B, II, p. 325 E (ed. Maur.), quibus in orationibus Epicureae doctrinae vestigia occurrunt.

exscripsi ut appareret, quam similis esset Metrodori fragmento 52). accedit tertium verbum αἰώρα, quo satis audacter utitur scriptor noster VIII, 6. non saepe hoc vocabulum ad animi affectiones transfertur, Philo Iudaeus autem qui hanc vocem amat, αἰώραν dicit animi elationem, non perturbationem, spectans, ni fallor, ad propriam notionem gestaminis, vide de somniis 7 p. 665 M. et 9 p. 667 M., 'Quod deus immutabilis sit' 36 p. 298 M. propius a nostri scriptoris usu abest locus Diodori Siculi II, 29, ubi αἰώρα fluctuationem significat (cf. Plat. Phaed. 111 E). licentius tamen dictum est a nostro scriptore τούτῳ πᾶϲα αἰώρα ψυχῆϲ ἐκπέφευκται quam a Diodoro ψυχὴ πλανᾶται γινομένη ἐν αἰώρᾳ. verbum αἰωρεῖϲθαι (col. VIII, 2) interdum occurrit in Epicureorum libris, iam Epicurus eo utitur in incerti libri Περὶ φύϲεωϲ fragmentis (Gomp. Stud. Vind. I l. 23) τὸ μὴ αἰωρούμενον τῆϲ φύϲεωϲ. simillime Epicureos secutus qui Cratetis epistulam 35 scripsit p. 216 Herch. οὐ μή ποτε παύϲηται αἰωρούμενοϲ κεναῖϲ ἐλπίϲι καὶ ἐπιθυμίαιϲ ϲυνεχόμενοϲ. accedit vox διατροπὴ propria quadam notione usurpata VII, 2, XIX, 3. significat διατροπὴ apud Polybium alios perturbationem, in hoc libello pudorem. simillime utitur verbo διατρέπεϲθαι Epicurus (fr. 591 U.) καὶ διατραπήϲεϲθαι (τὸν ϲοφὸν Ἐπικούρῳ δοκεῖ). denique in col. XII occurrit vocabulum ἀνδρείωμα ab Usenero certe restitutum, quod nusquam legitur nisi hic. significat autem ἀνδρείωμα laborem virilem, ut νεανίευμα (cf. Plat. Rep. III 390 A) lusum iuvenilem. vocabula in -μα exeuntia huic scriptori non minus in deliciis sunt quam Epicuro et Metrodoro: in huius reliquiis legimus ἔλπιϲμα, ἐξεύρημα, ἐπιτήδευμα, κατάϲτημα, κατάψευϲμα, οἰκείωμα(?), in nostra papyro ἐνέργημα, ἐπιμέλημα(?), ζήτημα, θεώρημα, κίνημα, μετεώριϲμα, παράλλαγμα, πλήρωμα, ϲπούδαϲμα.

Non habeo quomodo has proprietates in usu verborum intelligam, nisi libellus primis scholae temporibus scriptus est: cum in sermone scholastico singulorum vocabulorum notiones nondum longinquo usu stabilitae essent, fieri potuit, ut sodalis aliquis rei tritissimae, ut sunt ψευδεῖϲ δόξαι, novum nomen imponeret, postea vix potuit fieri. licet hanc opinionem exemplo confirmare. habemus librum Polystrati de vana contemptione, non minus bene servatum fortunae benignitate quam editum a Gomperzio Hermae tom. XI. Polystratus Hermarchi successor fortasse ipsum Epicurum audivit. hic liber si cum nostro comparatur, intercedere inter eos similitudinem aliquam facile cognoscitur: in utroque physiologia magis celebratur quam in recentiorum scriptis, vide Polystr. col. VIb, IXb, XXa, etsi Polystratus physiologiae utilitatem, noster scriptor altitudinem potius respicere videtur, in utroque fere desunt testimonia ex principum libris deprompta, in utroque iuvenilis aliquid inest ardoris et alacritatis, id quod de Polystrati quidem libro rectissime praedicat Gomperzius (Ztschr. 1865 p. 724 adn. 5). sed desunt apud Polystratum verba μετεωρίζεϲθαι et μετεωριϲμόϲ, ἀναπλάϲϲειν et ἀναπλαϲμόϲ,

ea vocabula accurate observat, quae in usum scholae recepta sunt. quamquam sententias profert, quas in nullo Epicureorum libro tam distincte expositas habemus, tamen ne unum quidem vocabulum usurpat, ni fallor, quod non eadem notione alibi occurrat. Polystrati igitur temporibus sermo Epicureus iam certis terminis circumscriptus esse videtur. ergo hac quoque observatione veri simile fit libellum nostrum ante Polystratum i. e. Epicuri aetate compositum esse.

Sed non verbis solum scriptor a grege Epicureorum recentiorum differt, sententias quoque profert paullo remotiores a volgari studio. primum physiologiam multo ardentius amplectitur quam solent recentiores Epicurei. physiologia opus esse ad beate vivendum omnes Epicurei magistrum secuti saepissime clamant, in singulis tractandis rarissime versantur, colunt physiologiam propter utilitatem, non propter scientiam ipsam.

At scriptor huius libelli re vera scientiam ipsam adamare videtur. non solum altitudinem physiologiae admirabundus praedicat eiusque studium commendat col. VIII, sed etiam in astrologiae partibus enumerandis et celebrandis per tres fere columnas IX—XI quasi exsultat. Epicureum se esse confitetur sane, cum post hanc physiologiae laudem adnotat mentem, quae nimis versetur in tot tantisque quaestionibus, facile in vanas opiniones rursus incidere.

Deinde miramur quod homo Epicureus concedit nos cuiuslibet rei studio ab indiscretis vanisque opinionibus liberari c. XIII, 4 ἡ γὰρ περὶ ὅτι δή ποτε σπουδὴ ἀποστήσει τῶν ἀδιαλήπτων ἡμᾶς μετεωρισμῶν.

Noli autem ex his colligere scriptorem nostrum non genuinum esse Epicureum, capita doctrinae mordicus tenet, quid quod praeceptum quoddam Epicuri a nullo horti sodali tam distincte editur quam ab eo. sed de hac quidem re infra.

Ut iam summam faciam eorum, quae de scriptore enucleavimus: scribit primis scholae temporibus ad certum aliquem adolescentem, utitur proprio sermone, profert nonnulla minus usitata Epicureis.

Quodsi quaerimus ad quemnam haec omnia quadrent, unus occurrit Metrodorus. primum scimus eum similes libellos vel epistulas ad propagandam doctrinam singulis iuvenibus dedisse. Timarchum, cuius memoriam praeter Metrodori epistulam Alciphronis nugae servarunt (v. p. 558), et Menestratum ceteroquin ignotum hoc modo ab eo admonitos et confirmatos esse constat (v. fr. 37, 38). etiam forma adhortationis simillima est in fr. 38 ποιήσωμέν τι καλὸν ἐπὶ καλοῖς κτέ. et col. VIII, 7 συνεχίζωμέν τε ἐν τῷ κατὰ φιλοσοφίαν ἐνεργήματι κτέ.

Deinde sermonis quoque cognatio quaedam cum Metrodoro extare videtur. si de dictione Metrodori agimus id maxime cavendum est, ne sententiis nonnullis excerptis totam eius orationem parem

fuisse putemus. flosculos solum splendidissimos ex eius scriptis posteri expiscati sunt, quibus demonstratur potuisse eum summo vigore scribere, sed quam saepe ad tantam dictionis altitudinem evectus sit, nescimus. vide quantum intersit inter dicta Epicuri, quibus Wotkei gnomologium Vaticanum perlustrantes delectamur, et primam ad Herodotum epistulam. ne singulae quidem Epicuri epistulae inter se aequales sunt, quanto elegantius et lepidius scribit ad Menoeceum quam ad Herodotum. si totos libros Metrodori eadem dictione florida et elata qua illa fragmenta, conscriptos esse facimus, quomodo Ciceronis iudicium intelligemus, ne dicam excusabimus, Tusc. disp. II, 3, 8 (vide supra p. 570 test. 35)? quod non plane eodem colore nitet haec epistula, quo multae Lampsaceni sententiae, idonea causa non est, cur eam Metrodori esse negemus. sunt vero nonnulla in hoc quoque libello tam concinne et vivide dicta, ut meo quidem iudicio non indigna sint, quae sententiarum amicus excerpat, vide c. VIII, 3 ᾧ δ' ἐν τῷ κατὰ φύϲιν πέρατι κατακέκλειται τἀγαθὸν καὶ τὸ κακόν, τούτῳ πᾶϲα αἰώρα ψυχῆϲ ἐκπέφευκται, et XIX, 1 πολὺ γὰρ τὸ ἐν τοῖϲ πάϲχουϲιν ἐλεύθερον ϲυναγωνίζεται τῇ διατροπῇ πρὸϲ τὸ καταγωνίϲαϲθαι τὰ αἰϲχρὰ τῶν παθῶν et mutilato initio XII ἐπάγει ἐπὶ τὴν θέαν τῶν κυριωτάτων οὐδ' ἀδαμαντίνοιϲ δεϲμοῖϲ κατέχεϲθαι δυναμένην ῥᾳθυμίαν. deinde Metrodorum audaciorem fuisse in usu verborum ex unoquoque fere fragmento cognoscitur, idem statuimus de nostro scriptore, quamquam ut singularia verba apud utrumque eadem indagarem, mihi non contigit (vide tamen quae p. 573 sq. de voce ἀναπλαϲμόϲ et de vocabulis in -μα dixi). si Metrodorus tam rudis litterarum fuisset quam volgo putatur, dubitaremus ei libellum nostrum adiudicare, in quo sane modicae eruditionis documenta extant, sed qui Antiphontis dicto utitur (fr. 53), Homeri versum affert (fr. 37), ut omittam fr. 56 sq. quae ex comoedia hausta esse veri simile est, eum Euripidis locum notissimum (col. III) duosque poetae incerti versiculos (col. XVIII) commemorare non mirabimur.

Iam sententiarum similitudines inspiciamus.

Ipsam cognitionem rerum hic celebrari supra exposui, unus Metrodorus eandem sententiam pronuntiat in praeclaro fragmento 37 Μέμνηϲο ὅτι θνητὸϲ ὢν τῇ φύϲει καὶ λαβὼν χρόνον ὡριϲμένον ἀνέβηϲ τοῖϲ περὶ φύϲεωϲ διαλογιϲμοῖϲ ἐπὶ τὴν ἀπειρίαν καὶ τὸν αἰῶνα καὶ κατεῖδεϲ „τά τ' ἐόντα τά τ' ἐϲϲόμενα πρό τ' ἐόντα". iam oblitus est altitudine harum quaestionum elatus (cf. col VIII τὸ . . ὕψοϲ τούτων τῶν λόγων ἐπαῖρον τὴν διάνοιαν) propter utilitatem colendam esse physiologiam, iam bacchatur cognoscendi voluptate. aspice tot Epicureorum testimonia, quae in egregio Useneri opere collecta habemus, hae sententiae in eis non occurrunt, ut omittam Lucretium poetam I, 72. vel haec consensio sententiarum, quae a recentiorum Epicureorum studiis prorsus alienae sunt, commendat, ut nostrum scriptorem cum Metrodoro conectamus. accedunt alia:

Epicurum queri constat, quod adversus praeterita simus ingrati quod quaecunque percepimus bona non reducamus nec inter voluptates numeremus cum certior nulla sit voluptas quam quae iam eripi non possit (Seneca de ben. III, 4, 1 Ep. Us. fr. 435 cf. 436—38). sed Philodemus Pythoclem efferens (fr. 63), quod octodecim annos natus vitae summam fecerit (ἀναλογιζόμενος ἃ περιπεποίηται), secundum Metrodori praescripta hoc factum esse dicit. cur non Epicurum auctorem inducit? eadem de causa ni fallor qua commotus in libris de divitiis et de re familiari administranda saepius Metrodorum commemorat quam Epicurum: quae Epicurus de his rebus summatim posuerat, Metrodorus singillatim pertractavit. et vero in verbis ἀναλογιζόμενος ἃ περιπεποίηται imago a calculis petita multo magis premitur quam in ipsis Epicuri fragmentis. Metrodorus igitur studiose commendabat, ut bona in vita percepta ad calculos vocarentur, id quod omnino nusquam tam distincte praescribitur quam in nostri libelli col. XIV ᾗ δ' ἂν τὸ πλήρωμα τῶν ἀγαθῶν τις ἐν ὄμμασι τιθῆται καὶ ἐπιλογίζηται τίνα τε ἔχει καὶ πόσα καὶ πηλίκα, τίνα μὲν ὅτι ἀγαθά, πόσα δὲ ὅτι πολλά, πηλίκα δὲ ὅτι μεγάλα· καὶ κατὰ ἀντιστροφὴν τίνα τε πέφευγε καὶ πόσα καὶ πηλίκα ..... tamquam in tabula argentarii singula bona computantur, quae coacta vitae summam efficiunt. iterum videmus nostrum scriptorem idem studiosissime agentem, quod Metrodorum ceteris studiosius egisse constat.

Non est mirum quod Metrodorus divitias mente perceptas accurate computari voluit quippe qui rei familiari quoque accuratissime consuluit (cf. p. 545 sq.), studiosius quam Epicurus oeconomiam commendabat et ipse curabat, quamquam satis locuples erat. iam inspice fr. 59 ἅμα δεῖν καὶ φιλοσοφεῖν καὶ οἰκονομεῖν καὶ τοῖς λοιποῖς οἰκειώμασι χρῆσθαι καὶ μηδαμῇ λήγειν τὰς ἐκ τῆς ὀρθῆς φιλοσοφίας φωνὰς ἀφιέντας. cum hoc loco mirum in modum consentit col. XII, 4 καὶ μὴν ἐκτὸς ποιήσει μετεωρισμῶν καὶ τὸ μεσολαβεῖν τὸ συνεχὲς τῶν κατὰ φιλοσοφίαν λόγων ἀνδρείωμα .... ἐπιμελήμασι. arctissime haec omnia inter se cohaerent: Metrodorus oeconomiam studiosius commendat, sententiae auctor oeconomiam aliasque occupationes cum philosophia coniungendas esse censet, noster scriptor monet, ut continui sermones philosophi agendo aliquid interrumpantur. tres auctores, quos unum esse puto, consentiunt in revocando a mera contemplatione ad vitae cotidianae rationes. iam intelligimus quomodo in horto sententia, quam supra notavi, nasci potuerit ἡ γὰρ περὶ ὅτι δή ποτε σπουδὴ ἀποστήσει τῶν ἀδιαλήπτων ἡμᾶς μετεωρισμῶν.

Haec sunt quae me adduxerunt, ut Metrodoro hunc libellum adiudicarem, quam coniecturam certam non esse haud ignoro, probabilem esse confido. duas quidem res certe demonstrasse mihi videor: primum fuisse scriptorem inter primos horti sodales, deinde ea, quae ei propria sunt, a Metrodori sententiis proxime abesse.

Fragm. I VII² X, 71.

χρό]νοc δ . . . . ἀνοχ[ὴ]ν . . ν τὴ[ν
ψυχὴ[ν] πρὸc [τ]ὸ ἀν[αλαβ]εῖν?
ηδα . . c . . . ω . πομε . . . . . .
τιcτων . . . υcι γαρτ . . . .
5 γατ . . : : : λευα . . . . . .
. . . . τόθ' [ἡ δι]άνοια . .
. . . . πλι . . . . . . πο

Fragm. II f. 71.

δυ[c]θεράπ[ευτ]α ιτ . . . αδπ ἑκα
τέρά τε . . . . . εω . . . . ων . ω
γαρανέρω . ταν . . . . . αχτεc (λη supra lineam)
κι . . . . πεια

Col. I f. 71.

. . ημ . ονται μ[ὲ]γ γὰρ τὰ
παν . νπ . . . . παρεκφερό-
[με]να(?) . ον . . . λ . κωλυ[θή-
c]ετα[ι] . ον . . . [ὑ]πολαμβα
5 . . . . cετα . . . . ναιταc
. . . . . εικ . . . . ροcε . . . ε
. . . .
. . . . ταιcτ . . . . .
. . . . cναι . δε . .
10 . . . . κα . . . .

Col. II N. f. 72 = Ox. IV.

καὶ δ[ιὰ τ]α[ύτην γ]ε τὴν αἰτίαν
καὶ ὁ ἰατρὸc Ἱπποκράτηc τοὺc
ὀφ[θα]λμούc φηcιν ἀποκατι-
δεῖν δεῖν ἐπί τινων, ἥν,
5 φηcίν, αἱ [ὄ]ψειc πυκνὰ κεινέων-
ται, μ[ανῆ]ναι τούτουc ἐλπίc.
κατὰ [δὲ τὰ πα]ράκοπα κειν[ή-
ματα [τῆc δια]νοίαc(?) [τ]ὰ ὑπὸρ (ω supra lineam)
μεν[α] . . . . φεντοτεχ . . .
10 αρλ . . . . ¯ουcυν . . . .
με . . . . μοι . . . . .

Fr. I in duobus fragmentis et in col. I fere nihil certum est.
Col. I, 2) ΦΕΡΕ 3) . . TA Col. II, 1) ΚΑΙΔι O., A . . . . . . THN O. 3) ΟΦ˅ . Λ O. 4) Δ . CK . ΔΕΙΝ N., Δ . . . . ΔΕΙΝ O., ΓΙΝΩΝ ap. 5) ΦΑΝ . ΨΕΙC N., Φ cum lineola aliqua pro φηcίν scriptum esse coniecit Us., ᵂΕΙC O. 6) ΤΑΙΔ . . . N., ΤΙ . . . . O., ΤΟΥΟΤΟΥC ap. 8) ΝΕΙΑC . ΑΥΠΟΡ (ω supra lineam) O., ΝΕΙΑC . ΑΥ . . . N., διανοίαc coni. Us. 9) ΤΕΛΩΝ O. 10) ΑΡΝΕ O., ΟΥCΥΝ O. 11) MC O., ΕΙΟΝ O.

Locus Hippocratis, qui v. 2 sqq. refertur, legitur in prognosticis (II, 126 ed. Littreus) εἰ δὲ καὶ cφυγμὸς ἐνείη ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ θόρυβον cημαίνει ἢ παραφροcύνην· ἀλλὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπικατιδεῖν ⟨δεῖν⟩ (deest in libris, add. Us.) τῶν τοιουτέων· ἢν γὰρ αἱ ὄψιες πυκνὰ κινέωνται μανῆναι τούτους ἐλπίς. scriptor vel scriba Hippocratis dialectum non accurate observat, scribit ἥν, κεινέωνται sed ὄψειc. ceterum quam male aut ipsa papyrus aut apographa scripta sint, ex hac columna plane perspicitur.

7) verba τὰ παράκοπα κεινήματα certa sunt, sententiam non intellexi.

Col. III N. f. 72 = Ox. I.

τo. . . . . ov ου. . . . ρρον.
τι. . ι. . υπ. . καὶ ἡ π[αρὰ
τοῖc τραγῳδιοποιοῖc, ἣ κ[αὶ
θνήcκουcα ὅμωc πρόνοιαν
5 εἶχε μή ποτε ἀcχήμων
πεc]εῖν. ἐμοὶ μὲ[γ] γὰ[ρ καὶ
τὸ] γε[ι]τν[ι]ῶν τινι κακῷ [φαί
νε]ται φε[υ]κτόν, [καὶ] τοῦτ[όν
γε τὸν] τρόπ[ον] πάντεc ἄ[ν-
10 θρω]ποι φεύγομεν [τὸ] κακ[ὸν
. . . . ν. γευc[τοῖc.(?)

2) spectat scriptor ad praeclaros Euripidis versus Hec. 568 sqq.

Ἡ δὲ καὶ θνήcκουc᾽ ὅμωc
πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐcχήμων πεcεῖν
κρύπτουc᾽ ἃ κρύπτειν ὄμματ᾽ ἀρcένων χρεών.

sed memoria eum defecit, ita ut omisso verbo πολλὴν pro εὐcχήμων scriberet μήποτ᾽ ἀcχήμων. mutandam esse apud Euripidem lectionem codicum εὐcχήμωc in εὐcχήμων non nostri solum scriptoris auctoritate confirmatur. ubicunque versus laudatur, optimi libri testantur εὐcχήμων vel εὐcχημόνωc vide Luciani Demosth. enc. 47, Plin. ep. IV, 11, Hermog. de invent. IV, 12 p. 506 P. (rhet. att. ed. Waitz. III p. 181), Clem. Alex. strom. II, 143 τοῖc τραγῳδοποιοῖc δὲ ἡ Πολυξένη καίτοι ἀποcφαττομένη ἀναγέγραπται, ἀλλὰ καὶ θνήcκουcα ὅμωc πολλὴν πρόνοιαν πεποιῆcθαι τοῦ εὐcχημόνωc πεcεῖν. accedit quod εὔcχημοc infimae Graecitatis vox est.

6) verba τὸ γειτνιῶν — φευκτόν pro certis habeo, ad γειτνιῶν cf. Philod. de morte XVIII Mek. (de Arnim Rh. Mus. 1888 p. 373) πολ[ὺ μ]ὲν οὖν κρεῖττο[ν] ἦν προβάντα (προ[κό]ψαντα Ar.) cοφ[ῶc νέ]ον ἀξ[ί]ωc τῆc φύ[c]εωc cυναυξηθῆν[αι καὶ ἀπ]ολαῦcαι τῆc δυνα-

III, 1) TO deest in O., PPON deest in N. 2) T. . . . . . .YΞ O., καὶ ἡ π d. in N. 3) -ποιοιc η κ d. in N. 4) CM. . . . . . . .N N. 5) /. . . . .ν N., ΛcχημωΛ O. 6) MEI. . . . N., MEITA O. 7) KAK. . . O. 8) Φ. .XT N., ΦC.KT O. 9) . . .POΠ N., ΠANTE. . . N. 10) . . . . .ΦENEXHC N., ...TιΙΦE O. 11) ΓE. . O., ἐν γευcτοῖc coniecit Us.

τωτάτω[c]. . . . εὐετηρ[ία]c· ἀλλὰ καὶ τὸ γει[τνιῶν χάριτος ἄ]ξιον πολλῆς.

Col. IV N. f. 73 = III Ox.

ὥc]περ [δὴ καὶ αἱ] τῶν μεμη-
νότων καὶ ἀρρώςτων(?). τὸ
γά[ρ] ἐλέγξον οὔ[κ] ἔςτιν· ὁ δὲ
μετεωριςμὸς ἀναπλαςμός
5 τ[ίς ἐς]τι διαν[ο]ίας, ἤτοι τρα-
νῆ[ς οὔςης μ]ηδενὸς π[ε-
ριςπῶντ[ος αὐτὴν] ἀπὸ τῶν
. . . . οςυν . . . . με. . . .
λυιχον . . . . αἰςθή-
10 ς[ε]ως μὲν . . . . [τ]ῷ κατὰ
φύςιν ε. . . . . . . μετεω[ριc-
. . . . δειςαικ. . .
. . . . α. παι. . . .

Summam columnae misere laceratae certe enucleasse mihi videor: initio docet scriptor Epicurum secutus visa somniantium quoque (hoc quidem verbum incertum) vera esse sicut etiam insanorum ac aegrotorum, non enim esse quod ea redarguat. cf. Ep. Us. fr. 36 πᾶςα γάρ, φηςίν, αἴςθηςις ἄλογός ἐςτι καὶ μνήμης οὐδεμιᾶς δεκτική. . . . ., οὐδὲ ἔςτι τὸ δυνάμενον αὐτὰς διελέγξαι et infra τά τε τῶν μαινομένων φαντάςματα καὶ τὰ κατ' ὄναρ ἀληθῆ· κινεῖ γάρ, τὸ δὲ μὴ ὂν οὐ κινεῖ, et fr. 247 p. 349, 19 τὰς δὲ δὴ τῶν μεμηνότων παντάπαςιν ἂν εἴη ἄτοπον λέγειν ἀληθεῖς εἶναι καὶ τὰς τῶν παρορώντων καὶ παρακουόντων (αἰςθήςεις) (adversarii verba sunt). sequitur illius vocabuli definitio, de quo in huius partis praefatione egi (p. 573): μετεωριςμός est mentis fictio, quae (sc. mens) quidem acuta est in cognoscendo si nihil eam distrahit a contemplandis rebus. animadvertendum est a nostro quoque scriptore διάνοιαν inter iudicii normas numerari sicut ab Epicuro seniore et a recentioribus scholae sodalibus cf. Ep. ep. I, 51 sent. sel. 24, aliter in canone Ep. Us. fr. 35.

7) scriba cum corrigeret περὶ in ἀπὸ, superscriptis litteris α et ο litteras ρι expungere oblitus est.

Col. V N. f. 73 = II Ox.

π[ιςτεύ]ςομέν τι. τῶν τε ἐλεγ-
χουςῶν αἰςθήςεων τὸν νοῦν

IV, 2) ΝΕ. . . . . . .ɩ ΡΟϹΤΩΝ N., ΝΟΤΩΝΠΑΡΑ.ΡΟϹΥ..Ι O., καὶ ἀρρώςτων con. Us. 3) ΓΑ. . . . . .ΙΛΕϹΤΙΝΟΔ. N., ΓΑ. -ΛΕΚΤ(κτ deletae lineola transversa)ΟΝΟΥΛ ΕϹ O. 4) ΜΕΤϹ. . . . N., ΑΝΑΠΛΟΚΑ.. N., Α. ΛΑΓΜΟϹ O. 5) ΤΙΔΙΑΝ deest in N., ΛΤΟ: O., ἡ τοι τρανή ego, ἤτοι τρανῆς οὔςης rest. Us. 7) ΡΙϹΤΩΝΤ N., ΧΡΙΤΩΝ N., .ΠΕΡΙΤΩΝ O. 8) ΜΕ deest in O. 9) Λ..ΧΟΝ N., ΑΙ.ΘΗ N. 10) ΚΑΙΑ N., ΚΑΝ O. 11) ..ϹΥΝ N., ΦΥϹΥΝ O. 12) ΔΕΙϹΑΙΗ O. 13) Α‾ΙΑΙ O.
V, 1) π deest in O., ΤΩΝ.Ε N. 2) ΑΙϹΘΗ.ΕΩ O., ΤΟΝΝ... N.

παραπεποδιcμένων εἰc τε-
ρατ[ώ]δειc τε καὶ ταραχώδειc
5 ὀλιcθάνου[c]ιν ἀναπλαcμούc.
τ[ὰ] μὲν δὴ κακὰ τὰ μετεωριc-
μ[άτ]ων τοcαῦτά τε καὶ τ[οι]α[ῦτα
κα[τι]δ[ὼν] ἐφιέcθω μηδενόc.
ἄτοπον] δὲ λοιδορεῖν τὸ πρ[ο-
10 ειρημέ]νον παράλλαγμα
ἄλλ[α δὲ θερ]απεύειν, εἰc γὰρ
τὸ [τούτοιc] ἐνδοῦναι π..λον
.......φιλο]cοφίαν ......
...........ατ........

6) ad μετεώριcμα cf. Hesych. v. φρύαγμα· ἔπαρcιc, μετεώριcμα, ὑπερηφάνεια.

9) monet scriptor, ni fallor, ne iuvenis alia ratione perturbationibus animi liberari conetur atque ea quae supra exposita est. quomodo homines doctrina non imbuti interdum μετεωριcμοὺc superent, scriptor infra col. VII ostendit, sed illi mox in perturbationes relabuntur.

Col. VI N. f. 74 = V Ox.

τῶν ἀνθρώ]πων θνηcκόντων οὐδείc
ἐcτιν, ὃc [δ]ύναται[ι] φυγεῖν θάνα-
τον καὶ μὴν ἑκάcτου καθά πέρ
φηcιν Ἐπίκουροc ἀπὸ τῆc
5 πρώτηc γενέcεωc πρό⟨c⟩ τι-
να χρόνον cυcτάντοc ὥcτε
πλή⟨ο⟩να μ[ὲν μὴ δύν]αcθαι βιῶ-
cαι ἐλάττον[α δὲ δύ]ναcθαι,
τὴν ⟨ἀν⟩άγκην τὴ[ν] κατὰ τὸν χρό-
10 νον τοῦτον οὐκ ἔ[cτιν] ἐποχῇ
μεcολαβ[εῖ]ν, [ἀλλ]ὰ ....
.. τουτου .... του..τ
.....ναγ.............κατη
..............τύχη(?)

---

3) Τ.CΤЄ N. 4) .ΑΤ.ΔЄΙC O., ΡΑΧ..ЄΙC N. 5) .ΛΙCΘ O., .ΙΝΑΛΑ O., ΟΥ.....ΑΠΛΑ..ΟΥC N. 6) Κ....ΑΜЄΓ N., ΚΛΤΑ O. 7) Α..ΩΝ ap., ΤЄCΑΥΤΑ ap., ΚΑΙΤ.... N. 8) ΚΑ..Ν....Ι N., ΚΑ.... ΙCΟΙЄC O., ϵ in fine ap. 9) .....ΛЄ.ΟΙ N., ..:ΚΑ\ΟΙ O., ΤΟΠ.. N. 10) ..ΝΠΑΡ N.
11) ΛΠЄΥ ap. 12) ΑΙ¯..ΥΛΌ O. 14) ΤΥΧΝ ap.

VI, 1) ΠΩ...ΗC N., ΠΩΝЄΛ O., ἀποθνηcκόντων Us. 2) ЄC......Υ N., ЄCCΙΝ O. 3) ЄΚΑΤΟΥ O. 4) ΦΗCЄΙΝ N., Φ.CΙΝ O. 5) ΠΡΟΤΗ N. 6) ..ΝΙΤΑΝΤΟC...Є N., CΥΝΙΤΑΝΤΟC O., ἐνιcτάντοc Us. 7) ΠΛΗΝΑΙ.. N., ΠΛΗΝΑΜ O., ...ΑCΘΑΙ⅃ΙΩ N., ΑCΘΑ.ΟΙΩ O. 8) ΟΑΙ O., ΝΑCΘΑΡ .. N. 9) ΤΗΝ.ΓΚΗ... N., ΤΗΝΛΓΚΗΝΤΗ O. 10) ΟΥΧЄ N., ΟΥ<Є O. 11) ΜЄCΟΝΛЄ..Ν N., ΜЄCΟΛΛC...\ O. 12) ΤΟΥΤΟΥ deest in N., ΤΟΥ.Τ deest in O. 13) ΝΑΓ d. in N., ΚΛΤΗ O., ΚΑΤ N., ΤΥΧ. N., ΤΥΧΝ O.

1—7) Epicuri dictum Usenerus restituere conatus est Ep. fr. 492 Neapolitano solum nisus apographo, Oxoniensi adhibito certa, ut mihi quidem videtur, restitutio evadit. sententia alibi non occurrit in Epicuri reliquiis, bene autem ad doctrinam quadrat: unusquisque a primo ortu ad certum tempus nascitur, ita ut longius tempus vivere non possit, brevius possit, sc. si ipse manum sibi afferat (cf. Ep. fr. 499).

Emendationes cuctάντοc et πλήονα certas esse puto, forma πλήων legitur bis apud scriptorem incertum de dis VH[1] VIb col. XVII ἢ πλήων τε καὶ ἐλάττων μέχρι τούτου παραλλάττει μέχρι τοῦ τὸ μὲν ἐκ πληόνων cuνεcτάναι τὸ δ' ἐξ ἐλαττόνων. infinitivus βιῶcαι minus usitatus est, vide tamen Metrod. fr. 44 et Carneisc. Philist. VH[2] V f. 192, Ep. Us. p. 93 adn. τὸ βιῶcαι μακαρίωc et Arist. Eth. Nic. IX, 8 p. 1169 a 23.

Sententia similis est dicto Epicuri fr. 204 Us. γεγόναμεν ἅπαξ δὶc δὲ οὐκ ἔcτι γενέcθαι, δεῖ δὲ τὸν αἰῶνα μηκέτ' εἶναι.

Col. VII N. f. 74.

καὶ δια⟨c⟩τροφῇ, φόβῳ μὲν ἐπ[ὶ
δούλ[ω]ν διατροπῇ δὲ ἐπ' ἐ-
λευθέρων, πρὸc δὲ τούτο[ιc ἐ]πι-
θυμίᾳ ποτὲ καὶ περιcπα[cμ]ῷ.
5 ὁ μὲγ γὰρ οὖν γενόμενοc περὶ
πλούτου [cυλλ]ογὴν καὶ πᾶc
εἰc τοῦ[το πρα]γματευόμενοc
ἀμε[τεώριc]τοc(?) γείνεται ὀλβί-
ῳ τι[νὶ κατα]ληφθεὶc περιcπαc-
10 μῷ. [καὶ τοῦτον] μὲν τοῦτο τὸ παράλ-
λαγμα [τότ'] ἐπέcχεν ἢ ἐ[κράτη-
cεν(?), [ἔcτι δ]ὲ φανερὸν ἐ[κ τῶν αὐ-
τῶν [λόγων] διότι [τὰc] κε[νὰc ἐπιθυμίαc(?).

1—4) Usenerus restituit Ep. 335 adn. ad l. 8.

Explicat scriptor, ni fallor, quomodo ab hominibus philosophiae imperitis vanae illae imaginationes, quae mortis timorem procreant, interdum reprimantur: servi metu poenarum in pugnam compelluntur, liberi pudore civium, nonnulli mortem contemnunt cupiditate elati, alii negotiis intenti, et hoc quidem, cum per se minus dilucidum sit, paucis a scriptore illustratur.

8) ὀλβίῳ τινὶ καταληφθεὶc περιcπαcμῷ audacter dictum est, sed certum videtur. ad sententiam cf. Hor. carm. I, 1, 15 sqq.

10) sic fere sententiam continuatam esse statuerim: ea, quae

VII, 1) διαcτροφή Us. 2) ΔΟΥΔ.Ν ap. 3) τούτῳ Us. 4) ΘΥ-ΜΙΑ$\overset{\Pi}{\mathrm{N}}$ΟΤΕ ap. 5) ΓΑΡCΥΝ ap. 9) ωΤΙΙ ap. 10) ΜΟΥ ap., pro καὶ κ- scriptum esse puto.

enumeravit scriptor, non omnes imaginationes neque in perpetuum expellunt, aliae alias opiniones vanae subsequuntur, e. g. mercator navigans mortem non timet, pecuniae damnum timet, omnibus vanis opinionibus nemo liberatur, quin veram philosophiam amplexus sit, v. col. VIII.

Col. VIII N f. 75.

ἀγαθῶν [καὶ] εἰc φυ[γὰc] ἀναλόγων
κακῶν [ἐκπί]πτει(?) τοῦ κατὰ φύcιν
α]ἰωρούμενοc ἀδιαλείπτωc·
ᾧ δ' ἐν τῷ κατὰ φύcιν πέρατι
5 κατακέκλειται τἀγαθὸν καὶ τὸ κα-
κ]όν, τούτῳ πᾶ[c]α αἰώρα ψυχῆc
ἐ]κπέφευκται. cυνεχίζωμέν
τε ἐν τῷ κατὰ φιλοcοφίαν ἐνεργή-
ματι καὶ μάλιcτα τοῖc κατὰ φυ-
10 cιολογίαν θεωρήμαcιν. τὸ
μὲγ γὰρ ὕψοc τού[των] τῶν
λόγων ἐπαῖρο[ν τὴν διάνοι]αν
ἐάcει τὰ τ[απεινὰ παρορᾶ]cθαι,
ὁ]δὲ πλ................ρε

1) priorem enuntiati partem sic fere suppleas: ὁ μὲν γὰρ τρεπόμενοc εἰc διώξειc κενῶν ἀγαθῶν καὶ εἰc φυγὰc ἀναλόγων κακῶν κτέ.

4—7) Usenerus restituit ad Ep. fr. 434, cf. Ep. sent. sel. 21. de vocabulis αἰώρα et αἰωρεῖν p. 573 sq. egi.

7) verbum cυνεχίζειν plerumque cυνεχὲc ποιεῖcθαι est, non cυνεχὲc εἶναι, nostro loco licentius usurpatur, quia scriptor Epicuri verba manifeste respicit Ep. ep. I 37 παρεγγυῶν τὸ cυνεχὲc ἐνέργημα ἐν φυcιολογίᾳ. eadem notione, qua hic, verbum apud Philodemum legitur de mus. III fr. 8 p. 23 Kem. καὶ τοῖc λεγομένοιc ὁ βίοc μαρτυρεῖ παριcτὰc πολλοὺc ἐν οἷc ἐγκωμιάζουcι μέλεcι καὶ ῥυθμοῖc cυνεχίζονταc ὑπεράθλουc ὄνταc.

Col. IX N. f. 75 = VI Ox.

τῆc προ]κειμένηc πραγματείαc τὸ
μὲν ἔcτιν περὶ αὐτῶν ἄcτρων,
τὸ δὲ περὶ τῶν ἀπὸ τούτων
τ[ὸ] δὲ περὶ τῶν διὰ ταῦτα ἢ πε-
5 ρὶ ταῦτα, τὸ δὲ περὶ τῶν ἐν ἄc-

VIII, 2) ...ΙΝΕΙ 3) ΛΗΠΤΩC ap. 5) Κ- pap. 6) ΔΙΩΡΑ ap., corr. Us. 7) .ΕΠΕΦ ap., ΕΧΙ⁻ΩΜΕΝ ap. 8) ⁻ΕΕΝ ap., ΕΡΓΗ (ΕΝ) ap. 11) ΥΨΟΓ⁻ΟΥ ap.
IX, 1) ΙΕι N., ΚΓΙ O., πραγματήαc ap. 2) ..V N., ΜΕV O. 3) ....ΕΡΙ N., ΤΟΔΕΓΕ O. 4) .....ΕΡΙ N., Τ.ΑΕΠΕΡΙ O. 5) ......Α ΤΟ N., ΡΙΤΑΥΤΑ O.

τροις. περὶ μὲν αὐτῶν κα-
θόλου γ[ε] εἰπεῖν, γινό-
μεθα περὶ μέγεθος ἄςτρων
ςχῆμά τε· τὸ δὲ περὶ τῶν ⟨ἀπ'⟩ αὐ-
10 τῶν, οἷόν ἐςτι τὸ περὶ αὐγῶν
τε κ[αὶ] ςκιῶν, αἳ δὴ ἀπὸ α[ὐτῶ]ν,
τὸ δ[ὲ περ]ὶ τῶν διὰ ταῦτ[α, ὧν ἐ]ς-
τιν τὸ] περὶ ὡ[ρῶν.....
.......ςηλ.........

Ut altitudinem physiologiae luculenter demonstret, scriptor permultas quaestiones enumerat, quas astronomia continet. sed noli oblivisci physiologiam et astrologiam hic celebrari non tractari. primum oratio legitime procedit, tum cum ad partium partes scriptor descendit col. X, argumenti abundantia eius animus effertur, ita ut iam ordine soluto singulae partes pronuntientur, una (κείνηςις) etiam bis commemoretur, id quod consulto factum esse vix credam. num certi libri de siderum natura dispositionem respiciat scriptor, dubito, ex eis scriptis, quae hac de re nobis servata sunt, nullum, quantum video, cum eo congruit. vide quomodo Aristoteles disciplinam disponat de coel. II 7, p. 289 a 11 περὶ δὲ τῶν καλουμένων ἄςτρων ἑπόμενον ἂν εἴη λέγειν, ἐκ τίνων τε ςυνεςτᾶςι καὶ ἐν ποίοις ςχήμαςι καὶ τίνες αἱ κινήςεις αὐτῶν.

7 sqq.) cum verbum γινόμεθα ex collatis apographis satis certe restituatur et γίγνεςθαι περί τινος sermone Graeco alienum sit, puto scribam permultis huius columnae genitivis deductum esse, ut μεγέθους pro μέγεθος, ςχήματος (si recte in O littera C servata est) pro ςχῆμά τε scriberet; particula τε deesse non potuit. tota columna satis neglegenter scripta est.

9) in sinistro margine apographi Neapolitani littera τ, qua tres deinceps versus incipiunt, suo loco mota est, in hac quoque re accuratius est ap. O., nam hasta marginalis, enuntiati finis nota, in Neapolitano apographo falso v. 10, in Oxoniensi recte v. 11 ascripta est.

14) ὡρῶν pro certo habeo cf. Plat. de re publ. VII, 516 B καὶ μετὰ ταῦτ' ἂν ἤδη ςυλλογίζοιτο περὶ αὐτοῦ (sc. τοῦ ἡλίου) ὅτι αὐτὸς ὁ τάς τε ὥρας παρέχων καὶ ἐνιαυτούς κτέ.

Col. X N. f. 76.

[ἕκαςτον δὲ τούτων]
τῶν μερῶν [π]οικίλ[ην] ἔχει
καταμ[έριςιν]· αὐτὸ [γ]ὰρ τὸ

---

7) ....υN.ЄI N., ΘΟΛΛΟ..ЄI O., quattuor litterae in utroque apographo lineola transversa deletae: ЄIKΛ O., OIKA N., Π.υ N., ΠΛ O. 8) μεθα deest in N., μεγέθους ap. 9) T..ΛΑΤΟ. ΤΟ N., CXHMΛΓΟCΤΟ O. 10) T...ION N., TωNOION O. 11) TЄK..CKωN O., T......IωN N., ΔΗΛΠΟΛ O. 12) ΞϽΔ O., ...ϽI N., TAY.....C N.
X, 1) .OIKIA..(ЄXЄI ap. 2) AYTO.ΠITO ap.

περὶ ἄcτρων αὐτῶν μέ-
ρος εἰc πολλὰ νέμεται, περί
5 τε γὰρ γενέcεωc [τῶ]ν [ἄc]τρων
καὶ περὶ ἐπ[ιτολῆ]c καὶ κρύψε-
ωc ὑποcτά[cε]ωc κεινήcεώc
τε καὶ φύcεω[c κ]αὶ ποιότητοc
ἔτ]ι δὲ θέ[c]ε[ωc], κεινήcεώc τε
10 καὶ μονῆ[c καὶ μ]εταβολῆc καὶ
ἀποcτ[άcεωc κ]αὶ διαcτάc[ε]ωc
πλημε....κα⁻c.ων
επιν...... ω...αι.αμ.

2) καταμέριcιν si scribimus, quod littera μ commendatur, ante αὐτὸ parvum spatium existit, quale enuntiati finem significare solet. vocabulum καταμέριcιc quantum video nusquam legitur, nam unum exemplum, quod lexica praebent, Ep. ep. II 106 ab Usenero in κᾆτα μέριcιν correctum est, sed verbum καταμερίζειν saepius occurrit. si quis malet καταδιαίρεcιν supplere (cf. Sext. Emp. adv. astr. 27, Philod. de mus. IV col. 30 p. 100 Kem.), ego non refragabor.

γὰρ satis procul abest a litteris traditis, sed particula causalis deesse non potest.

11) διαcτάcεωc minus certum, recte si restitui, ἀπόcταcιc distantiam siderum a nobis (cf. Xen. mem. IV, 7, 5) διάcταcιc distantiam eorum inter se significat, similiter ἀπόcτημα et διάcτημα usurpantur a Sexto Empirico adv. log. I, 183.

Col. XI N. f. 76.

κύκλο[ν] ἢ κατὰ τ[ὸ κ]έντρον
ἔπειτα πόcαc [κει]νεῖται κεινή-
cειc τὰ ἄcτρα· μεθ' ὃ τίc αἰτία ἡ
κεινοῦcα αὐτά. οὐ μὴν ἀλλὰ
5 βλέπειc γε πῶc ἂν [π]ερὶ τὰ
τοcαῦτα καὶ τοιαῦτα θεωρή-
ματα γυμναζομ[έν]η διάνοια
οὐκ ἂν ἔξω γείνοιτ[ο] παντὸc
ἀδιαλήπτου λ[όγου] καὶ cυν-
10 χαίρε[ιc] cεαυτῷ [ὅτ]ι δὴ π[α]ρ-
ε[ῖ]κά c'(?) [οὐ]δεπώ[ποθ'], ὕ[c]πλη-
[γα]c ὑποφήναc τῶ[ν κ]ατὰ φιλο-

3) ante ἄcτρων litterae lineola deletae ΤΕΚΛ 6) ΕΡ......ΚΑΤΑΡΥΦΕ ap., καὶ κρύψεωc rest. Us. 7) ΥΠΟCΤ/ .. ap. 9) ..ΚΕΙΝΗ ap. 11) ΑΠΟCΓ.......\ΙΔΙΑCΓΑΡ..ΟC ap.

XI, 1) ΚΥΚΛΟΙ.ΗΚΑΤΑC..ΕΝΙΤ ap. 2) CACI...ΝΟΙ ap. 4) ΑΥΓΑ ap. 5) ΠΕΙCΓΑΡ (ε supra α; αρ del.) ΗΩC ap., .ΕΡΙΓΑ ap. 7) ΖΟΛ..Η ap. 8) ΕΖΟΙ (ω supra ο) ap. 9) ΑΔΙΑΛΥΠΥΕΥΛ.. ap. 10) CΕΑΥΤΟ... ap. 11) C.ΚΕΔΕ..ΔΕ ap. 12) ΥΠΟΦΗΝΑΥΤΟ..ΑΤΑ ap.

co]φίαν λόγων, [οὐδέ c]ε ἀπέcτρε-
ψε]ν ἀπὸ φ[ρονήcεωc(?)] τὰ πρὸ[c

1) κέντρον certum est, quid oppositum sit verbis κατὰ τὸ κέντρον dubitari potest. videtur scriptor ad terram spectare, quam nonnulli in centro mundi circum ipsius axem verti docebant v. Aet. plac. III, 13, D. p. 378 a 10 Ἡρακλείδηc ὁ Ποντικὸc καὶ Ἔκφαντοc ὁ Πυθαγόρειοc κινοῦcι μὲν τὴν γῆν οὐ μήν γε μεταβατικῶc ἀλλὰ τρεπτικῶc, τρόχου δίκην ἐνηξονιcμένην ἀπὸ δυcμῶν ἐπ' ἀνατολὰc περὶ τὸ ἴδιον αὐτῆc κέντρον. sic fere enuntiatum suppleam: ἔπειτα ποῦ(?) κινεῖται τὰ ἄcτρα, πότερον κατά τινα κύκλον, ἢ κατὰ τὸ κέντρον (sc. τοῦ κόcμου) cf. Aetii verba quae locum laudatum antecedunt III, 13 D. p. 378, a 6 sqq. Φιλόλαοc δὲ ὁ Πυθαγόρειοc κύκλῳ περιφέρεcθαι (τὴν γῆν) περὶ τὸ πῦρ κατὰ κύκλον λοξὸν ὁμοιοτρόπωc ἡλίῳ καὶ cελήνῃ.

2) πόcαc κεινεῖται κεινήcειc, sc. μεταβατικῶc et τρεπτικῶc.

4 sqq.) scriptor, ne ad nimium rerum caelestium studium adolescens stimuletur, cavet cf. Ep. ep. I, 80, II, 85 sq., in ultimis versibus nonnulla incerta sunt.

Col. XII N. f. 77.

μό]νον οὐχὶ ἐπάγ[ει(?)] ἐπὶ τὴν θέ-
αν τῶν κυριωτά[τ]ων οὐδ' ἀ-
δαμαντίνο[ι]c δεcμοῖc κατέχεc-
θαι δυναμένην ῥᾳθυμίαν. καὶ μὴν
5 ἐκτὸc ποιήcει μετ[ε]ωριcμῶν
καὶ τὸ μεc[ο]λαβεῖν τὸ [cυ]νεχὲc
τῶν κατὰ φιλοcοφία[ν λ]όγων
ἀν[δ]ρείωμα. . ε. cτοι[c] πρὸc ταύ-
την. . . . . c. . . μεν. . . ἐπιμε-
10 λή[μαcι] τῶ[ν μ]ὲ[ν γὰρ] πραγμα-
τειῶν] αἱ τ. . . ε. . . . . . . ν. . .
. . . . . . παιδευ. . . . . . .
. . . . κρατ. . . . .
. . . . τοδημ. . . . .

Quamnam rem dicat scriptor ad summam rerum contemplandam cogere socordiam, quae ne adamantinis quidam vinculis coerceri potest, non liquet, fortasse rursus physiologiam respicit.

1) ἐπάγει neque litterarum vestigiis neque sententiae plane sufficit, fortius aliquid desideratur, quod non tetigi.

5 sq.) de his egi in huius partis praefatione p. 577.

---

13) . . ϽΙΑΝ ap., ΛΟΓΩΛ. . . . ⸌CΑΠ ap. 14) ΑΤΑΠΡΟ. ap.
XII, 1) ΝΟΙΙΟΥ̓Ι.CΤΑΙ. .ЄΠΙ ap. 2) ΤΩΝΥ̓Υ ap. 3) ΤΙΝΟ.CΔЄCΛ ΟΙC ap. 4) ΜЄΝΗ̂ΡΑ ap., Κ- ap. 5) ΜЄΤ.ϽΡ ap. 7) ΤΩΙΝΑΤΑ ap. 8) ΑΛ.ΡЄΙΩΜΆ ap., ἀνδρείωμα Us., ΤΟΙ.ΠΡΌCΤΑΙ ap. 9) ΤΗΛ ap., ЄΓΙΜЄ ap. 10) ΑΠ. . ap., ΤΩ. .Ο ap.

Col. XIII N. f. 77.

προβαι]νούσης ἤδη τ[ῆ]ς ἀναχύσεως
εἰς ποιητικῶν ζητημάτων
λύ[σει]ς τὴν παιδείαν μερίζου-
σιν. ἡ γὰρ περὶ ὅτι δή ποτε
5 σπουδὴ ἀπο[σ]τήσει τῶν ἀδια-
λήπτων ἡμᾶς μετεωρισ-
μῶν. καθ' ὃ δὴ βλέπομεν καὶ
τοὺς ἐπὶ τῶν συμποσίω[ν] ἀλύ-
ο]ντα[ς] καὶ ἐρχομέ[νους μὲ]ν(?)
10 ἐ]πὶ τὰς συνδιαιτήσε[ις]....ρα
ἐ]πειδὴ ..β........... ἐ-
πι]φέρου[σι]..............ι
...ελω..................

1—6) Usenerus Ep. ad 331, 3 restituit. de sententia egi p. 575 et 577.

Col. XIV N. f. 78.

μετεωρίζεται καὶ ἀναπλάσ-
σει διώκουσα καθ' ὃν δή πο-
τε τρόπον τὸ χαίρειν. ᾗ δ' [ἂ]ν
τὸ πλήρωμα τῶν ἀγαθῶν
5 τις ἐν ὄμμασιν τιθῆται καὶ
ἐπιλογίζη[τα]ι τίνα τε ἔχει
καὶ πόσα καὶ πηλίκα, τίνα [μὲ]ν
ὅτι ἀγαθά, πόσα δὲ ὅτι πολλά,
πηλίκα δὲ ὅτι μεγ[άλ]α, καὶ κατὰ
10 ἀντ[ισ]τροφὴν τίνα τε πέ-
φ]ευ[γεν] καὶ πόσα καὶ πηλίκα
.οιε..εν.......ντη..........

De hac columna optime servata egi p. 576 sq.

1) subiectum verborum μετεωρίζεται καὶ ἀναπλάσσει est διάνοια vel ψυχή. ad sententiam cf. Ep. ep. III, 129 et sent. sel. VIII.

Col. XV f. 78.

[καὶ ἀφορμὴν εἰς]
τὸ πρ[ᾶξ]αι πρ[ο]γονική[ν ἔχ]εις
καὶ ἤχθης τε καλῶς [ὑπ]ὸ γο-
νέων πρ[ο]σέθηκάς [τε] τῇ ἀγω-

XIII, 1) διαχύσεως olim coni. Us. 3) ΛΥ..Ο⁻ΗΝΠΑΙΔΙΑΝ (Ε supra Ι) ap., παιδιάν Us. 5) ΑΠ.ΥΗΣΕΙ ap., ἀπολύσει Us. 6) ΑΗΠΤΩΝ ap. 7) ΔΗΠ (Β supra Π) (π exp.) Λ ap., Κ- ap. 8) ΣΥΝΓ')ΣΙΩ.ΑΛΣ ap. 10) ΤΑΣΔΙΑΙ (ΣΥΝ supra ΣΔ) ap. 11) ς in fine ap.

XIV, 3) ΗΔ.Ν ap., ᾗ δ' ἂν rest. Us. 6) ΤΙΝΑΓΕ ap. 9) Κ- 11) .Ε٦...Κ ap.

XV, 1) ΠΑ.ΓΟΛΙΚΗ ap. 2) ΟΙυΗ ap. 3) ΚΑΣ..ΙΗΑΓΩ ap.

γῇ ταύτῃ καὶ τὸ ἐξ ἑαυτοῦ cω-
5 φρονικὸν ἀναλόγως· ἔρρω-
caί τε τῷ cώματι, ἐφ' ὅ[c]ον ἐν[δέ-
χετ[α]ι τὸν θνητόν, μεθέμε-
νός τε τῶν περὶ τὰ τυχόν-
τα cπουδαcμάτων λόγων
10 ἐπι[μ]ελὴc εἶ καὶ μ[άλιcτ]α [δὲ
τὸ πάcηc ἐπιθυμίαc [ταραχῶ-
δεc [τοῦ] φυc[ι]κο[ῦ χωρίcαc
ὡc(?)....ο.cον...........

Huius quoque columnae initium in praefatione tractavi p. 571 sq. iam enumerantur illa bona quae adhuc adolescens ille in vita percepit, vide col. XIV.

1) adolescens nobili genere fuisse videtur; Lampsaci potissimum viros nobilissimos Epicurus sibi conciliavit v. Strab. XIII, 589.

2) discimus ex hoc loco parentes quoque adolescentis, propitios fuisse Epicuri doctrinae, idem de Pythoclis parentibus constat, qui Polyaenum custodem ei praeponebant VH² I f. 149 Ep. Us. p. 402 b.

Ex verbis ἐφ' ὅcον ἐνδέχεται τὸν θνητόν colligam non optima valetudine usum esse illum adolescentem.

Col. XVI N. fol. 79.

θαι λ..ο.......ρων [κα
τά γε ἀφαίρε[c]ιν κενῶν [ὀρέ-
ξεων καὶ τὸ ἀcφαλῶc ζῆν,
οἷον πα[ρα]cκευάζουcα δίκ[αι-
5 όν τε καὶ παντὸc ἀπεχόμεν[ον
αἰcχροῦ ἔργου καὶ τοῦ φύcει καὶ
τοῦ νόμῳ, καὶ τὸ μὴ δε[δοι-
κέναι δὲ τὸν θάνατον [ποι-
εῖ οὐκ [ἀ]θαναcίαc παραcκε[υῆ,
10 ἀλλὰ [τ]οῦ φ[ό]βου [τοῦ] περὶ θα-
νάτου ἄρ[c]ει, οὐ λέγω νῦν
.......γο..π............
.........τ[οὺ]c γὰρ π[λείcτουc]
.... απ.............

Iam bona, quae ex philosophia percipiuntur, generaliter enumerantur, cum in antecedente columna unum iuvenem respexerit scriptor.

11) verbis οὐ λέγω νῦν scriptor aut ad dolores cum morte coniunctos, quos minimos esse Epicurei contenderunt Ep. Us. fr. 503, aut ad fabulas de vita et poenis inferorum spectat.

---

6) ΤΩCC⁝ ΜΑ ap. 8) ΤΑ (Α del.) ΤΥΧΟΥΝ ap. 10) ΕΙCΙ.ΕΛΗΘ ap., Κ- ap. 12) ΛΕΟ...ΦΥ ap.

XVI, 1) ΙΩΛ ap. 3) ὀρέξεων rest. Us. 6) Κ- in fine 7) ΤΟ(Υ del.) ΜΗΔΓ\.. ap. 8) ΤΟΝι... ap.

Col. XVII N. f. 79.

εἰρ]η[μέ]ναις κα[ὶ τ]αῖς ὁμογενέσι[ν] το[ύ-
τοις εἰς τὸ φυσικὸν καταγαγόν-
τες [μ]έγεθος· καὶ γὰ[ρ] τῷ τοῦ
φθονεῖν τινε[ς] .γωιτ.λα.δ[ε-
5 ξάμενοι(?) ἀναπλάσσουσιν [κ]αὶ
κατὰ τούτω[ν] ἵνα χαρῶσιν...
τῳ, καὶ κατὰ λύπην [π]εν-
θοῦντές τι[νε]ς πράτ[τουσι]ν(?) ε
.ν αὖ ἰάλεμον φυγ[ῇ?] τ[ῶν
10 λύπην ποιούντων· Ι..ε.
καθ[αι]ροῦνται μά[λ]ισ[τ]α τ[ῷ
..ν...τ..........ορ..όμε-
ν]α....ι λ...................

Omnem operam, quam huic columnae restituendae impendi, frustratus sum; quamquam non ita multa desunt, sententiam non perspexi.

Priores sane versus facile restituuntur, nisi quod de primo verbo dubitare licet: a litteris traditis proxime abest ἢ λύπαις quod arteficiosa eget interpretatione e. g. τὸ περιττὸν ἐν ταῖς ἀλγηδόσιν ἢ λύπαις κτέ., magis placet π mutare in ν ita ut haec fere evadat sententia τοὺς φόβους vel τὰς ἐπιθυμίας ταῖς ἐπιλογίσεσι ταῖς προειρημέναις καὶ ταῖς ὁμογενέσιν τούτοις κτέ. desideramus ταύταις, sed in loco obscuro manifesta apographi vestigia mutare nolui.

3) enuntiatum a verbis καὶ γὰρ incipere, usque ad ποιούντων pertinere (v. 10) duo spatia ostendunt. multa verba certa sunt, de sententia enucleanda despero.

Col. XVIII N. f. 80.

„εἰ] τοῖς θεοῖς μέλει τι τῶν [ἐ]μῶν
κακῶ[ν α]ὐτοί τέ(?) μοι [σ]ώσο[υ-
σι τὴν ἐρωμένην.“ πρόδηλον
δ' ὡς καὶ ἔργων τινῶν ἀπέ-
5 χεσθαι δεῖ τὸν μὴ μετεωρισ-
θησό[μ]ενο[ν], ὧν ἐστι καὶ μέ-
θη· [δι' ἀ]λλήλων γὰρ δὴ ταῦ-
τα αὔξεται μετεωριζό-
μ[ενο]ί τε γάρ τινε[ς] καὶ τὸν

XVII, 1) Η..ΠΑΙϹ ap., ϹΙ.¯Ϲ. ap. 4) ΤΙΙ.Ε..ΓΩΙ ap. 6) ΤΟΥ-ΤΩ.ΙΝΑ ap. 7) .ΕΝ..|ΘΟΥΝΤΕϹ ap. 8) ΤΡΑΤ....Ν ap., πράττουσιν Us. 9) ΑΥΤΑΔϹΜΟΝ ap., ἰάλεμον Us., ΦΥΓϹ. ap., φυγῇ Us.
XVIII, 1) ΤΟΙϹΘϹΤΙϹΛ ∷ Ε ap. 2) ΚΑΚΩΙ.. ap., .ΩϹΟ˴ ap. 4) ΔΩΕ ap. 6) ΘΗϹΩ.ΕΝ ap. 8) ΤΑΛΥΞΕ ap. 9) Ι'...Ι ap., ΓΙΝΕ. ap.

10 μ[ε]τεωρισμὸν μὴ [αἴ]ρον-
τ[ες ἐ]κ διανοίας εἰς [μ]έθ[ην
πίπτου]σιν, [καὶ] τὰ διὰ τῆ[ς
μέθης]

1—3) duo senarii poetae incerti referuntur, quorum alterum restituit de Arnim. scriptor hos versus inseruit ut exemplo illustraret, ni fallor, quam humiles essent volgi de deorum numine opiniones. ut illi puellam aegrotam sanent, flagitat nescio quis, quos omnino nihil curare homo Epicureus scit.

12) a particula καὶ alteram enuntiati partem incipere veri simillimum est, qua responsio illa inter ebrietatem et imaginationes efficiatur. et ei, qui vanis opinionibus perturbantur, saepe ad ebrietatem se convertunt, et imaginationes ex ebrietate ortae animum magis magisque perturbant. sic fere enuntiatum suppleam καὶ τὰ διὰ τῆς μέθης ἀναπλάσματα ἔτι μᾶλλον τὴν διάνοιαν μετεωρίζει.

Col. XIX N. f. 80.

ἰσ]χὺς ἐνμένει [ν]οημ[άτ]ων· πο[λὺ
γὰρ τὸ ἐν τοῖς πάσχουσιν ἐλε[ύ]θε-
ρον συναγωνίζεται τῇ διατροπῇ
π]ρὸς τὸ καταγωνίσασθαι τὰ αἰσ-
5 χρὰ τῶν παθῶν· ὅπερ ἂν γένοι-
το, [εἰ(?)] ἐπὶ τῶν προκειμένων
π[ιθ]ανῶς [εἴ]ποιμεν ὡς ὁ μὲ[ν
. . τ . . . . δῶρ[ον] ἔχει
. . . α . . δ . . . δια . . . πη . . . .
10 . . . . μ . . . . υλ . . νδ . . . .
. . . . α . . . . τα . . . . . .
ρ . . . μ . . . . α πολλά . . . .

1—5) a verbo πολὺ usque ad παθῶν Usenerus restituit Ep. ad p. 335, 8, ad sententiam cf. Ep. fr. 591 cum illis locis, quos Usenerus l. l. adnotat.

6) εἰ incertum est. sed si verba ἐπὶ τῶν προκειμένων particula τε cum ὅπερ ἂν γένοιτο coniungimus, non habeo quod sequentibus faciam: nam lacuna initio v. 7 non sufficit verbis εἰ πιθανῶς et εἰ ἱκανῶς non placet, si vero sublata particula condicionali scribimus κ- πιθανῶς εἴποιμεν offendo in omissa particula ἄν. quod ego proposui sic vertam: id quod (sc. τὸ καταγωνίσασθαι τὰ αἰσχρὰ τῶν παθῶν) evenerit, si ob ea quae protulimus probabiliter dixerimus eum summum donum accepisse e. c.

Quamquam libelli finis deest, tamen suspicor hanc columnam

11) Τ...Ι.ΔΙΑ ap., φέροντες τῆς διανοίας coni. Us., ЄΠ.ЄΘ ap.
XIX, 1) ΛЄΝι ı ıΘ ap., νοημάτων rest. Us. 2) ΠΑϹΧЄΥ ap.
4) ΚΑΤΑΤѠ ap. 6) ΤϹΤ.ЄΠΙ ap. 7) ϹΙ..Α ap.

ultimam fuisse. nam primum verba ὅπερ ἂν γένοιτο κτέ. libelli conclusionem indicare videntur, deinde intimae quaeque voluminum columnae plerumque optime servatae sunt, ita ut unam vel plures columnas intercidisse veri simile non sit. dimidiam columnae partem deesse eo gravius fero, quod nomen iuvenis, ad quem liber datur, commemoratum esse in fine conicere licet.

Indices.

I. Index fontium partis prioris.

II. Index verborum, quae in p. 331 leguntur.

(* notavi quae minus certa sunt.)

L. ANNAEI SENECAE

EPISTULAE MORALES

QUO ORDINE ET QUO TEMPORE
SINT SCRIPTAE COLLECTAE EDITAE

SCRIPSIT

HENRICUS HILGENFELD

Praefatio.

Perlectis Senecae epistulis diu de earum natura atque compositione meditatus editionisque tempus enucleare conatus cum cognoscerem ex omnibus, qui eisdem de rebus scripserunt, neminem prorsus mecum consentire, quin adeo plerosque, has cum tractarent quaestiones, longe alia via esse progressos, nolebam contra tot viros eosque doctissimos in aciem descendere. Sed iterum atque iterum ipsas epistulas et recentium de eis commentationes perscrutatus, mea ipsius sententia diligenter examinata, cum mihi viderer etiam post illos aliquid posse conferre ad litem diiudicandam, haec conscripsi. Atque ne quis putaret, neglegenter me accessisse ad ipsam disputationem, sic agendum esse arbitratus sum, ut primum, quae priores attulerunt, argumenta accurate percenserem, deinde refutatis eorum erroribus nova via munita proprio Marte ostenderem, L. Annaei Senecae epistulae morales quo ordine et quo tempore essent scriptae collectae editae.

I. Priorum refutatio.

Ac primum quidem Iustus **Lipsius**, ut erat summa iudicii sagacitate, cum ederet Senecae libros, in universum iam recte cognovit totius epistularum corporis rationem atque naturam. Dixit enim[1]) non epistulas has esse, sed cotidianos conceptus sive μελετήματα, neque inepte: „Est, inquit, silva quaedam rerum et miscellanea argumenta: etsi philosophiae tamen finibus clausa. Ego censeo Senecam haec obiter et carptim scripsisse, per intervalla, utquidque meditatus erat aut incidebat inter ambulandum, exercendum, in horto, in domo, in lecto.“ Putabat autem etiam veras epistulas quasdam intervenisse, sed quasdam. Negavit omnes iustas esse et assidue sic missas. Certum scriptoris in ordinandis eis consilium non invenit.

Protulit hanc sententiam, neque vero argumentis firmavit. Reliquit igitur nobis illam operam, ut anquiramus, num recte iudicaverit.

---

1) ed. III. Antv. 1632. praef. ad epp. p. 385.

Idem cognovisse sibi videbatur scriptas esse epistulas morales annis 63 et 64, cum Seneca et memoraret cladem Lugdunensem, factam anno circiter 64[1]), et saepissime senectutis suae faceret mentionem. Adicere poterat, eius otium quoque saepius memorari, in quod se recepit iam anno 62. Tum fortasse nonnullas epistulas etiam illi anno tribuisset. Item si considerasset scriptorem mortuum esse m. Aprili anni 65[2]), statuisset, scribi eas potuisse non tantum intra biennium sed intra triennium. Atque adeo cum sciamus ex ep. 49_1 iam ante Lucilii procurationem, cuius ratio habetur iam in prioribus epistulis, amicitia coniunctos fuisse illum et Senecam, et veras quasdam suspicati simus epistulas reperiri inter fictas, haec nobis restat quaestio, num habeamus quasdam saltem epistulas etiam prioribus annis adscribendas.

De ea re Lipsius omnino non dubitavit, quin a Seneca ipso epistulae morales essent editae, ideoque ex ep. 33_1 [3]) nihil aliud conclusit, nisi ab illo iam eas esse in libros divisas.

Fridericus Haase[4]) primus arbitratus est, has epistulas, quamquam eo consilio conscriptae essent omnes ut ederentur, tamen non esse editas a Seneca, qui praematura morte esset raptus, sed post eius mortem ab amicis Nerone etiamtum vivo. Quod ut demonstraret duobus potissimum usus est argumentis.

Primum animadvertit perraro in his XX libris legi Senecae amicorum nomina neque nominari nisi mortuos aut certe non cives Romanos, compluribus autem locis nomina ita esse omissa, ut desiderarentur 3_1: *Epistulas ad me perferendas tradidisti, ut scribis, amico tuo.* 11_1: *Locutus est mecum amicus tuus bonae indolis.* 25_1: *Quod ad duos amicos nostros pertinet, diversa via eundum est: alterius enim vitia emendanda, alterius frangenda sunt.* 36_1: *Amicum tuum hortare.* 42_1: *Iam tibi iste persuasit virum se bonum esse?* 58_8: *Sex modis hoc a Platone dici amicus noster, homo eruditissimus, hodierno die dicebat.* 64_1: *intervenerant quidam amici.* 77_6: *Amicus noster Stoicus, homo egregius et, ut verbis illum, quibus laudari dignus est, laudem, vir fortis ac strenuus, videtur mihi optime illum* — Marcellinum — *cohortatus.* 93_8: *Quid illum octoginta anni iuvant per inertiam exacti?* 112_1: *Cupio mehercules amicum tuum formari, ut desideras, et institui.* 115_2: *magnus ille remissius loquitur et securius.* Quin etiam lacunas easque haud parvas inde exstitisse 42_5. inter 98_{14} et $_{15}$. 101 i. f. 118 i. f. Quod etsi factum esse posset a Seneca ipso, tamen esse verisimilius amicorum ei superstitum culpa esse commissum, ne ei, quorum nomina in philosophi libris legerentur, Neronis invaderent odium. Inveniri enim nomen

1) Cfr. quae infra disputabo contra Peiperum p. 618—9.
2) Tac. A. XV 53. Ovid. Fast. IV 389 sq.
3) *Desideras his quoque epistulis, sicut prioribus, adscribi aliquas voces q. s.*
4) Ed. vol. III, praef. p. III—VI.

Maximi 87_2, quem constaret post Pisonianam coniurationem detectam in exilium esse missum[1]): itaque Seneca mortuo demum ut exsulem fuisse tutum ab imperatoris supplicio. Senecae igitur edenti Maximi nomen fuisse delendum, minus ei, qui post scriptoris mortem periculo illi iam non imminente edendas curasset epistulas. Lucilium vero pütat, cum Romae non esset sed in Sicilia, in coniurationis Pisonianae suspicionem incidere vix potuisse, postea eo usum esse otio, quo tutus videretur.

Ego vero censeo primum indicem illum lacunarum esse circumcidendum. Nam 64_1 nemo ut opinor desiderabit addi amicorum nomina, non magis quam 78_4[2]), et ampliores lacunas librariis potius imputaverim quam editoribus. Verba autem 42_5: *meministi, cum quando adfirmares esse in tua potestate* aperte sunt corrupta et sic fortasse sananda, ut scribamus: „*Meministi* ⟨*EUM*⟩ *cum quando adfirmares q. s.*“. Tum idem amicus est intellegendus atque 42_1. Deinde 93_3. 115_2 vox „*ille*“ trahenda est ad animi vocabulum, utroque loco in eo quod antecedit enuntiato occurrens. Quod vero Ionas[3]) et Bartsch[4]) eos quoque locos excluserunt, ubi Lucilii amicorum nomina[5]), ille etiam ubi philosophorum[6]) reticentur, non recte fecerunt. Nihil enim, si omnino metuendus erat Nero, eius puto interfuisse, huius an illius nominarentur amici, dummodo in his epistulis laudarentur, et si philosophi erant, considera, Senecam ipsum fuisse philosophum neque Neroni quosquam magis fuisse suspectos quam Stoicos.[7]) His igitur et reliquis locis desiderari aliquid libere confiteor. Sed quidni omnia illa nomina Seneca poterat omittere? Haase ipse concedit, futurum esse ut non satis valerent, quae protulit, ad sententiam suam probandam, si Maximi nomen esset deletum, quod Senecae ipsi fuisset delendum. At unde scit ille vir doctissimus hunc non eisdem de causis tutum esse visum atque Lucilium, cuius nomen omnibus epistulis est praemissum? Nonne alias epistulas ad eundem Maximum[8]) scripsit permultas?

---

1) Tac. A. XV 71: *At Caedicia uxor Scaevini et Caesennius Maximus Italia prohibentur, reos fuisse se tantum poena experti.*

2) *Multum mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici.*

3) De ordine librorum L. Annaei Senecae philosophi. Berol. 1870 p. 67.

4) Zur Kritik der Briefe Senecas. (progr. gymn. Anclam. 1870) p. 6.

5) 11_1. 36_1. 112_1. 6) 58_8. 64_1.! 77_6.

7) Cfr. Tac. A. XIV 57: *Plautum magnis opibus ne fingere quidem cupidinem otii, sed veterum Romanorum imitamenta praeferre, assumpta etiam Stoicorum arrogantia sectaque, quae turbidos et negotiorum adpetentes faciat.* XVI 22: *Ista* — Stoicorum — *secta Tuberones et Favonios, veteri quoque rei publicae ingrata nomina, genuit. Ut imperium evertant, libertatem praeferunt: si perverterint, libertatem ipsam adgredientur.* 27: *Etenim quid mirum e longinquis provinciis haud veniri, cum plerique adepti consulatum et sacerdotia hortorum potius amoenitati inservirent?* Adde quod Demetrius Cynicus, quem passim laudat Seneca (20_9. 62_3. 67_{14}. 91_{19} etc.) tantum afuit ut revera tutus esset ab imperatorum odio, ut anno 71 a Vespasiano exsilio puniretur. cfr. Dio 66_{13}.

8) cfr. Mart. epigr. VII 45: *Facundi Senecae potens amicus Caro*

Quodsi vero Haase contendit, non nominari praeter hos nisi aut mortuos aut non cives Romanos, recte iam monuit Ionas[1]) occurrere Marulli nomen[2]) et Aebutii Liberalis Lugdunensis[3]), quibus Bartsch[4]) consulto omittens Gallionem scriptoris fratrem addidit Claranum[5]) et Marcellinum[6]), quos etsi nemo potest demonstrare Senecae fuisse superstites, tamen contrarium quoque probari nequit. Hi si inter vivos tunc erant, non minus Senecae ipsi tuti poterant videri quam eius amicis.

Sequitur ut alia sit causa, cur nomina occurrant tam pauca atque adeo interdum desiderentur, neque hoc argumento Haase mihi probavit epistulas post philosophi mortem esse editas. Sed ne illud quidem inde efficitur Senecam eas edidisse. Nam longe alii sunt loci, quos Ionas[7]) attulit ut demonstraret, ex consuetudine scriptoris in ceteris quoque eius libris conspicua accidisse ut nomina omitterentur, ideoque epistulas quoque ab eo esse editas. Ego certe illis locis nihil desidero. Sed cogita, similia atque reperimus apud Senecam occurrere etiam in Ciceronis ad Atticum epistulis.[8]) Talia quin Ciceroni ipsi sint imputanda, vix est qui dubitet, etiam si non subinde causam ostenderet, nimirum timere se ne a pluribus, quae ad amicum scripsisset, legerentur.[9]) Alia ideo magis tanguntur quam exponuntur, cum notissima sint amico. Tamen Ciceronis epistulas non ab ipso esse editas Cornelii Nepotis constat testimonio.[10]) Contra C. Plinius

---

proximus aut prior Sereno hic est Maximus ille, quem frequenti felix littera pagina salutat.

1) ll. p. 66. 2) ep. 99_1. 3) ep. $91_{1. 3. 13}$. 4) ll. p. 5.
5) ep. 66_1. 6) ep. 29_1.
7) ll. p. 66. 67. Dial. XII, Cons. ad Helv. 2_4: *amisisti matrem ... crevisti sub noverca, ... avunculum indulgentissimum amisisti.* $_5$... *filium meum.* 18_1: *respice fratres meos.* $_6$. *quicquid matri dolendum fuit, in me transierit, quicquid aviae in me.* $_7$. *abstulit illi nuper fortuna matrem.* 19_1: *Maximum adhuc solatium tuum tacueram, sororem tuam.* $_4$. *carissimum virum amiserat, avunculum nostrum.* N. Q. VI 8_3: *Ego quidem centuriones duos, quos Nero Caesar ... miserat, audivi narrantes.*

8) I 13_4: *Tuus autem ille amicus — scin quem dicam? — de quo tu ad me scripsisti.* 16_1: *cum enim ille ad contiones confugisset.* VII 2_8: *— nam de altero illo minus sum admiratus, operario homine; sed tamen ne illo quidem quicquam improbius —.* XI 1_2: *credens ei, cui tu scis iam pridem minime me credere.* 2_2: *te obtestor ut totam rem suscipias et illam miseram mea culpa et neglegentia tueare meis opibus.* 3_1: *Quid hic agatur scire poteris ex eo, qui litteras attulit.* ibid.: *quare, ut alia, sic hoc vel maxime tuae fidei benevolentiaeque permitto et illius consilio et voluntati, cui miserae consuluissem melius, si q. s.* $_3$: *is quoque in angustiis est, quicum sumus.* 13_1: *A Murenae liberto nihil adhuc acceperam litterarum.* $_4$: *itaque tum et a tuo vilico sumpsimus et ab aliis mutuati sumus. al.*

9) I 18_2: *Ac domesticarum quidem sollicitudinum aculeos omnis et scrupulos occultabo, neque ego huic epistulae atque ignoto tabellario committam.* IV 17_1: *neque enim eae sunt epistulae nostrae, quae si perlatae non sint, nihil ea res nos offensura sit, quae tantum habent mysteriorum, ut eas ne librariis quidem fere committamus.* XI 4_2: *Hactenus fuit quod caute a me scribi posset. vale.*

10) T. Pomponii Attici vita 16_3: *Ei rei sunt indicio praeter eos*

Caecilius Secundus ipse dicit, a se esse publicatas epistulas suas.[1]) Tamen etiam in his nonnulla nomina desiderantur.[2]) Ergo talibus argumentis nihil demonstratur de editore.

Illud potius est concludendum, ubi ita videmus aliquid deesse, ut desideretur, neque librariis ea culpa est imputanda, veras has esse epistulas privatas. Nam qui fictas conscribit, nullo negotio sic rem potest instituere, ut omnia sint plana atque concinna; qui vero privatas curat edendas, semper nonnulla inveniet mutanda et iam cum conscribit quaedam variis de causis adumbrat tantum et tangit. Non igitur erravit Lipsius, cum suspicatus est quasdam esse veras epistulas. Neque mirum tam pauca inveniri nomina, nam in plerisque, cum totae sint de philosophia, ne occasio quidem oblata erat loquendi de amicis.

Deinde Haase contendit[3]) Senecae epistulas omnino non plane paratas ad editionem esse relictas. Inveniri enim aliquot sententias rerum ordinem mirifice turbantes neque tamen tamquam spurias suspectas neque quae in alium locum facile possint transponi. Has igitur putat secundis curis esse adiectas a Seneca, ut se commonefaceret aliquid eo loco esse delendum aut corrigendum. Illum vero, qui post Senecae mortem libros edidisset, integra omnia recepisse. Quibus locis equidem non eandem vim tribuo, sed ne quis circumveniri se existimet accurate nobis singuli sunt tractandi. Nam egit quidem eisdem de locis iam Iulius Bartsch[4]), sed neque semper ei assentior, neque omnes, quos Haase ut secundis curis adiectos uncis rotundis inclusit est interpretatus, sed eos tantum transponendo et mutando studuit emendare, quos ille, quia maioris momenti esse putabat, ipse enumeravit p. V.

Iulius **Bartsch** igitur censuit ep. 13_4 verba („*Illud tibi praecipio, ne sis miser ante tempus, cum illa, quae velut imminentia expavisti, fortasse numquam ventura sint, certe non venerint*“) esse legenda ante §. 6: „*Illud praesta mihi, ut, quotiens q. s.*“. De eorum enim, quae fingimus nobis, malorum genere quodam iam illis verbis §. 4 agi. Hoc fieri vix posse antequam ea in genera essent divisa. Contra post ea, quae de Stoicorum lingua essent dicta ante illa verba ad-

---

libros, in quibus — Cicero — *de eo facit mentionem, qui in volgus sunt editi, sedecim volumina epistularum ab consulatu eius usque ad extremum tempus ad Atticum missarum.*

1) I_1: *Frequenter hortatus es ut epistulas, si quas paulo curatius scripsissem, colligerem publicaremque. Collegi q. s.*

2) II 6_1 . . . *quemadmodum acciderit ut homo minime familiaris cenarem apud quendam q. s.* VI 17_1: *Indignatiunculam, quam in cuiusdam amici auditorio cepi q. s.* VII 26_1: *Nuper me cuiusdam amici languor admonuit q. s.* VIII 22_4: *Nuper quidam — sed melius coram; quamquam ne tunc quidem.* IX 12_1: *Castigabat quidam filium suum . . . huic ego iuvene digresso: q. s.* cfr. IX 21_1. 24_1. 26_1. 27_1.

3) praef. p. IV—VI. 4) l. l. p. 9—20.

dubitata, aptissime sequi malorum partitionem. Mihi vero necessarium videtur, verba addubitata eodem loco retineri, quo nunc leguntur. Necesse est enim Senecam, cum vocabulo *„ergo“* induceret triplicem partitionem, non de uno malorum genere antea esse locutum, sed de tribus. Primum est eorum, quae nos terrent, non premunt; dixerat scriptor: *„Plura sunt, Lucili, quae nos terrent, quam quae premunt, et saepius opinione quam re laboramus.“* Haec sunt praesentia, quae putantur mala, sed re vera non sunt. Si accuratius ea perscrutabimur, videbimus, plura mala esse opinata quam vera. At Stoici omnino nullum putabant malum nisi vitia. Addere igitur debebat Seneca se nunc *„non loqui Stoica lingua“*. Cum his verbis aptissime iunxit adhortationem, qua non idem postulat ab amico sed minus, haec fere praecipiens: „Sed fac ea, quae vulgo putantur et quae nos terrent re vera esse mala, tamen illud praestare potes, ne futura horreas, quorum duo sunt genera: alia certe venient, sed nondum venerunt, alia omnino non venient.“ Nullo loco haec adhortatio submissior aptius legitur, nisi postquam Seneca dixit: *„omittamus haec magna verba, sed, di boni, vera.“* Ergo tria sunt malorum genera quae perperam horremus, primum: *„quae nos magis torquent quam debent“ (= saepius opinione quam re laboramus).* deinde: *„quae nos ante torquent quam debent“ (= cum certe non venerint).* denique: *„quae nos torquent, cum omnino non debeant“ (= cum illa fortasse numquam ventura sint).* Itaque cum sententiarum ordo sit accurate servatus, nihil est neque transponendum neque eiciendum. Hoc etiam contra Schultessium[1]) disputatum esse volo, qui verba illa legenda esse censet ante §. 8.

14_8: *„Cum peteres Siciliam, traiecisti fretum. temerarius gubernator contempsit austri minas (ille est enim, qui Siculum pelagus exasperet et in vertices cogat).“*

77_2: *Solis enim* — Alexandrinis navibus — *licet siparum intendere, quod in alto omnes habent naves. (nulla enim res aeque adiuvat cursum quam summa pars veli: illinc maxime navis urgetur. itaque quotiens ventus increbruit maiorque est quam expedit, antenna submittitur: minus habet virium flatus ex humili.)“*

Concedo utraque verba, quae uncis Haase inclusit, non esse necessaria neque scripta videri ad Lucilium, qui et mare Siculum et nautarum mores expertus noverat. Ergo aut postea sunt adiecta, neque vero ut se commonefaceret Seneca aliquid ibi esse addendum, sed ut illarum rerum ignari quae dicerentur facilius intellegerent, sive ut hae epistulae privatae possent edi; aut omnino non verae epistulae sunt iudicandae. Cur illud potius censeam postea ostendam.[2])

19_1: *„Ita fac, oro atque obsecro. (quid enim habeo melius, quod amicum rogem, quam quod pro ipso rogaturus sum?) si potes, subduc*

---

1) De L. Annaei Senecae quaestionibus naturalibus et epistulis. Bonnae 1872. p. 42.

2) Cfr. infra de corp. I. et de corp. III. parte 2.

te istis occupationibus, si minus eripe." Haec cum legerem equidem non haesi. Nam si non id quaerimus quid debuerit dicere scriptor, sed quid senserit studemus intellegere, haec est eius sententia: „Iure peto a te — nam fas mihi est id rogare amicum, quod pro me ipso rogaturus sum — ut te subducas occupationibus." Significat igitur, se quoque otium esse rogaturum. Quod fortasse ideo Haasium offendit, quia omnes epistulas post Senecae secessum scriptas esse censebat. Sed ex his ipsis verbis intellegimus, ante secessum ep. 19 esse scriptam.

Similis est locus 34_1: „*intellego, quantum te ipse (nam turbam olim reliqueras) superieceris.*" Certe haec Seneca vix scripsit Lucilio Siciliae procuratore sed aut ante illius procurationem aut post eam. At suntne ideo addubitanda, quia non quadrant ad recentiorum coniecturas? Sententiarum ordinem non turbant.

51_1: „*Quomodo quisque potest, mi Lucili: tu istic habes Aetnam [illum nobilissimum Siciliae montem] (quem quare dixerit Messala unicum, sive Valgius, apud utrumque enim legi, non reperio, cum plurima loca evomant ignem, non tantum edita, quod crebrius evenit, videlicet quia ignis in altissimum effertur, sed etiam iacentia): nos utcumque possumus contenti sumus Baiis, quas postero die quam adtigeram reliqui, locum ob hoc devitandum, cum habeat quasdam naturales dotes, quia illum sibi celebrandum luxuria desumpsit.*"

Verba „*illum nobilissimum Siciliae montem*" cur prorsus Haase eiecerit, nullam idoneam invenio causam. Quae sequuntur secundis curis iudicat esse addita. At quid ibi sit supplendum praeter ea quae legimus non intellego. Fortasse minus necessaria videntur. Id concedo. Sed aliquid ad Aetnae vocabulum puto statim esse adiectum. Opponitur enim Aetna Baiis, de qua urbe ipsa quoque pluribus verbis agitur. At compositionis desideratur concinnitas. Recte. Sed multo durior fit structura illo enuntiato prorsus eiecto. Scriptoris illud est vitium, non editoris. Epistulae sunt. Rerum autem ordo non magis turbatur quam omnibus interpositionibus, quas saepius orationi Seneca infulsit.[1])

Eodem loco habeo duas alias interpositiones, quas Haase uncis rotundis inclusit: 78_{24}. „*nec in repositorio eius pectora avium (totas enim videre fastidium est) congesta ponentur: q. s.*" Suo loco hic Seneca explicat, cur dixerit „*avium pectora*", non „*aves*". Alibi[2]) quoque

1) 95_{42}: *Mullum ingentis formae — quare autem non pondus adicio et aliquorum gulam inrito? quatuor pondo et selibram fuisse aiebant* — $_{65}$: *Posidonius non tantum praeceptionem — nihil enim nos hoc verba uti prohibet* — ibid.: *his adiecit causarum inquisitionem, etymologiam, quam quare dicere nos non audeamus, cum grammatici, custodes Latini sermonis, suo iure ita adpellent, non video.* 122_{15}: *Pedonem Albinovanum narrantem audieramus — erat autem fabulator elegantissimus* — al. cfr. infra p. 609—10.

2) 110_{12}: *alia portenta luxuriae iam tota animalia fastidientis et certa membra ex singulis eligentis.*

reprehendit delicatorum hominum fastidium animalium singulas partes eligentium.

Altera reperitur 84_2: *„altera res contristabit, vires exhauriet (de stilo dico) q. s.“* Si tot aliae interclusiones putandae sunt primo impetu scriptae, hanc quoque feremus, aut omnes eiciemus. At loci similes se invicem defendunt.

Totam paragraphum 78_{11}: *„Sed molestum est ... quod cupere desieris“* iam Haase[1]) cognovit transponendam esse post §. 21. Bartsch[2]) ostendit una cum ea transponenda esse verba quae antecedunt *„illud autem est ... quantum necesse est“*. Nam his quoque sententiarum conexus interrumpitur. Non id demonstraverat antea Seneca animum posse vacare in morbis, sed morbi vim tempore leniri. Animi laetis cogitationibus vinci posse dolores ostendit §. 21. Itaque omnia illa non secundis curis sunt adiecta, sed librariorum vitio male posita.

78_{14}: *(„Deinde quod acerbum fuit, retulisse iucundum est: naturale est mali sui fine gaudere.“)* Non deesse posse hanc sententiam Bartsch[3]) ostendit. Addo eadem de causa necesse esse eam loco tradito retineri atque 13_4[4]) propter sequens vocabulum *„ergo“*. Dictum enim erat dolorem numquam tam esse gravem, quam creditur (§. 13). Stultissimum vero esse praeteritos dolores retractare. Naturale enim esse mali sui fine gaudere (§. 14). *„Ergo duo sunt circumcidenda: et futuri timor“:* nam quod timetur exiguum est; *„et veteris incommodi memoria“: nam quid iuvat miserum esse quia fueris?* Sed quid inde lucramur in ipsis doloribus? Addit Seneca: *„In ipsis positus difficultatibus dicat: forsan et haec olim meminisse iuvabit“ (= nam quod acerbum fuit, retulisse iucundum est).* Miram vero illam constructionem infinitivi perfecti removit Bartsch scribens: *quod acerbum fuit FERRE, tulisse iucundum est.*

Sed idem non tantum hanc unam sententiam in suspicionem vocavit, sed totam paragraphum. *(„Detrahendas ... iuvabit.“)* Dicit ea rem longe aliam tractari atque in eiusdem partis paragraphis reliquis. Illis demonstrari, dolorem praesentem facile posse tolerari: hac agi de praeteritorum malorum memoria. At nonne eodem pertinet, quod Seneca ex eis, quae §. 14 exposuerat, §. 15 conclusit: *„in ipsis positus difficultatibus dicat: forsan et haec olim meminisse iuvabit.“*? Quae verba cum proxime antecedentibus artissime cohaerent. „Sed de futuri timore, qui subito inducitur §. 14, nihil antea est dictum.“ At cum ostenditur paragraphis antecedentibus, omnem dolorem esse levem, quorsum id spectat nisi ut etiam futuri doloris timor dematur? „Sed male coniuncta sunt et cum antecedentibus et cum sequentibus.“ Illud concedo: hoc non item. Falsum enim puto, quod Bartsch dicit, vocem *„illum“* in enuntiato sequenti: *„toto contra illum pugnet animo: vincetur, si cesserit, vincet, si se contra dolorem*

---

1) p. V. 2) p. 11. 12. 3) p. 13. 4) Cfr. supra p. 605—6.

suum intenderit" trahendam esse ad *„doloris"* vocabulum, quod legitur §. 13: *„levis est dolor", „levem illum, dum putas, facies"*. Quod si verum esset, sine dubio Seneca non dixisset in altera enuntiati parte: *„si se contra dolorem suum intenderit"* sed: *„si se contra eum intenderit"*. Diversi igitur sunt *„ille"* et *„dolor"*. Restat ut *„ille"* sit *„timor futuri"* modo memoratus §. 14 *„et futuri timor q. s."*. Neque sensus obstat. Saepissime enim Seneca ostendit, ut futuri timorem vincamus, dolorem esse contemnendum. Timor et dolor cognati sunt. „Sed cum antecedentibus male haec sunt coniuncta." Ego quoque particulam quandam desidero, qua fiat transitus ad praeteritorum dolorum conquestiones; sed iam in antecedentibus haereo. Offendit me temporum mutatio in verbis: *„tam miser est quisque quam credidit."* Desidero utriusque verbi tempus praesens. Si vero emendabimus: *CREDIT* ex *CREDIDIT,* quid fiet duabus quae restant litteris? In eis latere puto particulam *„ITEM"*. Tum omnia recte procedent. Hoc si mihi dabitis, negandum est, quod Bartsch est suspicatus, verba illa sumpta esse ex aliis litteris et adiecta ab amicis postquam hi libri essent editi.[1])

81_{11}: *„Hoc aliquis inter illa numerat, quae videmur inopinata omnibus dicere (παράδοξα Graeci vocant)."* Haec Haase postea addita esse censet. Sed si omnino talibus in rebus offendebat, cur hunc potissimum locum secundis curis putat adiectum, cum sexcenties similia occurrant apud eundem scriptorem adiecta, ut verba inusitata explicarentur[2]), ut praeteream Ciceronis philosophiae libros similibus interclusionibus refertos[3])?

---

1) Atque quoniam contra Bartschium pugnare coepi, aliud quoque statim expediam. Ille enim ut suam fulciret coniecturam operam dedit ut ostenderet alios quoque locos ex alienis epistulis ab amicis esse additos, velut 24_3 *„Nec diu exempla ... impetus magni"*. Tria Bartsch (p. 15) affert argumenta; primum: idem iam dici verbis sequentibus *„contemptores eorum cita"*. Verum est, sed repetenda erat illa sententia, quia scriptoris oratio interiecta longius erat evagata. Hoc quidni in eadem epistula potuit fieri? Deinde: interrumpi sententiarum conexum. At iubebatur Lucilius dolorem suum metiri et taxare, ut animum adversus eum confirmaret. Hoc ut faceret opus erat exemplis. *Neque diu ea colligenda esse* dicit Seneca, cum passim occurrant. Quae durissima ducantur, enumerat ut addat, qui viri ea sint aequo animo passi. Eorum priusquam ipsa nomina affert, iterum dicit non tam *quaerenda* ea esse quam *eligenda.* Ubi perturbetur rerum ordo equidem non video. Denique: verbis *„aut ingenia aut profectus aut impetus magni"* non intellegi posse homines, quorum facta deinde enumerentur. At si non ipsi homines attamen animorum virtutes eorum significantur. Ergo verba illa non sunt addubitanda. De tertio loco eiusdem generis (88_{12}) infra agam.

2) velut 82_{10}: *quod mortem inter indifferentia ponimus, quae* ἀδιάφορα *Graeci vocant.* 88_{20}: *quemadmodum prima illa, ut antiqui vocabant, litteratura.* 89_7: *Sapientia est quam Graeci* σοφίαν *vocant. Hoc verbo Romani quoque utebantur, sicut philosophia nunc quoque utuntur.* cfr. p. 607 adn. 1.

3) ut pauca eligam: Ac. Pr. II 17. 54. De Fin. III 33. 45. 55. de ND. I 50. 55. II 29. 47. 58. de Div. II 111. 142. Fat. 11 etc.

Similis est locus $87_{38.\,39}$: „*Ait autem Posidonius hoc sophisma* ... *sic ab Antipatro refelli: „Paupertas non per positionem dicitur, sed per detractionem (vel ut antiqui dixerunt per orbationem. Graeci* κατὰ cτέρηcιν *dicunt) q. s.*" Concedo neglectis his verbis sanum effici sensum. Sed etiam si ea retinemus. Habebat Seneca, cur ea adderet. „*Detractionis*" vocabulo sensit, quid intellegi vellet, non satis accurate significari. Id vero, quo antiqui utebantur, erat prorsus inusitatum. Quocirca addidit ipsam Graecam vocem, quam accurate se vertere posse diffidebat. „Sed non recte sunt posita inter Antipatri verba." Itaque accipe ea tamquam interclusionem.

Denique tertius eiusdem generis locus ab Haasio est defendendus 120_4: „*per analogian nostri intellectum et honestum et bonum iudicant. (Hoc verbum cum Latini grammatici civitate donaverint, ego damnandum non puto, puto*[1]) *in civitatem suam redigendum: utar ergo illo non tantum tamquam recepto, sed tamquam usitato.)*" His verbis Seneca se excusat, cur hoc potissimum utatur vocabulo. Quae excusationes non minus Senecae primis curis sunt abiudicandae, quam innumerabiles simillimae apud Ciceronem[2]) occurrentes, praesertim cum Sen. ep. 95_{65} Haase non addubitaverit.

81_{28}: „*(Nihil carius aestimamus quam beneficium, quamdiu petimus, nihil vilius, cum accepimus).*" Haec verba non esse uncis includenda recte Bartsch ostendit. Non enim interrogavisset Seneca, quid esset, quod oblivionem nobis acceptorum faceret *(quaeris, quid sit, quod oblivionem nobis acceptorum faciat),* nisi antea dixisset, homines eorum solere oblivisci. Sed etiam cum antecedentibus cohaeret illud enunciatum. Dixerat Seneca „*neminem gratum esse posse, nisi contempsisset, propter quae vulgus insaniret*". Quae duo sunt. Primum, quae praestanda sunt a gratis, intolerabilia iudicamus et nimia pro acceptis *(si referre vis gratiam, et in exilium eundum est q. s.).* Accepta vero, antea tanto studio appetita, postea vilia ducimus maiora exspectantes beneficia. Grati essemus, si acceptis essemus contenti *(Nihil carius aestimamus q. s.).* Ergo et labores sunt contemnendi et quae petenda videntur nova beneficia, propter quae vulgus insanit.

88_4: „*Ad geometriam transeamus et ad musicen: nihil apud illas invenies, quod vetet timere, vetet cupere.*" Haec verba ubi nunc leguntur locum non habere nemo non concedet. Neque video ubi aptius sint ponenda. Nam de musico et de geometra non uno capite loquitur scriptor, sed duobus, et bis ad aliam rem se transire iam significat: §. 9. „*Ad musicum transeo.*" §. 10. „*Metiri me geometres docet.*" Tamen Bartsch[3]) ante §. 9 ea infulsit eiectis verbis „*Ad musicum transeo*" et contendit de musico et de geometra uno capite esse actum.

---

1) Secutus sum in verbis transcribendis Franciscum Buecheler „Senecae epistulae aliquot Bonnae 1879".
2) Cfr. De ND. I 44. 109. II 91. de Div. II 11. 108. Fat. 1 etc.
3) l. l. p. 15—19.

Quod postquam sibi sumpsit, alia quoque permulta mutat. Dicit §. 12 alienam esse a proximarum paragraphorum argumento, ab amicis igitur additam ex aliis litteris. Antecedentibus enim demonstrari, geometria mores non emendari; hac pugnari contra adversarium longe alium, querentem se esse expulsum ex avito patrimonio. At nonne haec optime cohaerent? Dicit scriptor: non id esse docendum, quod praestet geometres, quomodo nihil perdam ex finibus meis, sed quomodo totos hilaris amittam. Hoc ipsum quod desiderat, docet §. 12. Monet nos ut cogitemus non nostra esse quae possidemus sed publica. Tum regreditur ad geometriam clamans: „*O egregiam artem!*". Bartsch vero, eiecta §. 12 in eo offendit, quod §. 11 Seneca de adversario loquitur tertia persona *(Docet, quomodo nihil perdam)*, §. 13 subito secunda *(scis rotunda metiri)*. Sed iam illic putat geometram non posse intellegi, cum nimio spatio id vocabulum absit. Itaque, ut concinnior fiat oratio, semper ponit secundam personam in §§. 10 et 11, quam iam invenit in §. 9, et „*geometrae*" vocabulum delet, ea quoque de causa ei molestum, quia de utroque, et geometra et musico, simul esse actum censet et aliam iam recepit introductionem. Quod nescio an nemo concedat. Sententiarum conexum non interrumpi §. 12 iam dixi. Qua interiecta personarum mutatio nihil habet incommodi. Deinde si „*geometrae*" vocabulum retinebimus, quis alio trahet „*docendi*" verbum in §. 11 obvium, praesertim cum ter repetitum legamus in §§. 10. 11: „*Metiri me geometres docet potius quam doceat q. s.*" — „*numerare docet me ... potius, quam doceat q. s.*" — „*docet quomodo nihil perdam ex finibus meis: at ego doceri volo q. s.*" Quae cum ita sint, nihil in §§. 9—12 est mutandum, neque omnino verba a Bartschio transposita in hunc quadrant contextum. Semper enim non artes a scriptore enumerantur sed artifices.[1]) Haec turbaretur concinnitas, si semel artis nomina introducerentur („*ad geometriam transeamus et ad musicen*"). Itaque multo simplicius videtur nulla alia re mutata priora illa verba omnino delere. Sed unde in contextum irrepserunt? A Seneca vix addita sunt, ut se alicuius rei commonefaceret, nam quod eis adumbratur ab ipso fusius enarratur. Reprehenditur §§. 9—13 in musico, quod non doceat flebiles voces comprimere, in geometra, quod non doceat paucis esse contentum. Idem paucis dicitur verbis illis suspectis. Sunt igitur ab excerptore quodam, quos multos habuisse Senecam constat, in margine adscripta, deinde librariorum errore in contextum recepta. Illud vero recte cognovit Bartsch, verba: „*quisquis haec ignorat,*

---

1) Cfr. §. 3. *Grammaticus circae curam sermonis versatur.* §. 9. *Ad musicum transeo.* §. 10. *Metiri me geometres docet.* §. 14. *Venio nunc ad illum qui caelestium notitia gloriatur.* §. 18. *non enim adducor ut in numerum liberalium artium pictores recipiam, non magis quam statuarios aut marmorarios aut ceteros luxuriae ministros. aeque luctatores et totam oleo ac luto constantem scientiam expello ex his studiis liberalibus.*

alia frustra scit" cum proxime antecedentibus esse coniungenda. Sunt igitur ipsa quoque Senecae abiudicanda.[1])

95_{36}. „*Unde ista tam rapacia virtutis ingenia vel ex se fertilia?*" Hunc locum lenissima emendatione iam Bartsch[2]) sanavit iubens pro *UNDE* scribi *INDE*. cfr. §. 16.

Verba 104_{27} librariorum vitio corrupta sunt, non additis quibusdam a Seneca. Bartsch[3]) ea iam studuit emendare. Fortasse codicum vestigia paulo magis quam ille prementes item sanum accipiemus sensum, si scripserimus: „*Si tamen exemplum desideratis, accipite Socraten, perpessicium senem, per omnia aspera iactatum, invictum tamen et paupertate, quam graviorem illi domestica onera faciebant, et laboribus, quos militares quoque pertulit. Quibus ille domi exercitus, sive uxorem eius ⟨SPECTES⟩ moribus feram, lingua petulantem, sive*

---

1) Nescio an eiusdem generis sit 78_{12} „*Tolerabilis est morbi patientia, si contempseris id, quod extremum minatur*". Ubi nunc hic locus exstat, interrumpit sententiarum conexum, neque quidquam simile ibi erat addendum. Ergo non secundis curis est scriptus a Seneca. Bartsch (p. 12) ante §. 6 eum ponit, quia ibi explicatur, nihil fore triste cum mortis metum effugerimus. Ipse tamen concedit, lacunam ante §. 6 non sentiri a legentibus. Itaque mihi quidem illa quoque verba videntur deberi excerptori. Qua de re eo minus dubito, quia alibi magis elucet idem accidisse, velut ep. 66_{32}. Legimus in codicibus „*Ratio rationi par est sicut rectum recto: ergo et virtus non aliud quam recta ratio est*" vel (p) „*ergo et virtus rationes sunt*". Haec quid sibi velint, difficile est intellectu. Sed simile quid eisdem fere verbis dicitur a Seneca ipso, sed eis quae facilius intelleguntur: „*Omnes virtutes rationes sunt: rationes sunt rectae: si rectae sunt et pares sunt.*" Aptissime haec cum antecedentibus ante verba illa suspecta coniunguntur, quibus ostenderat, rationem esse immutabilem. Censeo igitur illa, quae conexum turbant, ut excerptoris commenta esse e medio tollenda.

Item 76_{10}: „*Quid in homine proprium? ratio. haec recta et consummata felicitatem hominis implevit.*" His turbari rerum ordinem facile cognoscis. Accedit quod idem dicitur atque §. 9: „*In homine optimum quid est? ratio. hac antecedit animalia, deos sequitur.*" Ex quo efficitur illa esse spuria.

Ep. 82_{2}: Interrogatio „*quid ergo? viro non vel obrigescere satius est?*" nullo modo ferri potest in media enumeratione ante „*deinde*". Quid quod nihil aliud continet nisi quod scriptoris ipsius verba §. 3: „*Quid ergo? inquis, non satius est vel sic iacere quam in istis officiorum verticibus volutari?*"

Ep. 91_{9}: „*Consurgamus itaque adversus fortuita et quicquid inciderit, sciamus non esse tam magnum, quam rumore iactetur.*" Haec male esse posita quicumque totum legerit contextum cognoscet, neque ullum locum inveni, ubi rectius ponerentur, nisi in fine, cum alterius epistulae partis continerent summam, praesertim §§. 19—21. Sed rectius omnino excluduntur.

Denique 95_{5} „*Deinde etiamsi recte faciunt, nesciunt facere se recte.*" Ea, quae sequuntur, non ad illa spectant, quae supra transcripsi, sed ad ea quae antecedunt. Illa igitur, quae ordinem turbant, potius referenda sunt ad §. 39: „*Putemus aliquem facere, quod oportet, non faciet adsidue, non faciet aequaliter et q. s.*" Inde videntur esse excerpta et nescio quo casu huc delata. Sed de verbis interpolatis satis dictum est.

2) l. l. p. 9 adn. 1. 3) ibid.

liberos indociles et matri quam patri similiores, SEMPER fere aut in bello fuit aut in tyrannide aut in libertate bellis ac tyrannis saeviore!"

Denique 122_{11} *„Recitabat Montanus Iulius carmen, tolerabilis poeta et amicitia Tiberii notus et frigore. ortus et occasus libentissime inserebat. (itaque cum indignaretur quidam illum toto die recitasse et negaret accedendum ad recitationes eius, Natta Pinarius ait: „numquam possum liberalius agere: paratus sum illum audire ab ortu ad occasum".) Cum hos versus recitasset q. s."* Eis verbis, quos uncis inclusit Haase testimonium attulit Seneca, quo demonstraret, quod antea dixerat, verum esse, ortus et occasus a Montano libentissime inseri. Si vero duo haec enuntiata cohaerent neque sunt divellenda, omnia sunt servanda. Nam si omnia omittentur, narrationem quae sequitur non intellegemus.[1])

Nunc si circumspicimus, quid ex hac disputatione didicerimus, illud est tenendum: nihil a Seneca secundis curis adnotatum perperam in contextum irrepsisse, sed ab ipso nonnullis locis aliquid esse additum, ut quae ad amicum scripserat etiam a pluribus legentibus possent intellegi.[2]) Alia debemus excerptoribus.[3]) Quod si recte exposui, collabitur Haasii ratiocinatio, qua conclusit, epistulas non a Seneca esse editas, etsi ne contrarium quidem adhuc est demonstratum.

De eo vero Haase omnino non dubitavit, quin epistularum ordo recte esset servatus, nisi quod ep. 75 iudicavit perperam esse positam.[4]) Argumenta afferre supersedit.

Quid de tempore, quo essent scriptae, arbitraretur, ne dixit quidem. Tamen id non erat omittendum. Nam si quis demonstraret, iam multo ante Senecae mortem totum corpus fuisse absolutum, nonne veri esset simillimum, non post eius mortem demum id esse editum? Sed de Haasii argumentis hactenus. Nunc age transeamus ad alios scriptores. De quibus in universum hoc dicendum est: Omnes, quos novi, tamquam Epicurei magistrorum placita amplexi sunt hanc sententiam: omnes quae exstant veras esse epistulas et temporis ordinem esse servatum. Inde igitur progredientes id agunt, ut investigent, quo tempore singulae sint scriptae et omnes editae.

---

1) Alium locum non tam Haase quam Bartsch, illius adversarius (p. 19) in dubitationem vocavit, 17_{10}. In eo enim offendit quod verbis: *„haec ad alios pertinent"* Lucilius a ceteris distinguitur. Quam inurbanitatem negat a Seneca potuisse committi. Sed eis eiectis sentit, sententiarum conexum interrumpi. Putat igitur ea esse addita, postquam quae sequerentur locum suum mutavissent. Legenda enim esse post §. 8: *„unde enim scis an nimis habeas?"* haec: *„tu locupletibus propior es et q. s."* At ego confiteor illam distinctionem mihi non esse molestam, itaque nihil transponam.

2) 14_8. 77_2. cfr. p. 606.

3) 66_{32}. 76_{10}. 78_{12}. 82_2. 88_4. 91_9. 95_5. cfr. p. 612 adn. 1.

4) p. VI.

Primus hoc conatus est **H. Lehmann**[1]), qui illud quoque ab Haasio recepit, editas esse epistulas post Senecae mortem. Atque rectissime cognovit ep. 8, ubi Seneca otii sui faceret mentionem[2]), in quod se recepit anno 62, non ante illum annum potuisse scribi. Deinde cum legeret ep. 91 descriptum incendium Lugduni factum anno 64/65[3]) per hos tres annos 62—65 omnes distribuit epistulas secundum anni temporum factam mentionem. Scriptae ergo sunt ex Lehmanni computatione:

1—18 ante Decembrem a. 62. (18_1 *December est mensis.*)

19—23 ante ver a. 63. (23_1 *Putas me tibi scripturum ... quam malignum ver sit.*)

24—67 ante ver a. 64. (67_1 *Ver aperire se coepit.*)

68—86 ante Iunium a. 64. (86_{16} *Iunius mensis est.*)

87—122 ante Octobrem a. 64. (122_1 *Detrimentum iam dies sensit.*)

123 et 124 inter Octobrem a. 64 et Aprilem a. 65, quo mense mortuus est Seneca.[4]) Licebat Lehmanno uti his testimoniis, si antea aliis argumentis probavisset, temporis ordinem esse servatum. Anni enim ipsi numquam illis locis nominantur. Tamen idem conatur demonstrare nonnumquam temporis ordinem esse corruptum. Non igitur certa via atque ratione progressus est. De re ipsa nolo nunc iam sententiam ferre. Certe eis, quae Lehmannus attulit, exemplis nihil demonstratur.

Suspicatur enim ep. 14 scriptam esse post Christianorum vexationes institutas a Nerone anno 64. Nam Senecae verbis 14_5[5]) vehementer admonitus est Taciti narrationis A. XV. 44.[6]) Quod

1) Philologus VIII p. 327—8. Claudius u. Nero I 1858 p. 16—17.

2) ep. 8_2: *Secessi non tantum ab hominibus, sed a rebus, et inprimis a rebus meis.*

3) Cfr. infra p. 618—9.

4) Cfr. supra p. 602 adn. 2.

5) *ingens alterius mali pompa est. ferrum circa se et ignes habet et catenas et turbam ferarum, quam in viscera inmittat humana. Cogita hoc loco carcerem et cruces et eculeos et uncum et adactum per medium hominem, qui per os emergeret, stipitem et distracta in diversum actis curribus membra, illam tunicam alimentis ignium et inlitam et textam, et quicquid aliud praeter haec commenta saevitia est.*

6) Legimus in codice Mediceo II: „*Pereuntibus addita ludibria ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent aut crucibus affixi aut flammandi atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur.*" Haec verba non recte esse tradita iam complures cognoverunt et emendare sunt conati. Atque in eo potissimum offenderunt, quod verbis: „*aut crucibus affixi aut flammandi*" nulla describuntur ludibria. Ceterorum coniecturas nuperrime collegit et refutavit Franclinus Arnold (Die Neronische Christenverfolgung, Leipzig 1888 p. 7—11). Sed ne ea quidem, quam ipse proposuit scribens: „*aut crucibus affixi sunt flammandi utque ubi defecisset dies q. s.*" satis mihi placet propter structurae miram quandam inconcinnitatem. Inspicienti vero Sulpicii Severi verba (Chron. II. 29): *multi crucibus affixi aut flamma usti*" leniore emendatione videbatur mihi esse scribendum: „*aut FLAMMA, IDQUE ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.*" (De usu vocabuli

argumentum Ionas[1]) nullis allatis causis levius esse iudicat, quam ex quo vulgaris epistularum ordo in suspicionem vocandus sit, Schultess[2]) dicit a Iona et Martensio satis esse refutatum. Martens[3]) vero haec opposuerat: epistulas 1—29 ita cohaerere, ut discerpi non possent, addita catena sententiarum magnificarum. E quibus cum nonnullae scriptae essent Lucilio procuratore Siciliae, omnes illo tempore esse compositas. Putabat vero Lucilium deposuisse procurationis munus anno 62, itaque nullam ex epistulis 1—29 scribi potuisse post annum 62. Apparet, si quis demonstret, Senecam aliis quoque temporibus extra ordinem aurea illa stipe implevisse amicum[4]) aut anno 64 quoque hunc fuisse procuratorem, fore ut tota haec argumentatio corruat. Certe Martens, quod sibi sumpsit, non demonstravit. Postea enim ostendam, non idoneis argumentis procurationis tempus ab eo esse circumscriptum. Itaque multo magis me movit, quod idem affert, vix Senecam talibus opprobriis offensurum fuisse Neronem. Sed ne hoc quidem satis valeret, si quis demonstraret supplicia illa a Nerone demum anno 64 esse inventa. Quod verum esse nego. Nam alibi quoque eisdem fere verbis Seneca non tam unius imperatoris quam omnium aequalium castigat crudeles animos voluptatem captantium e gladiatorum pugnis et ex accusatorum damnatorumque tormentis, ubi ferro et igni res geratur. 7_4: *Mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis obiciuntur. Interfectores interfecturis iubent obici et victorem in aliam detinent caedem: exitus pugnantium mors est. Ferro et igni res geritur.* 24_{14}: *quid mihi gladios et ignes ostendis et turbam carnificum circa te frementem?* 78_{19}: *plus est flamma et eculeus et lamina et vulneribus ipsis intumescentibus quod illa renovaret et altius ureret impressum (ferrum).* Omnes illi loci inter se sunt simillimi, quocirca si unus ille locus 14_5 referendus esset ad Christianorum vexationes, omnes quoque alii ad eas spectarent et iudicandi essent scripti post annum 64. Sed eandem crudelitatem eademque tormenta describit Seneca iam in dialogo V (De ira III 3_6) cui cum nomen praemisisset Novati fratris nondum a Gallione adoptati[5]), compositus est antequam Nero imperium adeptus

„idque" cfr. Tac. A. XIII 45: *rarus in publicum egressus, idque velata parte oris.* Cic. de off. I 1: *Quamquam te, Marci fili, annum iam audientem Cratippum idque Athenis.* epp. ad. fam. X 14_2: *equidem exspectabam iam tuas litteras, idque cum multis.*) Quod si recipimus, duo adhibita sunt supplicia minime nova: Aut canibus proiecti sunt Christiani, aut flamma usti, sed utrique additum est ludibrium, ut illi laniarentur aut ferarum tergis contecti aut crucibus affixi, hi flamma urerentur in usum nocturni luminis. cfr. Zeitschr. f. wissensch. Theol. XXXIII 1890 p. 219 adn. 3. Quod vero l. l. Sulpicius Severus narrat *novas mortes esse excogitatas,* nihil aliud tradit, sed ludibria illa respicit.

1) l. l. p. 36. 2) l. l. p. 36.

3) De L. Annaei Senecae vita et q. s. Altonae 1870 p. 52—3.

4) cfr. ep. $30_{14.\,16}$. 36_3. 44_4. 52_3. 97_{13} al.

5) cfr. acta App. 18_{12}.

est. Denique ferri ignisque tormenta iam Caligula regnante in insontes esse adhibita disertis verbis Seneca tradit NQ IV praef. 17: *Videbam apud Caium tormenta, videbam ignes q. s.* Hic vero locus cum Caii exhibeat nomen referendus est ad legis Iuliae maiestatis abusum, quam postquam viguit Augusto[1]) Tiberio[2]) Caligula[3]) regnantibus scimus a Claudio[4]) esse repressam, revocatam demum a Nerone[5]) anno 62. Quo efficitur, etiamsi ad Neronem Senecae verba pertinerent, tamen non necesse esse ad Christianos ea referri. Illius enim legis, latae anno 46 a. Chr. n.[6]), reis Paulus iuris consultus tradit[7]) antea solitum esse aqua et igni interdici, postea humiliores bestiis esse obiectos vel vivos exustos, honestiores capite punitos. Illud accidisse liberae rei publicae temporibus Cicero[8]) auctor est, Augusto regnante Cassius Dio[9]), imperatoribus ceteris regnantibus, certe sub Tiberio honestiores capite esse damnatos, velut Cremutium Cordum, legimus apud Dionem et Tacitum.[10]) At quo tempore honestiores capite puniebantur, ex lege Iulia humiliores bestiis obiciebantur vel vivi exurebantur, neque ulla dignitas a tormentis excipiebatur. Notissimum autem est, quanta levitate quantaque saevitia imperatores priores illa lege sint abusi. Talia igitur suo iure Seneca videtur iam in illis reprehendisse.

Sed ne ulla remaneat dubitatio: neque Suetonius[11]) neque Tacitus[12]) tradit tanta crudelitate primos vexatos esse Christianos. Non refert hic, nova fuisse supplicia illa per ignem et bestias petita, sed novum fuisse pereuntibus addi ludibria, quod ex ipso *„addendi"* vocabulo satis elucet. Non nunc contendo lege maiestatis punitos esse Christianos[13]), sed easdem poenas iam pridem esse petitas ab illius legis reis. Ergo apparet novo supplicii genere usum esse Neronem non cum iuberet ferro ignique rem geri aut canibus proici Christianos, sed cum iuberet ferarum tergis eos contectos laniari aut in usum nocturni luminis incendi. De talibus ludibriis cogitat Clemens Romanus Domitiano imperatore sanctorum describens martyria[14]) et

---

1) Dio 56, $27_{1.2}$. Tac. A. I 72. 2) Tac. A. I 72.
3) Suet., Cal. 27. Dio 59, 4_3. 22_5. 4) Dio 60, 8_6.
5) Tac. A. XIV 48. Suet. Ner. 32.
6) cfr. Madvig, Die Verfassung und Verwaltung des Römischen Staates, Lipsiae 1882, II p. 275.
7) cfr. lib. V sent. tit. 29: *„His antea in perpetuum aqua et igni interdicebatur; nunc vero humiliores bestiis obiciuntur vel vivi exuruntur, honestiores capite puniuntur . . . nulla dignitas a tormentis excipitur."*
8) Phil. I 23. 9) 56, 27_{12}. 10) Dio 57, 24. Tac. A. IV 34. 35.
11) qui de Christianorum suppliciis nihil dicit nisi (Ner. 16): *afflicti suppliciis Christiani.* 12) cfr. supra p. 614 adn. 6.
13) cfr. Arnold, Die Neronische Christenverfolgung p. 73.
14) ad Cor. I 6. διὰ ζῆλον διωχθεῖϲαι γυναῖκεϲ Δαναΐδεϲ καὶ Δίρκαι αἰκίϲματα δεινὰ καὶ ἀνόϲια παθοῦϲαι ἐπὶ τὸν τῆϲ πίϲτεωϲ βέβαιον δρόμον κατήντηϲαν καὶ ἔλαβον γέραϲ γενναῖον αἱ ἀϲθενεῖϲ τῷ ϲώματι. De tempore vide: Clementis Romani epistulae, ed. A. Hilgenfeld, ed. II. Lipsiae 1876, prol. p. 37—38.

Sulpicius Severus[1]), minime vero Seneca ep. 14_5. Tunicae enim illae „*alimentis ignium et inlitae et textae*" ut urerentur eis induti homines longe diversae sunt a ferarum tergis, quibus Tacitus narrat Christianos contectos canibus esse proiectos ut lacerarentur. Si vero ulla Senecae verba huc videntur esse trahenda, ea sunt, quibus conqueritur, iam per lusum et iocum trucidari homines. Sed ea in extrema tantum epistularum parte leguntur.[2])

Porro Lehmannus in eo offendit, quod epp. 49 et 70, quae ex ipsius computatione scriptae esse debent vere anni 64, Seneca bis narrat Pompeios se venisse, motus terrarum facti Non. Febr. a. 63[3]) nullo verbo ratione habita. Putat igitur has scriptas esse ante Non. Febr. a. 63 neque iusto loco esse positas. Cum hoc Martens[4]) consentit. Sed utrique iam Schultess[5]) recte opposuit, e scriptorum silentio talia colligere semper periculosae aleae esse, praeterea in ea, quae N.Q. libri sexti initium occupat epistula satis multa iam de illo tremore esse dicta. Neque ego video, cur in quaque epistula ubi Pompeios uno verbo attigerit, cladem eius oppidi Seneca denuo narrare debuerit. Accedit quod in NQionibus aperte auget illam cladem. Non enim tota urbs erat collapsa.[6]) Ergo si fortasse Lucilii villa prope Pompeios sita manserat incolumis, multo minus erat necessarium semper de illa clade loqui. Non igitur illis argumentis efficitur neque epp. 49 et 70 scriptas esse ante a. 63 neque ep. 14 post a. 64. Sed ne illud quidem refutatis duobus Lehmanni argumentis adhuc est demonstratum epistularum ordinem esse recte servatum.

---

1) Chron. II 29. cfr. supra p. 614 adn. 6.

2) 90_{45}: *Tantum aberat ut homo hominem non iratus, non timens, tantum spectaturus occideret.* 95_{33}: *homo, sacra res homini, iam per lusum ac iocum occiditur et quem erudiri ad inferenda accipiendaque vulnera nefas erat, is iam nudus inermisque producitur satisque spectaculi ex homine mors est.* cfr. Tac. A. XV 44 i. f. *unde quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica sed in saevitiam unius absumerentur.*

3) N. Q. VI 1_1: *Nonis Februariis hic fuit motus Regulo et Verginio Consulibus.*

4) l. l. p. 52.

5) l. l. p. 32.

6) Tacitus nihil tradit nisi „*oppidum Pompeios magna ex parte proruisse.*" (A. XV 22) et Seneca ipse ep. 91_1, quam statim demonstrabo anno 64 vel 65 esse scriptam, „*terrarum quoque, inquit, vix umquam tam gravis et perniciosus fuit motus, ut tota oppida everteret.*" Neque ubi motus terrarum (§. 9) enumerat sua memoria factos Pompeiorum aut Neapolis facit mentionem. Qui vero tantam vim tribuit testimoniis e scriptoris silentio petitis, is credat necesse est non tantum eas quas dixi epistulas omnes 49. 70. 91 scriptas esse ante illam cladem, quod per ep. 91 fieri nequit, sed etiam eas his adnumeret, quibus Neapolim se venisse narrat Seneca, quippe quae eadem tempestate sit vexata. (N.Q. VI 1_2.) Laudat enim hanc urbem silentio praetermittens motum terrarum 53_1. 57_1 al.

Mirum in modum R. **Peiperus**[1]) Haasii probatis argumentis non dubitat, quin post Senecae mortem epistulae sint editae[2]), etsi idem arbitratur iam anno 58 totum corpus fuisse absolutum. In tempore autem definiendo secutus Fr. Ernestum Ruhkopf[3]) exordium facit ab ep. 91. Ibi Seneca narrata clade Lugdunensi dicit §. 14: „*huic coloniae ab origine sua centesimus annus est, aetas ne homini quidem extrema. A Planco enim deducta et q. s.*" Deductam vero esse coloniam Lugdunensem anno 711 a. u. c. tradit Dio.[4]) Ergo centesimus annus est 811us sive 58us post Christum natum. Quod adeo movit Peiperum, ut cum is quoque temporis ordinem censeat esse incorruptum, totum epistularum corpus putet compositum esse paucis mensibus ab autumno a. 57 usque ad finem a. 58. Unde in varias incidit difficultates. Tacitus enim tradit anno 65 Neronem *principem quadragies sestertio solatum esse cladem Lugdunensem.*[5]) Quae solatia cum solerent imperatores offerre cladibus recentibus, haec credenda est accidisse aut eodem anno aut anno 64. Nam errore Taciti falsum dictum esse annum vix est credibile, cum ex eius verbis ipsis „*quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant urbis casibus*" eluceat Lugdunum incendio esse vastatum post Urbis incendium.[6]) Credamus igitur necesse est aut errasse Senecam in computandis annis aut librariorum vitio excidisse post C numerum VII. Peiperus vero, Senecae verbis nimis fisus, contra Taciti testimonium demonstrare conatur[7]) a. 58 accidisse Lugduni cladem hisce usus argumentis: Primum non esse verisimile Neronem imperatorem alias liberalissimum tam parva pecunia solatum esse Lugdunenses, cum Bononiensem coloniam aeque adflictam centies sestertii largitione iuvandi auctor fuerit a. 53.[8]) Alterum igitur subsidium missum esse a Nerone a. 65; quanta pecunia a. 58 iuverit Lugdunenses nesciri. At cogita Romam ipsam a. 64 fuisse vastatam et magnis impensis restituendam.[9]) Illo tempore vix puto Neronem omnino liberaliorem esse potuisse, quam fuit Lugdunensium tributum iubens remitti.

Deinde: Vix fieri potuisse ut Lugdunenses adeo a Nerone posthabiti pertinaci pro eo fide pugnarent postea, quod tamen factum esse Tacitus prodat.[10]) At minime posthabuit Nero Lugdunenses, si ipse adeo pecunia egens satis liberalem se praestitit.

---

1) Praefationis in Senecae tragoedias nuper editas supplementum. (progr. gymn. Magdal. Wratislaviensis 1870) p. 14—17.

2) p. 15. 3) ed. vol. II praef. p. 8. 4) 46, $50_{4.5}$.

5) A. XVI 13 i. f. *Eodem anno . . . cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus est princeps, ut amissa urbi reponerent, quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant urbis casibus.*

6) Martens (p. 53 adn.) iterum e scriptoris silentio concludit ep. 91 ante Romae incendium esse scriptam. At fortasse certis de causis Seneca noluit recens illud vulnus tangere. Praeterea non id erat Urbis incendium „*ut nihil alteri superesset incendio*" (ep. 91_1).

7) p. 15. 8) Tac. A. XII 58. Suet. Ner. 7.

9) Tac. A. XV 45. 10) H. I 51.

Denique: Ne quis obiciat ex urbe a. 58 tota incendio absumpta vix potuisse iam anno 64 tantam pecuniam Neroni offerri, considerare nos iubet Peiperus, quam opportuno loco condita sit haec colonia mercatura artificiisque florens. At, interrogo, si re vera revaluit Lugdunum, quid opus erat tam sera munificientia cladem VIII annis priorem solari? Publica aedificia Peiperus arbitratur non iam fuisse refecta. Quod etsi in universum credimus satis causae fuisse iterum subsidio veniendi Lugdunensibus, illis temporibus non fuit, quibus Romae non tantum publica sed etiam privata aedificia incendio prorsus hausta reficienda erant.

Carolus Nipperdey[1]) eandem atque Peiperus secutus sententiam Taciti verba putat esse mutilata et sic supplenda, ut scribamus „*Cladem Lugdunensem* ⟨*qua ante octo annos ea urbs exusta erat*⟩ *quadragies q. s.*". At tum etiam res gestas a. 58 narrans de hac clade loqui debuit itaque duae lacunae essent statuendae. Idem accidit eis, qui bis putant coloniam Lugdunensem incendio esse vastatam, annis 58 et 64/5. Quod etsi crederemus, tamen Senecae epistula non pertineret ad priorem cladem sed ad posteriorem, quoniam dicit *ubique tunc quievisse arma totoque orbe terrarum securitatem fuisse diffusam.*[2]) Anno enim 58, quod iam Ionas[3]) recte monuit, et in Armenia acerrime pugnabatur[4]) et in Germania bellum denuo exarserat.[5]) Contra bello Armeniaco confecto anno 63 et Tiridate Armeniae rege ut a Nerone reciperet diadema Romam profecto tanta erat in orbe terrarum pax atque quies, ut imperator Ianum geminum claudi iuberet.[6]) Ex quo efficitur ep. 91 scriptam esse anno 64 exeunte vel a. 65. Atque mihi videtur Seneca certum annorum numerum omnino noluisse constituere, sed eos complecti humanae vitae finibus, cuius extremum terminum alibi quoque nominat annum centesimum.[7])

Quo concesso tota collabitur Peiperi argumentatio, qui ab ea sententia progressus, ep. 91 scriptam esse anno 58, omnes alias circa idem tempus esse compositas conatus est demonstrare, ne cogeretur statuere ordinem esse perturbatum, neglegens ep. 8 non esse scriptam nisi anno 62.[8]) Si vero probaremus cetera illius argumenta, Lehmanni reliquorumque item corruerent computationes. At quae attulit Peiperus, ut ostenderet, quae in his libris leguntur non esse aliena ab illa aetate, aut ea sunt, quae aliis temporibus eodem iure vel multo aptius dici potuerint aut aperte falsa.

---

1) Tac. A. ed. Nipperdey, adn. ad h. l.
2) ep. 91_2. 3) l. l. p. 63. 4) Tac. A. XIII 34—41.
5) Tac. A. XIII 54. 6) Suet. Ner. 14.
7) ep. 74_{27}: *honestam vitam ex centum annorum numero in quantum voles corripe q. s.* dial. X de brev. vit. 3_2: *pervenisse te ad ultimum aetatis humanae videmus, centesimus tibi vel supra premitur annus.* cfr. Tac. dial. 17: *centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas.*
8) Cfr. supra p. 614 adn. 2.

Ep. 47, qua docetur Lucilius cum servis familiariter esse vivendum, admonet Peiperum eorum, quae Romae agitata refert Tacitus A. XIII 26. 27. 32. At capitibus 26 et 27 ille narrat „*actum esse in senatu de fraudibus*" non servorum sed „*libertorum, efflagitatumque ut adversus male meritos revocandae libertatis ius patronis daretur*", c. 32 tradit „*factum esse senatus consultum ultioni iuxta et securitati, ut si quis a suis servis interfectus esset, ii quoque qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent inter servos supplicia penderent*". Uterque igitur locus pertinet ad libertos. Praeterea haec acta sunt non eo, quo Peiperus vult anno 811 (= 58 p. Chr. n.) sed a. 809 (= 56 p. Chr. n.) et a. 810 (= 57 p. Chr. n). Sed nonne humanitatem suadere poterat Seneca quocumque tempore?

Ep. 68, qua ostenditur otium non esse iactandum, Peiperus refert ad Cornelii Sullae causam actam anno 58.[1] Sed eodem iure atque adeo meliore trahitur ad eiusdem caedem a. 62 perpetratam.[2] Quamquam ipse non huius casus sed temporum iniquitatis puto rationem esse habitam.

Porro ep. 73, qua docet Seneca, qui philosophandi causa otio se darent non esse refractarios, non tam in memoriam mihi revocavit opprobria contra Thraseam[3] iactata a. 58, quam quae contra Stoicos semper dici solebant: „*hanc sectam facere turbidos et negotiorum adpetentes.*"[4]

Deinde epistulas Baianas et Neapolitanas, 49—77, Peiperus[5] contendit certe scriptas esse ante Agrippinae necem: Vix enim Senecam privato consilio tale deversorium sibi elegisse, quale Baias esse ipse narraret, Neronem autem fugisse hanc urbem postquam a. 59 matrem ibi occidi iussisset. Aperte autem describi Neronis luxuriam. At multo minus est credibile Nerone vivo eo audaciae simul et imprudentiae progressum esse Senecam, praesertim cum imperatoris gratia valeret, ut eius palam vituperaret mores. Deinde tanta etiam hominum privatorum ibi erat luxuria ut nihil obstet quominus credamus publicos mores, non unius esse intellegendos. Neque etiam si Nero sequentibus annis hanc urbem vitavisset, Senecam conscientia aeque inde deterrebat. Atqui ne vitavit quidem eam imperator. Nam quos Peiperus attulit locos, eis nihil traditur, nisi materna specie et Furiarum verberibus ubique exagitatum esse Neronem et statim post necem aliunde migrasse alio.[6] Contra Tacitus disertis verbis narrat etiam postea eum *crebro in Pisonis villam Baianam ventitasse.*[7] Tum ipse Seneca ep. 51_1 dicit, reliquisse se Baias postero die quam attigisset, cum cognovisset parum aptum esse hunc locum frugalitatem professo, 56_{15} narrat certo consilio se

1) Tac. A. XIII 47. 2) Tac. A. XIV 57. 3) Tac. A. XIII 49.
4) Cfr. supra p. 603 adn. 7. 5) p. 16.
6) Suet. Ner. 34. Stat. silv. II 7, 118. Dio 61, 14_4.
7) Tac. A. XV 52.

iterum hoc sibi elegisse vitiorum deversorium, ut animum exerceret, sed mox migraturum se esse ex illo loco, neque unquam tradit se eo revertisse. Cum vero gratia polleret apud Neronem iam monuit Schultess [1]) etiam maiorem ei fuisse facultatem commodum deversorium sibi eligendi. Adde quod haec omnia pertinent ad Baias, cur fugerit Seneca Neapolim omnino nulla apparet causa, neque demonstravit Peiperus, omnes illas epistulas Baiis aut Neapoli esse scriptas.

Tum Peiperus adnotat, nihil occurrere in philosophi epistulis, quod commotum gravius vel adeo turbatum auctoris animum rebus, quae a. 62 post Burri necem evenerunt, significet. Qua in re is tantum potest offendere, qui omnes epistulas credit esse privatas. Qui vero maiorem numerum putat fictarum et omnes a Seneca ipso editas, malet id tribuere cauto scriptoris animo, quo vitabat, quaecumque principis iram possent incitare.

Quod vero bis Parthi una cum Germanis appellantur [2]), nemo, ut opinor, Peipero concedet ea de causa temporis esse testimonium, quia a. 58 Frisii legati venerunt Romam [3]) eodemque anno bellum gerebatur contra Parthos. Nam per complures annos cum utroque populo pugnatum est a Romanis [4]) et utroque loco tertia additur natio. [5])

Denique si post Suilli accusationem Peiperus contendit Senecae epistulas scriptas esse, etiam huius otio possunt tribui.

Postremo quod negat Senecam Lucilio sempiternam gloriam sponsurum fuisse epistulis ad eum scriptis [6]), si destitutus fuisset omni potentia ac fractus viribus, levius iudico quam quod pluribus refellam.

Videtis nullum locum adhuc esse allatum, quo disertis verbis tempus aliquod scriptor indicaret alienum ab eis annis, quibus e vulgari sententia epistulae adscribuntur, a. 62—64 vel 65.

Fridericus **Ionas** [7]) Peiperi argumentatione reiecta sed etiam Lehmanni computationem aspernatus Lipsium putat rectius indicasse intra biennium (a. 63 et 64) omnia XX volumina esse conscripta [8]), cum Seneca ipse in ep. 38 dicat frequentare se velle illud epistularum commercium cum Lucilio amico. Arbitratur igitur 18_1 significari decembrem anni 63, et 23_1 atque 67_1 scriptas esse vere unius anni 64. Idem ergo contra hunc dicendum est quod contra Lipsium diximus. [9]) Temporis ordinem Ionas quoque sumit esse incorruptum [10]), cum subinde in epistulis posterioribus scriptor respiciat ad antecedentes [11]),

---

1) l. l. p. 28. 2) 36_7. 124_{22}. 3) Tac. A. XIII 54.
4) Tac. Germ. 37.
5) veteres Romani et Scythi. 6) cfr. 21_5.
7) De ordine libr. L. Ann. Senecae philosophi. Berol. 1870 p. 61—71.
8) p. 65. 9) Cfr. supra p. 602. 10) p. 63—64.
11) 10_1 cfr. 9_{18}. 20_{13} cfr. 18_5. 26_1 cfr. 12_1. 33_1 cfr. 1—29. 75_9 cfr. 71_4. 77_5 cfr. 29_1. 87_{11} cfr. 85_1. 93_1 cfr. 76_4. 95_1 cfr. 94_{52}.

etsi idem non neglexit, nonnullas deesse epistulas[1]) et ep. 75 aperte turbari iustum ordinem. Quam vero falso putaret se satis demonstravisse a Seneca epistulas esse editas supra exposui.[2]) Illud quoque magis coniecit quam conclusit epp. 1—29 saltem non ab amicis demum esse publicatas iam propter scriptoris verba 33_1 collata cum 29_{10}. Nam per hoc argumentum etiam eiusdem corporis pars I. esse possunt epp. 1—29 et una cum reliquis editae.

Aliter quaestionem instituit Alfredus **Martens.**[3]) Primum enim computans, quanta intervalla exstitisse putanda essent inter singulas epistulas e Campania in Siciliam missas et remissas, conclusit non biennio vel triennio eas omnes scribi potuisse. Sumit igitur quinquennium. Deinde ut ostenderet ep. 1—69 scriptas esse ante a. 62, hac fere utitur[4]) collectione: „Anno 62 Lucilius Siciliae procurator est (N. Q. IV pr. 1). Ep. 70 scripta est ante Non. Febr. a. 63, nam de motu terrarum Campano nihil iam dicit Seneca. Ep. 69, quae illam antecedit, Lucilium non iam procuratorem esse Siciliae Seneca prodit.[5]) Ergo Lucilius fine a. 62 procurationis munus deposuit. Ex quo efficitur ep. 1—69 ante finem a. 62 scriptas esse.“

At quanta fides esset habenda scriptoris de Campaniae tremore silentio iam vidimus.[6]) Quod si certum esse argumentum negamus, claudicat Martensii ratiocinatio. Adde quod temporis ordinem esse servatum et omnes veras esse epistulas sibi sumit[7]) non demonstrat. Sed ea ipsa de causa, quod ordinem turbatum esse negavit, in alias incidit difficultates. Cognovit enim ep. 7 scriptam esse ante Senecae secessum, ex ipsius computatione anno fere 60. Hanc ex eiusdem sententia statim secuta est ep. 8, in qua legimus (§. 2): *„Secessi, non tantum ab hominibus, sed etiam a rebus et q. s.“* Conatur igitur Martens nobis persuadere, Senecam, talia cum scriberet, non a re publica recessisse, sed magis quam antea se litteris dedisse. Quod certissime falsum est. Ep. 8 non scripta est nisi in otio, in quod se recepit Seneca anno 62.

Quid quod is, cuius tantum intererat demonstrare ordinem non esse corruptum, contrarium ipse confitetur se cognovisse? Ep. 50 enim arbitratur[8]) Senecam significare se esse adulescentem[9]); at aperte non de se loquitur, sed in certos quosdam ordines homines

---

1) cfr. 46_2. 48_1. 102_3. 110_2. 121_{18}.

2) Cfr. supra p. 604.

3) De L. Annaei Senecae vita et q. s. Altonae 1871 p. 49—61.

4) p. 52.

5) 69_2 *interrumpenda non est quies et vitae prioris oblivio.*

6) Cfr. supra p. 617. 7) p. 54. 8) p. 55. 56.

9) 50_3 *nos sine duce erramus et dicimus: non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romae potest vivere, non ego sumptuosus sum, sed urbs ipsa magnas impensas exigit. non est meum vitium, quod iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vitae: adulescentia haec facit. Quid nos decipimus? q. s.* $_7$: *malitia nos iam tenet.* cfr. Schultess l. l. p. 36.

distribuit vario modo se excusantes. Deinde verba (50_2) „*Harpasten uxoris meae fatuam scis hereditarium onus in domo mea remansisse*“ dicit non esse scripta nisi tempore inter primum alterumque Senecae matrimonium medio. Sed poterat Harpaste in ipsius uxoris domum, quae erat Senecae domus, iure hereditatis pervenire ibique remanere.

Externis igitur testimoniis et certis temporum indiciis praeter epp. 8 et 91 prorsus fere videmur esse orbati et ut vidimus nullum ex tam paucis vestigiis temporis ordini aperte repugnare praeter ep. 75 neque ab eo tempore esse alienum, quo plerique statuerunt hos libros scriptos esse, ita nullum tam certum allatum est argumentum, ut omni dubitatione abiecta illorum possimus amplecti sententiam. Una iam restat via, qua fortasse ultra progredi licet, ut sententiarum observemus conexum. Primus hoc fecit Martens[1]), etsi suam ipsius coniecturam eo labefactavit. Qui quod primo statim impetu rectum non videtur invenisse, puto posse condonari, cum via recta, quae sola iam reliqua est, ab eo sit aperta.

Cognovit enim ille in ep. 74, quae est de summo bono, omitti „*boni honestique*“ definitionem, quam cum inveniret in ep. 118_8, statuit ep. 118, a qua 120 propter argumentum non esset segreganda, scriptam esse ante 74 et 76, item artissimo vinculo cohaerentes. Significare igitur Senecam 74_1[2]) illas epistulas in memoriam sibi esse revocatas. Similia non nego evenisse: exemplum improbo. Nam ep. 74 potius mihi videtur incipere tota de bono honestoque disputatio, quam ep. 118. Atque quod saepius evenit primum aliquam rem tractare temptantibus, non erat omnibus numeris absoluta, sed magis continebat rei commendationem quam argumenta, qua de re conquestum esse Lucilium legimus ep. 76_7. In utraque vero Seneca non verbis operam dedit, sed rebus; non definitiones conquisivit, quas initio omnino aspernatus videtur esse[3]), sed ostendere conatus est, quantam vim haberet bonum et honestum ad vitam beatam efficiendam, et unde haec ei vis esset. Qui vero definitiones et similia quaeret, inveniet non tantum in epp. 118 et 120, sed etiam in reliquis eiusdem libri epistulis. Non ideo putandae sunt hae illas antecessisse. Immo, postquam longius est progressus scriptor, cognovit pusillas quoque res ei esse tractandas, qui totam philosophiam moralem vellet complecti et omnes ad eam pertinentes quaestiones explicare.[4]) Miratus vero sum hanc quaestionem tractari a Martensio neglectis epp. 66 et 70, quae sunt de eadem re. Sed de his infra agam. Mallem Martensii argumentationem non tam irrisam a Schultessio[5]) quam correctam. Nam quod hic omnino negat, ep. 74[ae] initio agi de rebus

1) l. l. p. 57 sqq.

2) *Epistula tua delectavit me et marcentem excitavit, memoriam quoque meam, quae iam mihi segnis ac lenta est, evocavit. Quidni tu, mi Lucili, maximum putes instrumentum beatae vitae hanc persuasionem, unum bonum esse, quod honestum est?*

3) ep. 20_5. 4) ep. 106_2. 5) l. l. p. 37.

ad philosophiam pertinentibus, non video quomodo aliter verba illa possit interpretari. Hoc tamen concedo, propter memoriae factam mentionem non statim cogitandum esse de epistulis iam scriptis, quo errore captus Martens arcessivit epp. 118 et 120. Puto significari a Seneca, philosophorum argumenta a se non satis memoria teneri. Atque etiam si verba illa referenda essent ad quaestiones in his libris iam tractatas, eodem iure referrentur ad epp. 66 et 70 quo ad 118 et 120. Sed utrumque fieri non posse infra ostendam. Nullius vero momenti est, quod Schultess affert, in ep. 76 Senecam significare se esse Neapoli, eaque de causa epp. 74 et 76 scriptas esse ex itinere per Campaniam facto a Seneca, cuius ultima vestigia reperiantur in ep. 86; illas vero 118 et 120 sententiarum conexu teneri inter extremas epistulas. Nam si aliis certis de causis epp. 74 et 76 essent posteriori tempori adscribendae, equidem non dubitarem quin Seneca iterum in Campania esset versatus, hoc ipso nisus testimonio. Quis edidisset epistulas Martens non quaesivit.

Fridericus **Schultess** ipse[1]) Lehmanni in primis secutus sententiam tempus eisdem atque ille terminis circumscribit. Omnes iustas esse epistulas sibi sumit et sicut Ionas[2]) contendit certe 1—29 ab ipso scriptore seorsum esse editas. Deinde ut ostenderet temporis ordinem esse servatum, repetitis eis, quae Ionas ea de re dixerat, Lehmanni etiam auget argumenta multis aliis investigatis anni temporum indiciis[3]), quibus nisus iudicat epp. 1—29 scriptas esse hieme anni 62/3, epp. 30—66 anno 63, epp. 67—124 anno 64.

Sed omnes hae computationes nescio an nihil valeant, si quis certis argumentis demonstraverit, aliquoties saltem temporis ordinem esse corruptum. Nam si semel vel bis hoc factum esse certo scimus, quidni saepius putemus idem accidisse, et quid expedit cognoscere, quo anni tempore scripta sit haec vel illa epistula, cum annus reticeatur? Contra suam ipsius igitur sententiam facit etiam Schultess, si docet aliquas epistulas tempus si respicis non suo loco esse positas. Atque eadem via qua Martens, quem iniuste vituperat, progressus, non tantum accuratius inquisivit argumenta epistularum inspiciens, quae non suo loco essent positae, sed transpositionis causas indagare

1) l. l. p. 26—43. 2) cfr. supra p. 622.

3) Haec fere enumerat p. 31 et 32: Ep. 28_1 iter Lucilii memoratur. Per id tempus rariores advenire poterant Senecae epistulae, quod Lucilius conquestus est 38_1. Ex ep. 48_1 alterum notum est Lucilii iter. Seneca ipse per Campaniam iter facit 49_1. Ad hoc optime quadrat quod Lucilii epistula post multos demum menses Senecae est reddita 50_1. Ep. 67_1 ver memoratur, nimirum a. 64. Quae sequuntur indicia aestatem omnia indicant: 83_5. 84_1. 86_{16}. 87_4. Ep. 104_1 scribit in Nomentanum suum se venisse fugientem febrem. Febris vero nunc quoque per menses Augustum usque ad Octobrem insidet illis regionibus. 110_1 in eodem praedio moratur. 122_1 autumnum significat esse. 123_1 in aliud praedium se recepit.

est conatus. Rectissime. Nam hanc unam esse viam rectius aliquid constituendi de temporis ordine servato aut corrupto iam cognovimus et si causam videbimus probabilem, cur Seneca hunc ipsum ordinem maluerit quam alium, si ergo cognoscemus, non casu sed certo consilio Senecae ipsi imputando loci mutationem esse factam, veri simile erit Senecam ipsum edidisse epistulas.

Redintegrat igitur Schultess quaestionem de epp. 49 et 70.[1]) Quas, etsi quo anno scriptae sint, e scriptoris silentio de tremore Campano non potest demonstrari, persuasum habeo, sicut Schultess, non hoc ordine esse scriptas. An credet quisquam, Senecam postquam ep. 49 nuntiavit, Pompeios se venisse eorumque adspectu revocatum esse desiderium amici, iam paucis intermissis epistulis scripturum fuisse: (70_1) *„Post longum intervallum Pompeios tuos vidi. in conspectum adulescentiae meae reductus sum.“?* Quoquo anno haec scripta sunt, temporis ordo est corruptus.

Deinde recte cognovit Schultess epp. 68—70 artissime sententiarum conexu ita cohaerere, ut vetaremur de una seorsum a reliquis sententiam ferre. Atqui 70 scriptam esse putat ante 49. Hoc igitur ordine eas esse compositas: 48. 68. 69. 70. 49. Sed Schultessii quoque argumentatio habet ubi claudicet. Nam epp. 48 et 49 tam arte cohaerent argumentis quam 68—70 neque sunt divellendae. Deinde poterant epp. 68—70 etiam scribi longo intervallo post 48 et 49, sed cum omnes colligerentur certis de causis propius ab illis poni. Quod vero dicit, verisimile esse, cum epistulam 48[2]) scriberet Seneca, consuluisse amicum, num in otium recederet: nam rem magnam agi elucere e Senecae verbis, neque ad philosophiam pertinentem, quia dicat aliud sibi expedire aliud Lucilio; Senecam autem, postquam diu circumspexisset, quid suaderet, ep. 68_1 respondisse: *„Consilio tuo accedo: absconde te in otio“;* argutius est excogitatum quam verius. Otium enim iam pridem commendaverat scriptor ep. 7 et 8 neque diu ei erat circumspiciendum, id utrum suaderet necne.

Simili errore his epistulis eas adnumerat ille, quae iuxta positae argumento quoque cohaerent, sed sic sunt conscriptae, ut in altera respondeatur ad Lucilii epistulam, qua is de quaestione prius acta aliquid monuerat. Nam quoniam sibi sumpsit omnes veras esse epistulas negat fieri potuisse ut tam paucis annis XX libri conficerentur, si semper Seneca exspectavisset Lucilii responsa. Cogebatur igitur, ne cum Martensio quinque annis adscriberet epistulas, quod facere ep. 8 prohibebatur, statuere Senecam inter binas epistulas isto modo

1) p. 39. 40. cfr. supra p. 617.

2) 48_1: *Ad epistulam, quam mihi ex itinere misisti, tam longam quam ipsum iter fuit, postea rescribam. seducere me debeo et quid suadeam circumspicere. nam tu quoque, qui consulis, diu an consuleres, cogitasti: quanto magis hoc mihi faciendum est, cum longiore mora opus sit, ut solvas quaestionem quam ut proponas? utique cum aliud tibi expediat, aliud mihi.*

cohaerentes scripsisse alias, sicut 68—70 inter 48 et 49, easque, ne sententiarum ordo turbaretur, alio loco esse positas et certum apparere editoris consilium a Senecae ingenio non alienum. Cuius generis gemina paria esse 66 et 67, 94 et 95, fortasse etiam 74 et 75. 76. Quod si qualer factum esse credimus, quotiens poterat accidere nobis nescientibus! Tum non tantum 68—70 inter 48 et 49 essent ponendae, sed etiam quaerendum, quaenam locum mutavissent scriptae inter 66 et 67, 94 et 95, reliquas. Iam videte, quantam ordinis perturbationem faciat is, qui ordinem in universum recte esse servatum vult ostendere! Sed multo facilius res illa explicatur, si statuimus aut eas, quas supra memoravi, epistulas esse fictas, aut si hae verae sunt, esse alias permultas quas non iusto litterarum commercio debemus, sed Senecae philosophiae studio. Utrumque enim si credemus, nullam iam difficultatem praebebunt temporum angustiae.

Quid quod Schultess ipse[1]) invenisse sibi videtur series quasdam epistularum, non intervallis sed deinceps eodem tempore scriptarum, quarum altera alterius continuatur quaestio? Hoc in numero ponit 88—90, deinde 114 et 115, tum 82. 83. 85. 87, denique 96—103, postremo 75 et 76. Negat igitur, singularum epistularum commercium fuisse Senecae cum Lucilio, sed complures epistulas vel ad Lucilii interrogationes responsa una missione interdum traditas esse tabellario, ut nihil obstet, quin epistulas iustas esse Lucilioque omnes redditas credamus.[2]) Sic esse factum, ut in ep. 76 priorem appellaret 74^{am}, nimirum cum 75 et 76 una essent missae.[3]) At, obsecro vos, suntne hae iustae epistulae appellandae, praesertim cum Seneca ipse disertis verbis dicat, se ultro quoque quaestiones nonnullas tractasse[4])? Quin adeo Schultess ipse sententiam suam refellit haec addens[5]): „Quidni enim praeter responsa propria etiam ea, quae cotidiana μελετήματα apte Lipsius appellat, amico sapientiae studioso legenda permiserit?“ Talia μελετήματα interdum ampliora sex septemve ad unam pertinentia quaestionem quis tandem potius appellabit epistulas quam librum epistularum forma compositum?

Videtis adhuc sub iudice esse litem nequedum diudicatam. Atque priores praeter Lipsium eo potissimum peccaverunt, quod de omnibus epistulis eandem sententiam ferre conati sunt, quarum diversa est natura, ideoque cogebantur, aut omnes statuere esse iustas epistulas, aut omnes fictas. Sed quoniam nonnullae occurrunt aperte iustae epistulae, plerique contenderunt omnes esse iustas. At nonne sic Seneca potuit rem instituere, ut veras falsasque certo usus consilio misceret?

Item cum tam pauca rerum publice gestarum testimonia viderent ea esse, quibus non prohiberemur credere, temporis ordinem esse ser-

1) p. 42. 2) p. 30. 3) p. 38. 4) ep. 118_1. 5) p. 30.

vatum, statim crediderunt, reliquos omnes iusto temporis ordine esse collectas, indeque singularum tempora enucleare sunt conati, neglegentes, solis anni temporibus memoratis omnino nihil de anno ipso posse constitui et tamen nonnumquam ordinem videri esse corruptum (ep. 70. 75).

Argumentorum vero et sententiarum conexum priores prorsus neglexerunt, Martens et Schultess parum respexerunt.

Denique cum, quis epistulas edidisset, quaererent, in eundem fere, quem modo reprehendi, inciderunt errorem, ut de omnibus coniunctim sententiam ferre conarentur, cum facilius per partes perveniatur ad totum. Nam si complures semper non tantum epistulae sed libri ita cohaerent, ut appareat certus sententiarum progressus singulaque efficiantur corpora per se absoluta, quid est verisimilius, quam ea alterum post alterum a Seneca ipso esse publicata, ut nulla remaneat dubitatio nisi de ultimo volumine?

Videtur igitur mihi nova via esse ingredienda et singulae singulorum voluminum epistulae accurate pertractandae, ut intellegamus, quasnam veras, quas fictas necesse sit putemus, deinde e sententiarum conexu concludendum, quae divelli nequeant, anquirendum, num certum in colligendis ordinandisque scriptor secutus sit consilium, videndum, ubi ad finem perducta sit cuiusque partis disputatio. Utrasque enim, veras et fictas epistulas vix alius ita miscere potuit, ut argumentorum iustus ordo esset conspicuus, nisi Seneca, neque alio consilio, nisi ut ederet, neque verisimile est, unum corpus tam diu esse retentum, postquam confectum est, donec tot alia conficerentur. Tum tandem ex eis, quae invenerimus, temporum indiciis erit statuendum, ante quod tempus in publicum prodire singula corpora non potuerint.

Non ignoro, arduum me adgredi opus et in quo saepius fallamur necesse sit. Sed cum aliorum quam potui accurate percensitis sententiis hanc viam rectam unamque reliquam esse cognovissem, credidi eam esse temptandam et si verum est, quod dicitur, audentem fortuna iuvabit.

Longius fortasse, quam par est, quibusdam videbor extendisse hanc de priorum sententiis disputationem. Sed putavi, nisi pravis opinionibus funditus evulsis in lubrico me esse aedificaturum, eoque nomine spero facile veniam me esse impetraturum a legentibus. Deinde commodius, quae sequentur, explicare potero, non subinde coactus priorum refellere errores.

Significavi in partes totum epistularum corpus esse scindendum. Non primus hoc vidi, sed epp. 1—29 unum effici corpus per se absolutum iam suspicati sunt Ionas, Martens, Schultess propter philosophorum sententias singulis adiectas, etsi magis idonea desideravi argumenta. Deinde Schultess[1]), quamquam non accurate

---

1) l. l. p. 34.

distinxit reliquas, cognovit tamen diversam esse priorum et posteriorum epistularum naturam. In priore enim parte propriam epistularum naturam magis quam in altera esse servatam atque expressam: in posteriore multas ad commentationum formam ambitumque extendi, quarum nonnulla, velut 94 et 95, dialogorum quorundam magnitudinem adaequarent. Idem intellexit iam ex hac specie externa aliquid posse concludi de tempore, cum dixit: „Illam autem partem merito priorem locum tenere constat, quoniam quidem consentaneum est primo id fuisse auctori consilium, ut iustas scriberet epistulas. cfr. 30_{18}. 45_{13}. extr. 58_{37}." Exordium vero illius partis extremae arbitror esse ep. 89, qua scriptor conatur ingens philosophiae corpus in partes dividere.

Sed epistulas quoque 30—88 infra demonstrabo in duas partes esse dividendas, quarum altera continet epp. 30—52, altera 53—88.

Sententiarum conexu potissimum nitar. Itaque ut facilius quid agatur legentes intellegant, singularum cuiusque partis epistularum argumenta sub unum conspectum ponam.

II. Novae sententiae expositio.

De corpore I.

(Libris I—III, epistulis 1—29.)

Iam in tribus libris primis cognoscetis omnia fere secundum sententiarum conexum recte esse ordinata. Haec enim eorum sunt argumenta.

I. 1: Tempori parce. 2: Cave ne distringaris librorum, quos legis, multitudine et varietate. 3: Veram cole amicitiam. 4: Quocumque tempore mortem exspecta. 5: Fuge mores notabiles. 6: Ut te ipsum possis emendare, cognosce vitia tua. 7: Vita turbam. 8: Vita turbam et quaere otium meo ipsius exemplo. 9: Amicitiam cole propter eam ipsam. 10: Sic vive, ut tuto tibi possis credi. 11: Naturalia vitia ne putaveris turpia. 12: Senectus plena est voluptatibus, si illa scias uti. Itaque non tam timenda est, quam amanda.

Omnia haec praecepta eodem tendunt, ut ostendatur, quomodo in universum vita ei sit ordinanda, qui ad sapientiam velit pervenire, sed inter se parum sunt conexa.

II. 13: Noli futura timere. 14: Tamen vita pericula. 15: Primum animi, tum corporis cura valetudinem. Corporis valetudinem serva modicis exercitationibus. 16: Animum philosophia excole et confirma adversus vitae varios casus. 17: Ab illa animi cura ne quid nos abducat, reliqua, quae putantur bona, velut res familiaris, sunt neglegenda. 18: Quam etiam amitti ne durum videatur, voluntariam paupertatem exerce. 19: Maxime vero impedimur occupationibus;

itaque ab omnibus negotiis est recedendum. 20: Omnino animi inconstantia prorsus est abicienda, qua philosophiam laudamus in rebus externis occupati. 21: Non occupationes publicae sed philosophiae et litterarum studium praestat gloriam sempiternam.

Haec argumenta omnia inter se cohaerent. Semper quod sequitur spectat ad antecedentia. Atque id docet Seneca, si vitam bene velimus ordinare, fieri non posse, quin philosophiae nos dedamus. Ab ea quaecumque nos prohibeant, esse abicienda. Hae igitur epistulae maximam partem iam certo consilio hoc ordine, quo leguntur, videntur esse scriptae.

• III. 22: Subduc te occupationibus. Pretia enim illarum parva ac spernenda sunt. 23: Ne gaudeas vanis, quibus delectatur vulgus; nam ad dolorem vergit illud gaudium. Veri boni aviditas tuta est. 24: Desine timere vana, nam quaecumque timentur non sunt tanta mala, quanta putantur. 25: Paucis sis contentus. 26: Ne mortem quidem timeas: nihil enim habet mali. 27: Dummodo moriantur ante mortem vitia. Sola enim virtus perpetuum praestat gaudium. 28: Non peregrinationibus animus componitur. Antequam peregrinemur ille est componendus, quo facto etiam in turba servabit tranquillitatem et virtutem. 29: Marcellini conabor mores emendare; tu vero attolle animum contra formidata.

Totius libri argumentum cum antecedentibus cohaeret. Docemur enim facile ea, quibus prohibemur a philosophiae studio, nos posse abicere, si persuadeamus nobis ea esse vana atque contemnenda.

Quicumque accurate has legerit epistulas, intelleget effici his tribus libris corpus per se absolutum. Neque enim eiusdem modo libri epistulae ad eandem pertinent quaestionem, sed ipsorum librorum argumenta alterum alterum excipiunt. Atque exponitur primo libro: quomodo in universum vita sit bene ordinanda. Secundo: non sine philosophiae auxilio vitam bene posse ordinari. Nam ut corpori exercitatione, ita animo philosophia opus esse ad valetudinem servandam, itaque quae in vita a philosophiae studio abducant, esse abicienda. Tertio: Atque facile ea posse abici, cum sint vana et contemnenda.

Iam his argumentis per se spectatis suspicamur pleraque eodem hoc ordine esse conscripta aut saltem ordinata a Seneca ipso. Praeterea multo pluribus locis, quam enumeraverunt Ionas[1]) et Schultess[2]), disertis verbis spectat ad ea, quae legimus in epistulis sequentibus aut respicit quae antecedunt. 10_1 cfr. 9_{18}. 15_{10} cfr. 14_{17}. 20_{13} cfr. 18_5. 22_1 cfr. 19_1. 24_1 cfr. $13_{10 \cdot 11}$. 24_2 cfr. 13_5. 26_1 cfr. 12_1. $29_{2 \cdot 3}$ cfr. $14_{13 \cdot 14}$.

Atque ut putem hos libros non solum in eum, quem nunc habemus, ordinem a Seneca ipso esse redactos sed etiam seorsum editos,

---

1) cfr. supra p. 621 adn. 11.
2) cfr. supra p. 624.

iam eo commoveor, quod numquam ad reliquas epistulas spectat nisi ubi aliud corpus epistularum videtur significare, velut 16_6: *Sed non est nunc in hanc disputationem transcundum, quid sit iuris nostri, si providentia in imperio est.* et 26_8: *Scis cuius arca utar. Exspecta me pusillum, et de domo fiet numeratio: interim commodabit Epicurus.*

Deinde a reliquis libris primi tres eo sunt distincti, quod singulis adiectae sunt magnorum virorum voces praeclarae. Atque hae ipsae certo quodam vinculo cohaerent. Postquam enim 2_5 indicavit scriptor solere se cotidie unum aliquid excerpere, paulatim fingit morem quendam atque legem sibi exstitisse, ut cuique epistulae diei cuiusque lucellum adiungeret, ad quem morem passim diserte respicit. Luce clarius est, haec omnia artissime inter se esse coniuncta. Nunc illud quoque adicio ep. 29 propter §. 10[1]) totius corporis videri clausulam. Quibus addere possumus Senecae ipsius testimonium 33_1[2]), ex quo elucet eum ipsum voluisse hos tres libros tamquam unum corpus haberi.

Tamen sententiarum ordine in universum accuratissime servato accidit, ut facilius cognoscamus, quae ei repugnent aut turbent temporis ordinem. Ea nunc enumerare in animo est.

Legite quaeso ep. 8. Et hac et ea, quae antecedit, iubet scriptor turbam vitari. Idem argumentum bis tractatur. Aliquid tamen interest. In 7 ipse videtur adhuc turbae periculis esse obnoxius.[3]) In 8 suum ipsius proponit exemplum.[4]) Quid? nonne inde elucet, quid causae fuerit, cur scriberet epistulam octavam? Nimirum intellexit adhortationi illi turbae vitandae maiorem fore vim ipsius proposito exemplo. Quod cum in 7 non proposuerit, videtur tunc nondum prorsus recessisse a re publica, etsi ut recederet animum fortasse iam induxit.[5]) Itaque 8 ut scriptam esse credam statim post antecedentem nulla re possum commoveri. Necesse est aliquod spatium inter utrumque intercedere. Accedit, quod 8_7 „*adhuc,* inquit, *Epicurum compilamus,*“[6]) et paulo post §. 8: „*Potest fieri, ut me interroges, quare ab Epicuro tam multa bene dicta referam potius quam nostrorum.*“ Laudaverat autem antea Epicurum bis[7]), semel nomine omisso[8]), Pomponium semel[9]), Hecatonem Stoicum bis[10]), Democritum semel[11]), anonymum semel.[12]) Itaque absolutis demum voluminibus sic potuit loqui: in epistulis enim 11—29 semper laudat Epicurum; non eo loco, quo nunc has legimus litteras. Quid, quod 8_2 „*posterorum,* inquit, *negotium ago. illis aliqua, quae possint prodesse conscribo. salutares admoni-*

1) *Si pudorem haberes, ultimam mihi pensionem remisisses.*
2) cfr. supra p. 602 adn. 3.
3) 7_1 *confitebor imbecillitatem meam q. s.*
4) $8_{1.2}$. cfr. supra p. 614 adn. 2.
5) 7_1 *quod aegris evenit ... hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur.*
6) cfr. O. Rossbach, de Senecae philosophi librorum recensione et emendatione. 1888 (Bresl. philol. Abhdlgg. II 3) p. 50. 54.
7) 2_5. 7_{11}. 8) 4_{10} cfr. 27_9. 9) 3_6. 10) 5_7. 6_7.
11) 7_{11}. 12) 7_{11}.

tiones ... litteris mando. 3. *rectum iter ... aliis monstro ...* 6. *si haec mecum, si haec cum posteris loquor q. s.*". Quis est qui dubitet quin Seneca haec non scripserit nisi editurus? Puto igitur scriptam esse ep. 8 cum ederet Seneca primum epistularum volumen postquam in otium se recepit.

Iam inspiciatis ep. 12. Senectutis laus ad cetera eiusdem libri argumenta non pertinet. Lepidissime tamen est conscripta. Itaque arbitror hanc esse veram, nulla alia de causa, nisi ne interiret, ceteris edendis insertam. Illa vero Epicuri sententia nescio an tum demum sit adiecta, ut ad ceteras accomodaretur. Nam Heracliti allata voce 12_7 diem Seneca iam expunxerat. Tamen non inepte hanc senectutis suae descriptionem quasi clausulam libro primo addidit, qui est de vita ordinanda.

Similis est ratio epistulae 21, quae in sapientiae laude occupata etsi nihil fere continet ad quaestionem propositam pertinens, apte tamen claudit librum II, quo philosophiae ostenditur utilitas. Minime autem est iusta epistula, sed composita ut ederetur. Nam quae §. 5 dicit: „*quod Epicurus amico suo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili,*" spectans ad Epicuri verba: „*Si gloria tangeris, notiorem epistulae meae te facient quam omnia ista, quae colis et propter quae coleris,*" haec nisi publicaturus Seneca non scripsit. Atque quoniam his verbis totum respicit epistularum corpus collectum ad editionem destinatum, scriptam eam esse opinor cum ederetur hoc volumen. Certe haec et ep. 22 non deinceps sunt scriptae. Nam in utraque laudantur Epicuri litterae datae ad Idomeneum, atque in epistula 21 copiosius de eis agitur. Estne igitur verisimile 22_5, si statim post illam esset scripta, Senecam dicturum fuisse: „*Epicuri epistulam ad hanc rem pertinentem legi, Idomeneo quae inscribitur q. s.*"? Nonne potius dixisset: „*quam scis me legisse*"; vel: „*quam supra laudavi*", vel simile quid?[1]) Scripta igitur est non tantum altera aliquo spatio post alteram, sed etiam 21 post 22, scilicet cum reliquae collectae ederentur.

Singularis est ep. 25, in qua nihil aliud spectat ad totius libri argumentum nisi una sententia §. 4, qua docet Seneca, naturam perpauca desiderare, panem atque aquam, reliqua esse supervacanea. Praeterea sententiarum ordo ea turbatur. Epistula enim 24 hortatur scriptor, ne timeamus vana, ep. 26 ut ne mortem quidem timeamus. Frugalitatis commendatio non quadrat in hunc sententiarum conexum. Videtur autem vera esse epistula. Agitur enim ea de duobus Senecae amicis vario modo a vitiis ad virtutem ducendis. Quorum nomina cum non legamus, puto ne offenderentur illi esse eiecta.[2]) Arbitror itaque hanc, sicut 12 nulla alia de causa esse receptam, nisi ut ab interitu servaretur. Ad ceteras quoad fieri potuit est accomodata additis Epicuri duabus sententiis. Nam mori suo iam antea satis-

---

1) cfr. 10_1. 15_{10}. 2) cfr. supra p. 602—5.

fecerat Seneca laudata Epicuri voce, quae in ipsum epistulae contextum recepta est.

Denique ep. 29 quoque (de Marcellino adhortando) speciem praefert verae epistulae, neque argumento cum praecedentibus cohaeret. Una §. 9 cum reliquis quodammodo est coniuncta, qua omnium praeceptorum summam Seneca inclusit. Fortasse propter hunc locum omnino est recepta. Sed quin a scriptore ipso in fine sit posita, nemo dubitabit, cum legamus §. 10: *„Ultimam pensionem.“* Mirum hoc videtur in epistula mere privata, nisi hanc quoque Epicuri sententiam putamus postea demum esse adiectam, cum ederetur.

Iam, quaeso, quae adhuc disputavimus animo complectamini: Omnia in universum iusto sententiarum conexu procedunt, etsi verae epistulae sunt mixtae cum fictis. Aperte compluribus locis cognoscimus hunc ordinem a Seneca esse constitutum. Quae temporis ordini videntur repugnare, certis de causis a scriptore ipso sunt interiecta. Epistulam 29 appellat ultimam. Ipse consilium ceperat has epistulas edendi.[1] Quis igitur credet scriptorem hos libros editioni paratos in scriniis suis abscondisse, donec tot alios conscriberet? Praeterea quam numerationem 26_8 promittit mox de domo se esse facturum, postea non facit neque vero publice promisisset, si scivisset se solvendo non esse, quod cognovisse se prodit 33_1. Edidit igitur ep. 26 antequam omnino scriberet ep. 33. Ergo epp. 1—29 omnes a Seneca ipso sunt non tantum conscriptae, sicut nunc legimus, atque hoc ordine collectae, sed etiam editae.

Nunc altera restat quaestio, quo tempore Seneca eas scripserit et publicaverit. Quod ut cognoscamus, necesse est in memoriam revocemus, quae antea disputavimus de singulis epistulis. Tum apparebit, non omnes epistulas uno tenore esse scriptas neque in omnibus eodem consilio usum esse scriptorem. Nonnullae enim non sunt verae epistulae, sed compositae ut ederentur, aliae tum demum, cum ederentur reliquae[2]), aliae verarum speciem praeferunt.[3]) In colligendis non tam temporis, quo scriptae sunt[4]), quam sententiarum ratio est habita. Si tamen temporis ordo cum sententiarum ordine congruit in plerisque, praesertim II et III libri, iam cum conscriberet eas Seneca videtur eo usus esse consilio, ut hoc ordine eas publicaret.

Atque si accuratius inspicietis singulos libros, magis apparebit, quod significavi, rationem quandam intercedere inter epp. 1—12 et 13—29. Nam primo libro continentur epistulae, quas cum argumentis quodammodo essent similes, scriptor in unum volumen collegit. Harum nescio an maiorem partem iusto debeamus litterarum commercio. Desideratur enim sententiarum certus progressus[5]), bis omissa sunt amicorum nomina[6]), semel tantum ad priora spectat

---

1) ep. $8_{2\cdot 6}$. 21_5. 2) epp. 8. 21. 3) epp. 25. 29.
4) cfr. 7 et 8, 21 et 22 al.
5) cfr. supra p. 628. 6) 3_1. 11_1.

scriptor[1]), ep. 8, qua turbatur conexus, est epistula ficta. Neque vero credendus est Seneca has tantum misisse ad Lucilium. Ea enim, quod notissimum est, erant tempora, quibus ut iustas querelas amicissimo suo scriberet, sescentas haberet causas. Tamen nihil in eis occurrit, quo Nero potuerit offendi. Deinde omnia fere, quae legimus in eis, pertinent ad philosophiam atque in primis ad mores emendandos. Sed quis est, qui credat, etiam cum publice colloquerentur, de nulla re verba fecisse Senecam et Lucilium, nisi de philosphia? Sequitur ut statuamus ex maiore epistularum numero has potissimum a Seneca esse electas, quibus amicum ad philosophiae studium conatus erat impellere, cum putaret illa praecepta aliis quoque fore utilia. Occurrunt vero etiam quae sint publicatae, etsi non sunt de philosophia, ut servarentur. Atque quoniam argumenta potissimum respexit Seneca in colligendis epistulis, suspicari licet alias quoque eodem tempore, quo priores sunt scriptae, esse compositas, quarum argumenta quamvis ad philosophiam spectarent, tamen cum ab eis, quae insunt in primo libro, viderentur aliena, in II demum et III librum vel in eos, qui sequuntur, recipi potuerunt, cuius generis re vera complures arbitror me invenisse.[2]) Cognoscitis Senecam hanc instituisse epistularum collectionem ea usus ratione, quam ab illis temporibus non fuisse alienam intellegimus ex C. Plinii Secundi verbis toti illius epistularum corpori praemissis.[3]) Censeo igitur Senecam ex eis quas antea scripserat epistulis has elegisse, ut ederentur, alias retinuisse, ut sequentibus infulciret libris, addidisse vero etiam tum cum ederet quasdam adhortationes, antea omissas, litterarum forma compositas, ne quae desiderarentur.

Longe alia est ratio epistularum 13—29. Hae enim non tantum argumentis sunt cognatae, sed etiam certo sententiarum conexu altera alteram excipiunt.[4]) Sunt igitur non tam certo consilio electae quam conscriptae, ideoque vix omnes iustae epistulae habendae. Tamen in his quoque occurrunt, quas coniecimus esse veras epistulas.[5]) Quarum quantum habeamus numerum, accurate non iam possumus enucleare. Nam si ex antea scriptis Seneca quasdam ad ceteras accommodatas inseruit, quomodo has ab illis internoscemus? Sed videntur his adnumerandae esse eae, quibus, cum iam antea additae essent sententiae praeclarae aliorum virorum, adiectas legimus etiam Epicuri voces.[6])

Deinde illud quoque velim consideretis, in primo libro variorum

1) 10_1.

2) ep. 14. 18. 19. 24. 30. 32. 34. 35. 36. 37. 42. 50. 111 de quibus statim disputabo et p. 639. 668.

3) Plin. ep. I 1: *Collegi non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam), sed ut quaeque in manus venerat. Superest ut nec te consilii nec me paeniteat obsequii. Ita enim fiet ut eas quae adhuc neglectae iacent requiram, et si quas addidero, non supprimam.*

4) cfr. supra p. 628/29. 5) epp. 25. 29. 6) ep. 18. 19. 24.

philosophorum afferri voces in epistularum clausulis, easque saepe cum ipso litterarum argumento sententiarum conexu et disertis verbis ita coniunctas, ut ab illis vix possint segregari[1]), quin adeo 3_4 laudari Pomponii versus moris illius nulla facta mentione, contra in duobus, qui sequuntur, libris Epicuri sententiarum exhiberi catenam perpetuam ad ipsa argumenta vix pertinentium. Atqui demonstravit Hermannus Usener[2]) Senecam usum esse gnomologio ex Epicuri Epicureorumque scriptis excerpto. In prioribus igitur epistulis, scilicet veris, e variis hausit philosophorum scriptis quascumque invenit voces praeclaras ex more suo praeceptis addens magnorum virorum testimonia. Postea cum plures conscriberet, id iam agens ut posset eas edere, tempus deerat cuique eligendi portorii. Itaque ex illo gnomologio, quae melius videbantur dicta esse, suis epistulis inseruit atque adeo ut omnes essent ad unam eandemque normam conformatae, eis quoque adiecit II et III libri epistulis, quae, antea compositae, iam erant alius voce instructae.[3]) Huius consilii primum testimonium nescio an sit 14_{17}, ubi verba: *„Ut scias quam benigni simus, propositum est aliena laudare“* non sunt eius, qui iam saepius indicaverat, solere se in aliena castra transire.[4]) Sequitur hanc quoque e iustis antea scriptis posteriore loco receptam esse inter fictas et ad editionem paratam adiecta Epicuri voce et verbis quibusdam in §. 8 de quibus supra[5]) disputavimus.

Iam intellegitis omnibus temporum vestigiis cautissime esse utendum, neque quidquam certius inde temere concludendum de editionis tempore. Itaque de hac prima parte hoc tantum pro certo potest affirmari, editam eam esse postquam in otium se recepit Seneca.[6]) Verisimile autem est primo otii tempore, iam anno 62 id esse factum. Nam in 8 epistula, ante ipsam editionem adiecta, recens legimus eum recessisse, cum recedendi consilium iam teneret 7_1. 14_8. 19_1.[7]) Accuratius tempus definiri posset, si sciremus, quo mense Seneca publicis occupationibus se subduxisset, sed nihil certius de otii initio traditur. Hoc vero constat, id non cadere in anni 62 menses extremos, sed primos. Nam ut Tacitus tradit, quem unum fere ducem sequi possumus in computandis mensibus[8]), illo anno primum actae sunt

---

1) cfr. 2_5. $7_{9.10}$. 9_{20}. $10_{4.5}$.
2) Epicurea, Lipsiae 1887 praef. p. LV—LVII.
3) 18. 19. 24. cfr. quae supra disserui p. 633.
4) 2_5. 8_7. 12_{11}. 13_{17}. 5) cfr. p. 606. 6) $8_{1.2}$.
7) cfr. supra p. 606—7 et 630. Ep. 14_8 ait: *„Idem facit sapiens: nocituram potentiam vitat, hoc primum cavens, ne vitare videatur.“* Haec non videntur scripta esse post Senecae recessum. Tunc enim aperte vitabat nocituram potentiam. Huic vero epistulae cum clausulam adderet Seneca iam id egit, ut Epicuri laudandi initio facto (cfr. supra) ad editionem eam pararet. Sequitur ut fortasse iam ante recessum cogitaverit scriptor de colligendis edendisque epistulis. Sed haec pro certis venditare non audeo.
8) Cum alias Tacito maior fides videtur esse habenda quam Dioni,

Antistii Sosiani et Fabricii Veientonis causae[1]), deinde Burrus mortuus est[2]), quo casu Senecae adeo fracta est potentia[3]) ut in otium se reciperet. Sed multae aliae res post illius secessum[4]) eodem anno sunt gestae. Rubellii Plauti caedes in Asia, Fausti Cornelii Sullae in Gallia est perpetrata[5]), quo facto a senatu supplicationes sunt decretae, deinde[6]) Octavia est exturbata, XII post diebus Poppaea a Nerone in matrimonium ducta[7]), falso revocatae Octaviae nuntio multitudo est incitata ut impetum faceret in Poppaeae effigies ipsumque palatium, qua re perterritus imperator Octaviam interfecit.[8]) Suetonius vero tradit[9]) eodem die id accidisse, quo postea Nero ipse est mortuus. Is dies erat a. d. V. Id. Iun.[10]) Recessit igitur Seneca vix post m. Aprilem eodemque fere tempore edidit libros I—III ep. 1—29.

Quo tempore singulas scripserit epistulas nescimus. Nam si vera sunt, quae supra exposui, nihil lucramur ex anni temporibus bis memoratis.[11]) Certe non pertinent ad hiemem 62/3. Magnam tamen partem, si editae sunt primo otii tempore, necesse est scriptam esse multo ante recessum. Praesertim in primo libro offendit me, quod saepius non aliter Seneca alloquitur Lucilium, ac paedagogus pupillum, non ut amicus philosophiae deditus procuratorem Siciliae.[12]) Quod, quia Lucilius non multo iunior erat quam ipse[13]), facere non potuit nisi cum uterque non erat aetate provectior. Tum enim aetatis differentiae videntur maiores. Contra in ep. 8, quam coniecimus postea

---

tum de his temporibus excerpta tantum habemus e Dionis historia sumpta (cfr. Hermann Schiller, Geschichte des römischen Kaiserreichs unter der Regierung des Nero, Berlin 1872. p. 40 et eiusdem: Geschichte der römischen Kaiserzeit, Gotha 1883. I p. 4. 139/40). Suetonius vero temporis ordinem omnino non curat.

1) Tac. A. XIV 48—50. 2) A. XIV 51.

3) 52_1: *Mors Burri infregit Senecae potentiam.* c. 52—56.

4) A. XIV 57. *Perculso Seneca.*

5) A. XIV 57—59.

6) A. XIV 60. *Igitur accepto patrum consulto.*

7) Suet. Ner. 35. 8) Tac. A. XIV 61—64. 9) Suet. Ner. 57.

10) cfr. Schiller, röm. K. Z. p. 286 adn.

11) ep. 18_1. 23_1. cfr. supra p. 614 et 624.

12) 2_1: *Ex his quae mihi scribis, et ex his quae audio, bonam spem de te concipio. Non discurris q. s.* 3_1: *Itaque sic priore illo verbo quasi publico usus es et sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus, quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus. Hac abierit!* $_3$: *Tu quidem ita vive, ut nihil tibi committas, nisi quod committere etiam inimico tuo possis.* 4_2: *Tenes utique memoria, quantum senseris gaudium, cum praetexta posita sumpsisti virilem togam et in forum deductus es: maius exspecta, cum puerilem animum deposueris, et te in viros philosophia transcripserit. adhuc enim non pueritia, sed quod est gravius, puerilitas remanet q. s.* 5_1: *Quod pertinaciter, studes et omnibus omissis hoc unum agis, ut te meliorem cotidie facias, et probo et gaudeo, nec tantum hortor, ut perseveres, sed etiam rogo.* 10_1: *Et vide, quod iudicium meum habeas: audeo te tibi credere. al.*

13) 35_2.

esse scriptam, iam Lucilii laudantur carmina.[1] Longe aliter amicum alloquitur in reliquis duobus libris.[2] Apertius fiet, quomodo priores a posterioribus differant epistulae, si comparaveritis 5_1[3] cum 18_3.[4] Quod illic suaserat, hic putat Lucilium ipsum censere. Item conferte 1_2[5] cum 24_{21}.[6] Quod illo loco docet Seneca, hoc testatur Lucilium ipsum carminibus celebrasse. Duae epistulae, 14 et 19 scriptae sunt Lucilio iam Siciliae procuratore[7], sed quo anno hoc munus ille susceperit memoriae non est traditum.

Minoris momenti est quod bis[8] senem se vocat Seneca.

Denique ut paucis sententiam meam complectar, sic mihi videtur natum esse hoc corpus epistularum 1—29: Iam ante recessum suum litterarum commercio Seneca usus erat cum Lucilio. Postquam rem publicam propter temporum iniquitatem minus curare coepit, constituit ex illis epistulis eas, quas dignas et aptas habebat, quae a pluribus legerentur, certo quodam consilio collectas edere (epp. 1—12). In nonnullis, quas postea scripsit, fortasse iam, cum scriberet, eo spectavit, ut publici iuris fieri possent, sententiarum conexus ratione magis habita (13—29), aut composuit omnino non ad Lucilium permittendas.[9] Cum ederet eas, non tam tempus, quo erant scriptae, quam sententiarum ordinem respexit. Nonnullas tamen recepit, etsi argumentis erant alienae, quia accuratius erant scriptae (12. 25). Alias tum demum composuit, cum edebat et ut ederet, minime iustas epistulas (8. 21). Omnes in unam formam redegit addita illa prae-

---

1) 8_{10}: *Hunc versum a te dici non paulo melius, sed adstrictius memini . . . illud etiamnunc melius dictum a te non praeteribo.*

2) 13_1: *Multum tibi esse animi scio. nam etiam antequam instrueres te praeceptis salutaribus et dura vincentibus, satis adversus fortunam placebas tibi, et multo magis, postquam cum illa manum conseruisti viresque expertus es tuas . . .* $_3$ *. . . saepe iam fortuna supra te fuit, nec tamen tradidisti te, sed subsiluisti et acrior constitisti.* 19_3: *In medium te protulit ingenii vigor, scriptorum elegantia, clarae et nobiles amicitiae.* 20_1: *Si vales et te dignum putas, qui aliquando fias tuus, gaudeo. mea enim gloria erit, si te istinc, ubi sine spe exeundi fluctuaris, extraxero.* 29_9: *Tu interim, qui potes, qui intellegis, unde quo evaseris et ex eo suspicaris, quousque sis evasurus q. s.*

3) *illud autem te admoneo, ne eorem more, qui non proficere sed conspici cupiunt, facias aliqua, quae in habitu tuo aut genere vitae notabilia sint q. s.*

4) *Si te bene novi, arbitri partibus functus nec per omnia nos similes esse pileatae turbae voluisses nec per omnia dissimiles.*

5) *In hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus: magna pars eius iam praeteriit. quicquid aetatis retro est, mors tenet.*

6) *Haec cum descripsisses quo soles ore, semper quidem magnus, numquam tamen acrior quam ubi veritati commodas verba, dixisti: Mors non una venit, sed quae rapit, ultima mors est. Malo te legas quam epistulam meam.*

7) 14_8: *cum peteres Siciliam.* 19_5: *tulit te longe a conspectu vitae salubris rapida felicitas, provincia et procuratio, et quicquid ab istis promittitur q. s.* 8) 12_1. 26_1.

9) Nam etiam exceptis eis, quas supra enumeravi (p. 631. 633 adn. 6. 634) 14. 18. 19. 24. 25. 29 non audeo omnes contendere esse prorsus fictas.

clararum vocum catena inprimis Epicurearum. Putandus vero est retinuisse quasdam e veris, ut sequentibus libris insereret. Edidisse videtur epp. 1—29 anno 62 ineunte.

Atque in hoc primum corpus trium librorum eas potissimum collegit, quibus Lucilium cohortatus erat ad philosophiae studium. Si igitur quaerimus, quo nomine has aptissime complectamur epistulas, videtur eis esse incribendum: „adhortatio ad philosophiam".[1])

De corpore II.

(Libris IV. V. epistulis 30—52.)

Iam inspiciatis IV et V libri argumenta.

IV. 30: Philosophia sola praestat hilaritatem etiam in conspectu mortis. Hoc verum esse cognoscimus Aufidii Bassi proposito exemplo. 31: Fuge laborem supervacaneum et id ante omnia age, ut animus excolatur scientia rerum. 32: Illud potissimum est agendum, ut vita nostra consummetur ante mortem. 33: Stoicorum praecepta excerptis tradi non possunt; sunt enim omnia apud illos aeque praeclara. Praeterea turpe est viro ex alienis flosculis pendere. Ipsos libros adeat et aliena cogitando sua faciat, ut ipse possit aliquid invenire nova via munita. 34: Gaudeo, quod tam vehementer properas ad bonitatem, quae eo cognoscitur, quod facta dictaque inter se congruunt. 35: Ut ostendas, te non solum amare me, sed esse amicum, fac ut semper tibi constes sine ulla voluntatis mutatione. 36: Ad veram tranquillitatem venimus mortis contemptione, quam posse contemni philosophia discimus. 37: Si vis necessitatem vincere et omnia tibi subicere, te subice rationi. 38: Plus proficitur in philosophiae praeceptis tradendis sermone cotidiano quam disputationibus praeparatis, dummodo idonea mens ea rapiat et in se trahat. 39: Immoderatam felicitatem magnus animus contemnit: mavult mediocria. Nimia enim

1) Aliquid addam quod, etsi certum non est, habet tamen aliquam veri similitudinem. Revertamini ad ep. 6, qua scriptor exponit se non emendari tantum, sed transfigurari. Cupere se cum Lucilio communicare tam subitam mutationem suam et omnia in illum transfundere, quae in se efficacia sit expertus, et in hoc gaudere se aliquid discere, ut doceat. „*Nullius*, inquit, *boni sine socio iucunda possessio est. Mittam itaque ipsos tibi libros . . . plus tamen tibi et viva vox et convictus quam oratio proderit.*" Quosnam libros h. l. creditis dici? Certe ipsius sunt, atque adeo, ni fallor, hi ipsi epistularum libri. In his enim agit de morum emendatione. In his, quae ipse didicit, docet. In his omnia conatur transfundere in amicum, quae in se efficacia erat expertus ad animum componendum et transfigurandum. Qua de causa mihi quidem videtur hanc epistulam servasse tamquam testimonium illius consilii, quod ceperat, epistularum libros colligendi et novis epistulis supplendi. Illud quoque elucet, cur non tantum epistularum speciem externam servaverit, sed etiam in eis, quae adiecit, eadem usus sit forma. Dicit enim 6_5: „*Plus tamen tibi et viva vox et convictus quam oratio proderit. in rem praesentem venias oportet.*" Hanc cotidianae consuetudinis imaginem magis potuit servare in epistulis quam in dialogis aut commentationibus.

sunt supervacanea. 40: Philosophum decet esse tardiloquum. 41: Animus perfectus suo bono nitens, quae est bona ratio, testimonium est dei in homine hospitantis.

Huius libri epistulae quo vinculo contineantur, primo obtutu non satis apparet. Sunt enim hae quoque parum inter se conexae. Sed si accuratius inspexeris, cognosces eis omnibus exponi, quomodo philosophiae studium sit instituendum (31. 33. 37. 38. 40) aut animum perfectum laudari eiusque vim et naturam ostendi, ad quem perveniemus illo studio (30. 32. 34. 35. 36. 39. 41). In V libri epistulis idem fere consilium sequitur Seneca, sed paucis exceptis omnia certo sententiarum conexu procedunt et magis pertinent ad philosophiae studium recte instituendum.

V. 42: Bona mens cupit necessaria, contemnit operosa et supervacanea. 43: Bona conscientia efficitur, ut etiam in publico securi possimus vivere. 44: Illa bona mens, quoniam omnibus hominibus patet, sola reddit nobilem, non avi clari. 45: Prohibemur vero ad veram scientiam pervenire, si nimis operam damus verborum cavillationibus. Illae igitur sunt procul habendae, cum in supervacaneis tempus absumant ad meliora necessarium. 46: Summis laudibus cumulatur Lucilii liber. 47: Quoniam homines non avorum claritate sunt aestimandi, prudentiae et eruditionis est etiam cum servis vivere familiariter. 48: Verborum cavillationes non tantum sunt supervacaneae, sed etiam nocent. Comminuitur enim et debilitatur generosa indoles in istas argutias coniecta. 49: Prospicienda tamen est dialecticorum ars et a limine salutanda, ne verba nobis dari possint. 50: Sed multo magis id est agendum ut vitiis nostris perspectis revertamur ad naturam. Quod facile fiet, ubi animum nostrum formare coeperimus. 51: Regiones quaedam sapientibus sunt declinandae tamquam alienae bonis moribus. 52: Ut perveniamus ad veram sapientiam, quae est animi constantia, duce nobis opus est, quem eligamus oportet ex eis, qui vitam docent, non ex eis, qui vanos captant clamores.

Duo hi libri coniuncti seorsum in publicum sunt emissi, nam tres primos ab eis esse segregandos iam vidimus. Accedit quod et a prioribus et a sequentibus satis sunt diversi atque distincti.

Primum enim non adiecta est illa catena sententiarum praeclararum. Sunt quidem quatuor epistulis additae aut praemissae aliorum voces[1]), sed eae, quibus totius disputationis summa contineatur.

Deinde prioribus illis quaerebatur, quomodo vita ei esset ordinanda, qui ad philosophiae studium vellet accedere. His demonstratur, quomodo ipsius philosophiae studium sit instituendum, et quem fructum inde capiamus, si pervenerimus ad animum perfectum.

---

1) Epicuri $30_{14.\ 16}$ prolata ab Aufidio Basso, Aristonis 36_3, Platonis 44_4, Epicuri 52_3.

Denique epistularum speciem adhuc diligenter servat Seneca et passim respicit ad Lucilii epistulas, quae ad se sint perlatae.[1]) Tamen non omnes sunt verae epistulae. Certe interdum de maiore quadam agens quaestione iam angustias has sibi sentit esse molestas.[2]) Ita factum est, ut eadem quaestio per complures epistulas continuetur, sicut per 44 et 47, quibus docet Seneca veram nobilitatem constare virtute, non claris avis neque corporis libertate, et per epp. 45. 48. 49, quibus ostendit, animum perfectum esse excelsiorem, quam qui ad dialecticorum sophismata descendat audienda et solvenda. Has si deinceps legeris, praeteritis tamen 45_{13} a verbis: *„sed ne epistulae modum excedam q. s.“* usque ad finem, item 48_{1-5}, 49_1 usque ad §. 5 verba: *„in supervacua maiorem partem erogare“*, nihil desiderabis. Tales minime sunt verae epistulae, sed commentationes in capita divisae interiectis, quae epistularum restituerent speciem.

Sed horum librorum quoque inter utrumque aliquid interest. IV enim libri epistulas iam vidistis magis eo cohaerere, quod idem in omnibus consilium sequitur scriptor, cum V^i argumenta certiore sententiarum conexu procedant. Itaque eadem fere secundi corporis est ratio atque primi. Utriusque enim prioris partis epistulae certo consilio sunt collectae, alterius conscriptae.

Iam per se verisimile est, omnia genera epistularum, quae in primo corpore invenimus, occurrere etiam in altero. In priore igitur libro insunt nonnullae epistulae, quas persuasum habeo multo antea iam esse scriptas. Iam 30 magis pertinet ad primi corporis quaestiones, neque novi quidquam in illa additur eis, quae in 26 erant disputata de morte contemnenda. Itaque arbitror eam, cum priores colligerentur, reiectam postea, ne Aufidii Bassi laus interiret, fortasse post illius mortem, in alterum corpus esse receptam. Item epp. 32, 34, 35, 36, 37 cum magis spectent ad vitam ordinandam secundum rectae rationis arbitrium, eodem loco sunt habendae. Adde quod 36_1 nomen amici desideratur. Idem cadit in V libri epistulam primam (42_1). Praeterea ep. 35 tam abruptum est initium, ut non dubitem, quin prior pars, tamquam minus idonea, quae publicaretur, sit abscisa, quod nisi in iustis litteris evenire vix poterat. Hae igitur omnes videntur verae esse epistulae, antea, cum ederentur priores, reiectae.[3]) Accedit, quod in his invenimus cohortationes simillimas eis, quas in prioribus voluminibus legimus, etsi eae sunt, quibus admoneri videatur iam ulterius progressus in philosophiae studio.[4]) Denique bis

---

1) 33_1. 34_1. 38_1. 39_1. 40_1. 41_1. 43_1 45_1. 46_1. 48_1 50_1.

2) 30_{18}: *Sed vereri debeo, ne tam longas epistulas peius quam mortem oderis.* 45_{13}: *Sed ne epistulae modum excedam, quae non debet sinistram manum legentis implere.* 47_{21}: *Diutius te morari nolo.*

3) cfr. supra p. 633 adn. 2.

4) 32_3: *Accelera et evade, perduc te in tutum et subinde considera, quam pulchra res sit consummare vitam ante mortem.* 34_2: *Adsero te mihi:*

ea dicuntur de Lucilio, quae non quadrant in procuratorem Siciliae.[1]) Haec scripta sunt aut postquam Lucilius desiit esse procurator aut antequam coepit. Illud vero minus est verisimile, quoniam demonstravi esse has epistulas ex antea neglectis, non ex additis. His adnumero ep. 50, qua cum nuntietur, Harpasten subito desiisse videre, speciem praefert iustae epistulae. Ad hoc quadrat, quod eius prima verba[2]) contraria sunt eis, quae legimus 38_1 et 40_1.

Habemus ergo octo epistulas antea reiectas, nunc receptas: 30, 32, 34, 35, 36, 37, 42, 50.

Contra simulatas esse iam dixi 44, 45, 47, 48, 49.

De ep. 41 quidquam certius affirmare non audeo. Est tamen inter praeclarissimas et ardore quodam animi scriptor ea commendat et laudat rationis rectae divinam vim atque virtutem, ut vix credam sine certo consilio eam esse scriptam, sed magna cum arte compositam ut clausula esset huius libri.

In eandem sententiam inclino quotiens perlego epistulam 52, ut credam hanc sicut 41 eo animo esse statim conscriptam, ut in fine totius corporis poneretur. Ostenditur enim ea, qua via perveniamus ad sapientiam et quem potissimum eligamus ducem, ut totius voluminis summa his litteris sit inclusa.

Etiam ep. 46, qua Seneca summis laudibus cumulat Lucilii librum, utrum vera sit epistula an ficta incertum est, etsi hoc verisimilius videtur. Id unum pro certo contendo, sive hoc sive illud statuimus, in hunc ordinem eam esse receptam ut Lucilii laudem posteris nuntiaret. Argumento enim a ceteris est alienissima et mirum quantum ea turbatur rerum ordo. Scripta vero videtur post 1—29. Nam si antea iam laudavisset Seneca librum illum, non video, cur non in primo iam corpore hanc laudem posuerit.

---

meum opus es. ego cum vidissem indolem tuam inieci manum et exhortatus sum, addidi stimulos nec lente ire passus sum, sed subinde incitavi q. s. 35_1: *Cum te tam valde rogo ut studeas.* 37_1: *Quod maximum vinculum est ad bonam mentem, promisisti virum bonum: sacramento rogatus es.* Fortasse erunt, quibus videatur Seneca finxisse has cohortationes, ut simularet eis ipsis incitatum Lucilium arripuisse philosophiae studium eoque ostenderet exhortationum vim universam, cum ep. 34 ita respiciat exhortationes antecedentes, tamquam finem nunc sit facturus exhortandi amico inter sapientiae studiosos recepto. At omnes illas epistulas etiam aliis de causis iudicavimus esse iustas; deinde istud si re vera fuisset Senecae consilium, ep. 34 in fine aut primi aut secundi corporis erat ponenda; denique non certo ordine laudes sequuntur exhortationes, sed utraeque inter se mixtae leguntur. Cfr. ep. 8_{10}.

1) 32_1 *Inquiro in te et ab omnibus sciscitor, qui ex ista regione veniunt, quid agas, ubi et cum quibus moreris . . . nihil audio, plerique ex his, quos interrogo, nesciunt quid agas.* (Cfr. 48_3: *Tu nunc in provincia, licet contemnas ipse te, magnus es. quid agas, quemadmodum cenes, quemadmodum dormias, quaeritur, scitur.)* de 34_1 cfr. supra p. 607.

2) *Epistulam tuam accepi post multos menses, quam mihi miseras.*

Numquam autem concedam iustam esse epistulam 33, quam scriptam esse post priores editas iam dixi (p. 632). Certe scripta est post epp. 1—29 in unum corpus redactas propter verba (§. 1): „*Desideras his quoque epistulis sicut prioribus adscribi aliquas voces nostrorum procerum.*“ Atque adeo cum dicit scriptor: „*his quoque epistulis*“, certum quendam numerum intellegi vult a prioribus diversum. Vix sic locutus est, nisi cum colligeret secundi corporis epistulas. Accedit, quod eius argumentum spectat ad huius ipsius collectionis rationem. Exponit enim Seneca, cur non, sicut antea Epicuri, sic nunc Stoicorum adiecerit vocum catenam. Haec omnia quotiens animo complector, non dubito, quin 33 non sit iusta epistula, sed composita reliquis iam conscriptis, cum ederetur alterum corpus. Qua cum doceatur, quomodo commentariis et excerptis sit utendum incumbenti ad philosophiam, suo iure hoc in ordine legitur.

Similis est 38. Haec quoque suo loco est posita neque argumento aliena a ceteris. Ostendit enim scriptor, quantum proficiatur sermone mutuo in philosophiae praeceptis tradendis. Sed hoc cum disputat quodammodo se excusat, cur adhuc utatur epistularum forma, cotidiani sermonis imagine. Respicit igitur totum corpus collectum. Porro legite quaeso initium: „*Merito exigis, ut hoc inter nos epistularum commercium frequentemus.*“ Diu dubitaverunt viri docti, quid esset concludendum ex his verbis.[1]) Mihi sic videtur: Quoniam magna pars harum epistularum erat iam antea scripta[2]), reliquarum permultae non iustae epistulae sed simulatae[3]), tota collectio multo breviore tempore post priorem erat finita, quam verisimile erat in vero epistularum commercio intra Siciliam et Romam vel Campaniam missarum et remissarum. Id ut aliquo modo redderet verisimilius, Seneca adiecit ep. 38 cum ceteras ederet ita conscriptam, ut aliquid conferret ad quaestionem propositam.

Inter utrasque, veras et fictas, medium locum tenent, quae restant, 31, 39, 40, 43, 51, quas non audeo neque huic neque illi numero adscribere. Puto igitur eas re vera post priores collectas a Seneca esse tabellario datas ad Lucilium perferendas, sed ita iam conscriptas, ut possint in hoc corpus recipi.

Seneca igitur iam cum ederet primum epistularum corpus constituit alterum addere[4]), in quod recepit quas iam antea conscripserat animi perfecti laudes et commendationes. Adiecit praecepta de philo-

1) cfr. supra p. 621 et 624 adn. 3. Quod Schultess contendit, itineribus et Lucilium et Senecam antea prohibitos esse frequentes scribere epistulas, mihi non probavit. Illius enim unum memoratur iter 48_1, quoniam 28_1 ex alio corpore est sumpta, hic vero nihil narrat nisi Neapolim et Pompeios se venisse 49_1, ubi quam diu versatus sit et quali usus otio nescimus.

2) 30. 32. 34. 35. 36. 37. 42. 50. cfr. p. 640.

3) 33. 38. 41. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 52.

4) 26_8. cfr. p. 630 et 632.

sophiae studio recte instituendo epistularum forma uno tenore recens scripta. Intermiscuit nonnullas iustas epistulas post alterum corpus editum iam eo animo compositas, ut in hunc ordinem possent inseri. Omnia sic ordinavit, ut quoad fieri potuit appareret sententiarum conexus. Qua in re felicior erat in V libro, cuius maiorem partem deinceps scripsit, quam in IV, cuius plerasque epistulas collegit. Omnibus absolutis cum addere vellet Stoicorum voces a se ipso excerpendas, cognovit, quoniam gnomologium non praesto erat, id non ita facile posse fieri. Qua de causa se excusavit ep. 33. Eodem fere tempore addidit ep. 38.

Atque quoniam hoc corpore tam varias complexus est partes, fieri non potuit ut saepius disertis verbis eiusdem voluminis respiceret epistulas. Semel, 45_{13} (*in alium diem hanc litem cum dialecticis differam*) spectat ad 48 et 49 deinceps post illam scriptas.

Quo tempore singulae epistulae sint compositae, praeter ea, quae exposui, vix est qui accuratius investiget. Quando totum corpus sit editum, in universum constat ex eis, quae supra disputavimus. Certe absolutum erat non multo post priores tres libros publicatos[1]) anno fere 62 exeunte. Ad hoc tempus reliqua quadrant vestigia ex epistulis, tempus si respicimus, posterioribus sumpta: Seneca se senem esse dicit[2]), Lucilius adhuc procurator est Siciliae[3]), fortunam iam est expertus[4]), philosophiae cunctis viribus se dedit.[5])

Atque iam constituisse Senecam edere tertium epistularum corpus cognoscimus 36_{11}: „*Sed postea diligentius docebo, omnia quae videntur perire, mutari*" (cfr. 58_{22}. $71_{13.14}$). 52_{15}: „*Differam hoc in praesentia. Desiderat enim propriam et longam exsecutionem, quemadmodum populo disserendum, quid sibi apud populum permittendum sit, quid populo apud se.*" Etsi quam h. l. respiciat epistulam non liquet.[6]) Ep. 39 promittit, philosophiae commentarios se esse compositurum, sed in eis componendis suo se usurum esse more. Ad epistulas sequentes haec primo obtutu non videntur pertinere. Itaque quorsus spectent, adhuc incertum relinquo.

Est igitur corpus II ex variis epistulis arte atque consilio compositum. Ordinandi operam non est cur Senecae abiudicemus. Immo epp. 33 et 38 totum respicit corpus collectum et si recte contendimus

1) cfr. 33_1. 38_1.
2) (34_1. 35_3) 45_2. 48_5.
3) 31_9. 43_3. 45_2. 4) 31_5. 5) 31_1. 46_3. 47_{21}.
6) Duobus aliis locis. 46_3: „*De libro plura scribam cum illum retractavero*" et 48_1: „*Ad epistulam, quam mihi ex itinere misisti, postea rescribam*", nihil est tribuendum. Nam 48_1 nihil certius promittitur, et ep. 46 vidimus ideo esse insertam, quia Lucilii scripta ea laudantur. Itaque illis verbis §. 3 aut se excusat, cur non indicii sui copiosa exsecutione legentium fatiget animos, aut si, quod minus verisimile est, privatae sunt litterae et vera promisit, fortasse is erat liber, cuius argumentum cum minus quadraret ad huius corporis epistulas et Lucilii laudi iam satis esset factum, promissae illae litterae ex hoc corpore erant excludendae.

epp. 44. 47 et 45. 48. 49 deinceps scriptas in partes esse divisas, a nemine id poterat fieri nisi a scriptore ipso, cum editionem pararet. Absolutum erat brevi post priora volumina edita. Quidni ergo credamus hoc quoque corpus, quo agitur de philosophiae studio recte instituendo, sic, ut nunc legimus, ab ipso esse publicatum?

Non nego evenire potuisse ut nonnullae exciderent epistulae. Sed cum sequentibus libris hos II a Seneca numquam esse coniunctos facile videbitis si III corporis inspicietis argumenta.

De corpore III.

(Libris VI—XIII, epp. 53—88.)

Tertium epistularum corpus ipsum quoque in tres partes est dividendum: ll. VI—VIII (epp. 53—71), ll. IX. X (epp. 72—79), ll. XI—XIII (epp. 80—88). Earum argumenta haec sunt:

1.

VI. 53: Quia somniamus, non sentimus vitia nostra. Expergiscamur itaque. Sola autem nos philosophia excitabit. Illi ergo totos nos dare debemus. Non precario est philosophandum, sed semper. 54: In primis bonis cogitationibus eiciendus est metus mortis, quae nihil est nisi non esse. Quo metu eiecto etiam morbis oppressi vitam agemus securam atque tranquillam. 55: Ad tranquillitatem ut perveniamus nihil interest, quo loco vivamus, neque corpus est reducendum in latebras, nam latere non est vivere. 56: Nihil fere ad tranquillitatem confert silentium, nam bona mens nullo sonitu abducitur a bonis cogitationibus. 57: Semper tamen remanebunt animi quaedam mutationes subitis terroribus excitae, quas nulla virtus potest effugere. Timor ipse, pro periculorum magnitudine modo maior modo minor, stulti est, quoniam omnium idem est exitus, mors, mens vero sine exceptione est immortalis. 58: Itaque semper animus est excolendus, voluptates ipsae, quibus animum reficimus, ita sunt instituendae, ut animo fiant salutares. Si illius relaxandae causa ad Platonis scripta accedemus, cognoscemus omnia ista, quae sensibus serviunt, esse non ex eis, quae vere sunt. Quo cognito ad aeterna potius animum mittemus. Tum ne senectus quidem neque ulli dolores videbuntur intolerabiles, dummodo mens sana sit. 59: Ex illa animi tranquillitate, quae paratur vitiis expulsis, verum nascitur gaudium perpetuum, quo cognoscitur sapiens. 60: Hic nihil optabit, nam, cum ventri non oboediat, nulla re eget. 61: Necessitatem vincit, nam semper paratus ad mortem volens exibit e vita, non coactus. 62: Nullis occupationibus prohiberi potest a studiis vere liberalibus, nam animus semper liber est.

VII.[1]) *63: Non diu lugendum est de amici morte, sed memoria

---

1) Quae iusto ordini videntur repugnare, posthac asterisco* notabo.

eius pie est colenda. 64: Quae ab antiquis philosophis sunt tradita, nobis amplificanda sunt et vitae nostrae accomodanda. 65: E veterum philosophorum de prima mundi causa sententiis videmus eundem locum principem in homine tenere animum, atque in mundo deum. 66: Si vero animus hominis est principale, in eo omnia bona nostra sunt posita et summum bonum est virtus sive ratio recta, quae est divina, ideoque una. Unde sequitur, omnia hominis bona inter se esse paria, atque adeo unum esse bonum quod honestum. 67: Si omnia bona paria sunt, aeque sunt optabilia. Nullum enim sine virtute est bonum, virtus autem est optabilis. Ergo omne bonum est optabile, etsi illa, per quae conspicua fit virtus, interdum non sunt optabilia. 68: Ad verum bonum sive virtutem ut pervenias, animi morbis curatio est adhibenda. Hanc cum facilius possimus adhibere in otio quam in turba, recte constituisti in otium tandem te recipere. 69: Noli loca mutare, sed eodem in loco otium tuum abscondens animum exerce ut possit semper mortem excipere vel arcessere.

VIII. 70: Mors non propter unamquamque fortunae iniuriam est arcessenda, sed si moriendum est, quomodo id fiat, non refert, dummodo fortiter fiat. Mors enim per se neque bonum neque malum est. 71: Ut inter bona et mala sive petenda et fugienda recte distinguamus, semper respiciendum est summum illud bonum, honestum, positum in hominis parte rationali. Quae vulgo putantur non sunt re vera bona, nam ratio est una. Quae si recta est, nullam accessionem admittit, itaque non potest augeri externis commodis. Neque iacturam illa patitur: nam corporis mala non attingunt rationem, animi mala, quae sunt vitia, non cadunt in sapientem.

His epistulis, quas videtis artissime esse coniunctas sententiarum conexu, Seneca demonstrat, animum tranquillum et erectum sive virtutem quocumque loco et quocumque tempore posse servari et esse servandam (53—62); id enim esse non tantum summum, sed etiam unum hominis bonum. Cetera non esse vera bona neque mala esse nisi vitia (64—71).

2.

IX. 72: Semper est philosophandum. Itaque omnia negotia, quibus a philosophiae studio prohibemur, sunt excludenda. Tum continget nobis verum illud et perpetuum sapientis gaudium. *73: Qui sic philosophiae fideliter sunt dediti, numquam erunt refractarii sed gratissimi erga principem, per quem otio frui possunt. 74: Maximum vitae beatae instrumentum est persuasisse sibi unum bonum esse, quod sit honestum. Nam qui reliquis, quae putantur, bonis credit, fallitur. Fortunae vero casus non vincunt eum, qui summum bonum in animo positum esse intellegit. *75: Non id philosopho est agendum, ut ornamenta adhibeat sermoni, sed ut sermo cum vita concordet. Rebus in primis opera danda est, non verbis, nam summo cum labore ascenditur ad sapientiam per complures gradus.

76: Nullum est bonum nisi honestum, cum sit hoc unum hominis proprium.

X. 77: Mors non est magnum malum, nam ne vivere quidem est res magna. Itaque libenter est moriendum, ubi erit necesse; neque enim quam diu, sed quam bene acta sit vita, refert. 78: Morborum quoque terrores a virtute vincuntur. Nam mors sapienti non est metuenda, dolor vero aut brevis est aut tolerabilis neque voluptates morbis tolluntur omnes, sed immodicae. 79: Aetnam carmine describas velim. Virtus nulla re potest vinci; certe gloria illius erit comes perpetua.

Iterum igitur Seneca libris IX et X docet, omnia negotia esse neglegenda praeter veri boni cognitionem. Esse autem verum idemque summum bonum honestum sive virtutem. Corporis mala esse contemnenda, cum sint minima et quae facile vincantur a virtute, quae ipsa vinci non possit.

3.

XI. 80: Multo facilius, quam corpora adsuescuntur ad dolorum perpessionem, animos perpetua exercitatione corroborabimus adversus fortunae impetus, si nos liberabimus metu et mortis et paupertatis. *81: Etsi post acceptum beneficium ab eodem, a quo accepimus, iniuria afficimur, tamen gratia est referenda. 82: Contra mortis timorem non est pugnandum collectionibus vafris, sed demonstrandum, illam esse rem indifferentem, quae aut virtutis aut ignaviae societate fiat bonum aut malum.

XII. 83: Item inepti est ab ebrietate deterrere sapientem artificiosis collectionibus iisdemque falsis. Ostendamus potius rei deformitatem indignam professo sapientiam. *84: Quae veteres docuerunt, a nobis sunt non tam memoriae tradenda, quam perpetua cogitatione animo comprehendenda et in unum redigenda, ut nostra fiant. 85: Quibus Stoicorum interrogationibus colligatur virtutem ad explendam beatam vitam solam satis esse efficacem, dolorem et paupertatem non esse mala.

XIII. *86: Scipio Africanus quanta excellebat frugalitate! nostrates quantum luxuriae sunt dediti! In illius villa habitans didici nonnulla de arboribus et plantis serendis et transponendis. 87: Quibus Stoicorum interrogationibus concludatur divitias et cetera, quae sunt fortuita, non esse bona. 88: Studia quae vocantur liberalia animum ad accipiendam virtutem praeparant, ipsam virtutem dare non possunt.

Summa librorum XI—XIII haec est: Animus ad virtutem excolitur et corroboratur contra fortunam neque captiosis interrogationibus neque studiis liberalibus.

Senecae tertium epistularum corpus prioribus longe amplius

per se esse absolutum et individuum et a ceteris satis distinctum miror adhuc neminem vidisse.

Primum enim non tam singula praecepta ad vitam ordinandam utilia vel breves quaestiunculae de philosophiae studio recte instituendo his libris continentur, sed de ipsius philosophiae summa fusius atque copiosius disputatur, de summo bono. Sex epistulis eisque uberioribus vario modo demonstratur nullum esse bonum nisi honestum sive virtutem eamque ad vitam beatam explendam solam satis esse efficacem[1]), novem Haasianae editionis paginis exponitur, quid studiis liberalibus conferatur ad virtutem tradendam[2]), etc.

Secutum est, ut non semel epistularum modum iustum scriptor excederet vix specie earum servata. Ipse Stoicorum congesturus interrogationes de virtute ad explendam beatam vitam sola satis efficaci profitetur hanc *non iam fore epistulam sed librum.*[3])

Deinde more eorum, qui dialogos conscribunt, saepius fingit aliquod factum esse amicorum colloquium, cuius sermones Lucilio narrandos duxisset.[4])

Tum ipsas si inspexeris commentationes, facile cognosces omnes fere re vera esse dialogos. Saepissime Seneca adversarium facit contra se pugnantem, cuius verba ut in ceteris eiusdem dialogis introducuntur vocabulis: *„inquis"*, *„inquit"*, *„inquiunt"*, *„quid ergo, inquis"*, similibus[5]), aut nuda afferuntur, ut directae orationis signis sint includenda, saepe vocabulis *„quid ergo?"* a reliqua oratione distincta.[6]) Alibi pluribus verbis inducitur adversarius[7]), interdum meri dialogi atque adeo altercationis natura luculentur apparet.[8]) Similia occurrunt iam in prioris corporis epistulis quibusdam posteriori tempori adscribendis, sed rarissime.[9]) In tertio corpore tam frequens hic est usus, ut cum prioribus vix possit comparari.

Denique non tantum subinde, ut occasio fert, exempli proponendi causa laudantur philosophi antiqui et recentiores, sed eorum placita copiose traduntur et probantur aut refelluntur: Platonis et Aristotelis 58_{8-23}, Sextii 59_7, Attali 63_{5-6}, Stoicorum, Aristotelis, Platonis 65_{4-10}, Demetrii, Attali 67_{14-16}, Attali 72_8, Epicuri 79_{15-16}, Stoicorum et Peripateticorum collectiones 82. 83. 85. 87.

Atque tripartitum esse hoc corpus inde primum cognovi, quod ter eadem quaestio instituitur vel redintegratur epp. 53. 72. 80, quibus singulis admonemur ut philosophiae studium per totam vitam

1) 66. 71. 74. 76. 85. 87.

2) Ep. 88: Haec in bibliothecae Philippicae Cheltenhamianae cod. 12306 tamquam liber Senecae separatus est transcripta (cfr. O. Rossbach de Sen. libr. rec. et em. p. 34 adn.) et laudata ut „libellus de studiis liberalibus" a Ludovico Vive (in comm. ad Aug. de civ. Dei XVIII 52 adn. n.)

3) 85_1. 4) 58_1. 64_2. 65_2. 66_4 al.

5) 63_3. 65_{15}. $67_{1 \cdot 3}$. $68_{10 \cdot 14}$. 71_{21}. 74_{22}. 76_5. 77_{19}. $78_{11 \cdot 20}$. 81_7 al.

6) $66_{14 \cdot 38}$. 67_7. $71_{8 \cdot 11}$. 73_5 al.

7) 66_{18}. 81_{11}. 8) $66_{39 \cdot 40}$. 85_{26} al.

9) *inquis*, fortasse ad Lucilium spectans: $31_{7 \cdot 9}$. *inquit:* 38_9. 47_{18}.

continuemus. Sed quibus rebus hae partes inter se differant, quo vinculo cohaereant, postea videbimus. Nunc age ad primam tertii corporis partem (ll. VI—VIII epp. 53—71) accedamus accuratius perscrutandam.

1.

De corporis III. parte 1.

(Libris VI—VIII epp. 53—71.)

Iam si cursim, non dico ipsas epistulas 53—71, sed earum argumenta tantum perlegeris, intelleges te versari, ut ita dicam, in terra longe diversa a prioribus libris. In illis vidimus arte quadam omnia ita esse composita, ut certus appareat ordo, subinde vero sententiarum conexum perturbari epistulis minus apto loco positis aut ad propositum argumentum non pertinentibus. Hic, una excepta ep. 63, omnia artissime cohaerent, non pleraque sed omnia apte sunt conexa, nihil est supervacaneum, nihil deest. Non sunt hae epistulae certo quodam consilio collectae, sed liber integer satis amplus.

Consulto dixi, hoc ut eluceat, argumenta esse inspicienda. Nam qui libri VI ipsas neglegenter perlegerit epistulas, fortasse respondebit: „Quid? has tu negas iustas epistulas esse? Tamen semper epistularum Seneca servavit speciem, semel tantum (ep. 58) iustum ambitum transgreditur, sed hoc excusat (§. 37), ad ipsius vitam respicit, morborum, itinerum, aliarum rerum facit mentionem, quid agat tradit, et omnia sic sunt collecta, ut temporis ordo diligenter sit servatus: Ep. 53 narrat Neapoli cum navigaret Puteolos tempestate et nausea se esse vexatum, ep. 54: mala valetudine se laborasse, ep. 55: prope Cumas se esse gestatum animi recreandi causa, ubi litus recenti tempestate fuisset spissum, 56: in balneo se habitare, sine dubio Baiis, 57: a Baiis repetentem Neapolim, ne iterum navem experiretur, iter se fecisse per cryptam Neapolitanam etiamtum multo luto sparso per totam viam, etc. Quid? nonne haec omnia veras testantur epistulas?“

At ego in his ipsis, quae modo attuli, summam, ne dicam nimiam suspicio scriptoris artem. Apparet enim totius libri argumentum contineri Senecae verbis in fine positis, 62_1: *„Vaco, et ubicumque sum, ibi meus sum. rebus enim me non trado, sed commodo, nec consector perdendi temporis causas. et quocumque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto et aliquid in animo salutare converso.“* Neque vero id solum agit Seneca, ut argumentis demonstret, animi tranquillitatem facile semper et ubique posse servari neque ulla re sapientem deterreri a philosophiae studio vel a bonis cogitationibus, sed suum ipsius semper proponit exemplum. Singulis igitur epistulis ostendit se neque tempestate (53) neque morbo (54) neque strepitu (56) neque itineribus (57) neque aliis incommodis a philosophiae studio esse deterritum, cum animus semper vacaret. Ideo has epi-

stulas sic composuit scriptor, ut semper a re quadam e cotidiana vita sumpta transeat ad argumentum propositum cohaerens cum antecedentium litterarum argumento. Id consilium non semel disertis verbis ipse indicat. Qua de causa, si mihi minus creditis, credite Senecae ipsi:

Ep. 53_5 postquam tempestatem descripsit „*Ut primum*, inquit, *stomachum . . . collegi, ut corpus unctione recreavi, hoc coepi mecum cogitare, quanta nos vitiorum sequeretur oblivio et q. s.*“

Ep. 54_3 aegrotasse se narraverat. „*Ego vero*, pergit, *et in ipsa suffocatione non desii cogitationibus laetis ac fortibus adquiescere q. s.*“

Ep. 55_3 cum scripsisset gestatum se esse inter Cumas et Publii Vatiae villam, haec addidit: „*Ex consuetudine tamen mea circumspicere coepi, an aliquid illic invenirem, quod mihi posset bono esse, et direxi oculos in villam, quae aliquando Vatiae fuit q. s.*“

Ep. 56 statim in medias res fertur: „*Peream, si est tam necessarium quam videtur silentium in studia seposito!*“ Tum suum interponit exemplum: „*Ecce undique me varius clamor circumsonat. supra ipsum balneum habito.*“ Deinde postquam varia strepitus genera descripsit se circumsonantia, adicit (§. 5): „*Sed iam me sic ad omnia ista duravi, ut audire vel pausarium possim voce acerbissima remigibus modos dantem. animum enim cogo sibi intentum esse nec avocari ad externa: omnia licet foris resonent, dum intus nihil tumultus sit, dum inter se non rixentur cupiditas et timor, dum avaritia luxuriaque non dissideant nec altera alteram vexet q. s.*“

Iter fecerat per cryptam Neapolitanam et cum per opacum illum carcerem longissimum veheretur, incommoda quaedam pertulerat senseratque animi quandam non perturbationem sed mutationem. Quibus narratis 57_3: „*Aliquid tamen*, inquit, *mihi illa obscuritas quod cogitarem dedit . . . quaedam . . . nulla effugere virtus potest: admonet illam natura mortalitatis suae.*“

Ep. 58_{1-24} cum exposuisset, quid veteres philosophi de prima mundi causa sensissent, pergit his verbis: „*Quid ista, inquis, mihi subtilitas proderit?*“ *Si me interrogas, nihil. sed quemadmodum ille caelator oculos intentos diu ac fatigatos remittit atque avocat et, ut dici solet, pascit: sic nos animum aliquando debemus relaxare et quibusdam oblectamentis reficere. sed ipsa oblectamenta opera sint: ex his quoque, si observaveris, sumes, quod possit fieri salutare. Hoc ego, Lucili, facere soleo: ex omni notione, etiamsi a philosophia longissime aversa est, eruere aliquid conor et utile efficere: quid de istis, quae modo tractavimus, remotis a reformatione morum? q. s.*

Ep. 59 Lucilii epistulae cuiusdam laudat sermonem, refertum imaginibus, quas necessarias existimat ut imbecillitatis nostrae adminicula. Ceteros quoque philosophos usos esse imaginibus velut Sextium. Quid multa? De Sextii imagine quadam argumento ab ipsius epistulis non aliena commentationem scribit Seneca.

Tales epistulas argumentis se invicem excipientes et eadem

omnes arte conformatas numquam audivi quemquam dedisse ad amicum privato litterarum commercio. Elucet hunc librum de certo quodam argumento uno tenore esse scriptum. Sed unde illa temporum vestigia sibi respondentia? Edicam quid sentiam: Seneca, ut maiorem redderet veri litterarum commercii similitudinem eis usus est, quae re vera acciderant. Fecerat re vera itinera ista, quae segnitiam ei excusserant, et eis, quae ibi viderat vel passus erat, ansam sibi datam esse finxit conscribendi singulas epistulas.

Sed quis est, quin concedat, si omnes III librorum epistulas eadem forma compositas legeremus, non voluptatem sed taedium in nobis esse oriturum? Quid? nonne iam ea, quam fingit ansam fuisse ep. 59, artificiosius est excogitata quam quae nobis placeret? Itaque suspicor accidisse ut Senecam ipsum paulatim taederet huius nimiae artis, nam in sequentibus eam videmus prorsus neglectam. Pergit tamen singulos locos tractare singulis capitibus sed ita cohaerentibus, ut paucis verbis mutatis vel additis in epistularum initiis deinceps legentes nihil desideremus neque umquam haereamus. Non iam habemus epistulas sed disputationes de animo perfecto singula in capita divisas, quibus inscriptae sunt salutationum formulae.[1])

Atque horum trium librorum partem priorem ad finem esse perductam ep. 62 nonne eo perspicuum est, quod illius argumentum hac paucis verbis repetitur?

Continuatur disputatio eis duobus libris, qui sequuntur. Argumentis enim ibi demonstratur, animum perfectum, de quo parando et servando libro VI satis erat actum, sive virtutem summum esse bonum.

Quam artissime omnia cohaereant in epp. 64—71, nam de 63 postea[2]) agemus, iam cognovistis ex argumentis sub unum conspectum positis. Forma tantum epistularum est servata. Praemissa igitur sunt singulis capitibus prooemia non tam artificiose excogitata quam antea, quibus narrat Seneca, quomodo in quamque inciderit quaestionem.

Ep. igitur 64_{1-6} laudato Q. Sextii patris libro transit ad demonstrandum, quomodo veterum philosophorum scriptis sit utendum.

Ep. 65_{1-2} amicorum colloquium fingit fuisse, ubi lite exorta de philosophia Lucilius arbiter esset dictus.

Ep. 66_{1-4} narrat cum Clarano condiscipulo per paucos dies multum se collocutum esse de rebus ad philosophiam pertinentibus. Illos sermones subinde se esse egesturum et ad Lucilium permissurum. Quae promissio ad omnes sequentes videtur pertinere epistulas, nam multo neglegentius iam ep. 67 quaedam sunt praemissa, ut lit-

---

1) De una ep. 58 dubito an sit prior pars (§. 1—24) iusta epistula, eis, quae adiectae sunt, §§. 25—37 ad ceteras accommodata. Desideratur enim §. 8 amici nomen, sed facile priores 24 §§. a reliqua parte possunt divelli. Additamentis fortasse evenit ut ambitu quoque ceteras superaret epistulas (§. 37). 2) Vide infra p. 652.

terarum species existeret, quae si omiseris (§. 1. 2) usque ad verba: *„itaque et de hoc, quod quaeris, quasi conloquar tecum, quale sit, una scrutabimur,“* nullo negotio haec cum ep. 66 potest coniungi. Quin adeo ep. 68 et 69 nullum iam habent prooemium, ut simile quid eveniat atque reperimus in prioris libri parte extrema. Numquam haerebimus epp. 67—69 deinceps legentes, si pauca verba in initiis mutaverimus aut abiecerimus. Iterum vix restat litterarum forma, sed singula legimus eiusdem disputationis capita, quibus, tamquam iustae essent epistulae, tituli sunt inscripti.

Iam inspiciatis VIII libri epistulam utramque et facile cognoscetis his quoque eandem illam disputationem continuari. Atque vide quam neglegenter epistulae 70 ipsa argumentatio coniuncta sit cum prooemio litterarum speciem servante! Pompeios cum post longum intervallum vidisset Seneca, admonitus erat totius vitae praeteritae. Atque cum iam de exitu cogitaret, succurrit ei omnibus eundem restare finem, de quo haec scripsit (§. 4): *„Alios vita velocissime adduxit, quo veniendum erat etiam cunctantibus, alios maceravit et coxit.“* Cum subito transit ad rem longe aliam his verbis: *„quae, ut scis, non semper retinenda est: non enim vivere bonum est, sed bene vivere.“* Iam via munita ad ipsam, quam sibi proposuerat, quaestionem accedendi paucis interiectis pergit (§. 6): *„Citius mori aut tardius ad rem non pertinet: bene mori aut male ad rem pertinet.“* Multo aptius haec verba, quae ultimo loco attuli, coniunguntur cum antecedentis epistulae fine. Ea enim demonstraverat, in otio animum esse exercendum, ut possit semper mortem excipere vel arcessere atque finem fecerat dicens: *„Illud praeterea tecum licet cogites: nemo nisi suo die moritur. nihil perdis ex tuo tempore. nam quod relinquis alienum est.“* Fac itaque Senecam statim pergentem: *„Citius mori aut tardius ad rem non pertinet: bene mori aut male ad rem pertinet;“* nonne vides sententiarum conexum non interrumpi? Eodem vero spectat tota ep. 70.

Item cum huius ipsius epistulae 70 parte extrema nullo negotio coniungi potest 71_2. Ostenderat enim philosophus, modo mortem esse vitandam, modo petendam. Interdum vitam melius servari quam mortem arcessi. Sed ubi mors arcessenda videretur, quomodo id fieret, nihil interesse. Quem finem praeferremus, rationem esse suasuram. *„Eadem illa ratio,* inquit, *monet, ut si licet moriaris sine dolore; si autem non potes, moriaris quemadmodum potes et quicquid obvenerit, ad vim adferendam tibi invadas. Iniuriosum est rapto vivere: at contra pulcherrimum mori rapto.“* Iam expectamus, ut ostendatur, quam nobis det regulam illa ratio, ut semper, quid praeferendum sit sapienti, recte videamus. Ea nobis datur 71_2 hisce verbis: *„Quotiens, quid fugiendum sit aut quid petendum, voles scire, ad summum bonum, propositum totius vitae tuae, respice. illi enim consentire debet, quicquid agimus: q. s.“* Qua data lege demonstratur unum esse bonum, quod sit honestum.

Nunc quoniam huc pervenimus, non absonum videtur paucis complecti, quo consilio et qua ratione hanc partem (epp. 53—71) arbitrer esse compositam. Nimirum ut argumentatio recte et ordine procederet et totius quaestionis tractatio esset concinnior et omnibus numeris absoluta, Seneca constituit nullas iam veras interponere epistulas aut aliud sequentes consilium, ab ipso proposito diversum, sed deinceps omnia conscribere. Atque cum sibi proposuisset de summo bono agere, totam disputationem in duas partes divisit, quarum altera ostendit, animum ubicumque posse excoli ad veram tranquillitatem et ad perfectum habitum, dummodo ipse vacaret, altera demonstravit, esse tanti, ut animo excolendo tam vehementer operam navaremus, in eo enim positum esse summum bonum humanum. Ita vero rem instituit, ut primum singulis capitibus in epistularum formam nimia cum arte redactis singulos tractaret locos, mox, cum ita commodius videretur, tandem disputatione ad finem perducta singulis capitibus adderet quaedam, quibus litterarum speciem servaret (60. 61). Item cum ad alteram partem accederet, primum diligentius servavit epistularum formam (64. 65), mox uno tenore omnia absolvit. Quo facto singulis capitibus adiecit prooemia (66. 67. 70. 71) vel exordia leniter mutavit (68. 69).

Iam altera oritur quaestio: unde sumpserit Seneca illa prooemia. Qua de re confiteor haud facile posse iudicari. Sed cum alia breviora et neglegentius paucis verbis praemissa (60. 67. 71), alia ampliora sint et maiore cum diligentia conscripta, neque vero semper cum ipso argumento satis arte coniuncta (66. 70), arbitror illa esse recens excogitata, haec ex veris epistulis sumpta. De singulis non audeo sententiam ferre. Nam cum externis testimoniis prorsus simus destituti, qua lege iudicabimus? Non enim prima specie est iudicandum; an negabitis Senecam potuisse tales fingere epistulas, quales a veris non possint internosci?[1] De re ipsa ea de causa minus dubito, quia postea videbimus nonnumquam aperte veris epistulis adiectas esse disputationes ad philosophiam pertinentes, ut aptius inter ceteras possint publicari.[2]

Erunt, qui interrogent: „Quid? si id, quod tu censes, Seneca secutus est consilium, cur omnino epistularum speciem retinuit neque edidit commentationes aut dialogos de summo bono conscriptos?“ At iam ep. 38 explicaverat, quantam vim ad philosophiae praecepta tradenda putaret inesse in sermone mutuo et colloquiis privatis. Colloquiorum autem imago sunt epistulae inter amicos datae et acceptae. Epistulas igitur ita componebat, quasi colloqueretur cum Lucilio. Eadem ratione se adhuc esse usum disertis verbis indicat.[3]

1) velut 65. 66? 2) velut ep. 79. 83. 87. cfr. infra p. 654. 658.

3) 67_2: *si quando intervenerunt epistulae tuae, tecum esse mihi videor et sic adficior animo, tamquam tibi non rescribam, sed respondeam. itaque et de hoc, quod quaeris, quasi conloquar tecum, quale sit, una scrutabimur.*

Quamquam similis est dialogorum natura, tamen, si illorum forma usus esset Seneca, coactus esset maiorem curam adhibere verbis, quod eo, qui mores emendat, putavit indignum aut saltem minus necessarium.[1]) Denique puto iam illius aetatis homines libentius accessisse ad epistulas legendas quam ad copiosam doctrinam ostentantium volumina.

Una iam restat epistula 63, quae unde irrepserit in has de summo bono disputationes, confiteor me adhuc non invenisse. Speciem praefert verarum litterarum, consolationis de Flacci morte ad Lucilium scriptae. Minus aliena est a libri VI argumento. Nam sicut ep. 54 ostenditur mortis metum non cadere in sapientem, ep. 63 docemur ne amici quidem morte vere sapientis animum perturbari. Tamen nolo contra omnium codicum auctoritatem eam loco movere, praesertim cum non eandem atque ceterae praeferat speciem nimis artificiosam. Fortasse nulla alia de causa est recepta, nisi ut Flacci amici servaret memoriam, et hoc potissimum loco interposita, ut totum trium librorum volumen aperte divideretur in duas partes.

In omnibus aliis epistulis sententiarum et temporis ordinem diligenter esse servatum elucet iam ex eis, quae supra disserui. Addi potest quod ep. 71_{17} scriptor videtur respicere ad 66_5.

Ceterum constat hos libros scriptos esse post V priores, cum haud semel Seneca ad illos spectet.[2]) Huic sententiae non repugnant, quae praeterea occurrunt temporum vestigia. Subinde scriptor senectutis suae facit mentionem[3]), suum ipsius otium semel videtur laudare[4]), Lucilium vero iam nullo loco appellat Siciliae procuratorem. Immo videtur ille a republica recessisse et in otium se abscondisse.[5]) Rei familiaris tantum et forensium negotiorum nimia cura opprobrio datur Lucilio[6]), nisi potius putatis ea opprobria contra omnes homines esse dicta neque ad Lucilium solum trahenda.

Accuratius vero editionis tempus infra definire conabor.

---

1) 75_1: *Minus tibi accuratas a me epistulas mitti quereris. quis enim accurate loquitur, nisi qui vult putide loqui? qualis sermo meus esset, si una sederemus aut ambularemus, inlaboratus et facilis, tales esse epistulas meas volo, quae nihil habeant accersitum nec fictum. q. s.*

2) 56_{11} cfr. 39_4. Nam verba: *si speciosa contemnimus, ut paulo ante dicebam*, non possunt trahi ad eiusdem epistulae paragraphos antecedentes, quibus dictum erat, posse nos contemnere strepitus externos. Immo dicit Seneca ex illo hoc sequi, scilicet ut nulla res nos avocet. Itaque mihi quidem haec verba in memoriam revocaverunt locum illum: *Magni animi est magna contemnere et mediocria malle quam nimia.* 60_1 cfr. 32_4. 71_1 cfr. 22_1 et 48_1. 58_{22} et 71_{14} cfr. 36_{11}. cfr. supra p. 642.

3) 61_{12}. 66_1. 67_2. 70_2.

4) 68_{10}.

5) 68_1: *Consilio tuo accedo: absconde te in otio. sed et ipsum otium absconde.* $_{12}$: *Utinam quidem hoc propositum sequi olim fuisset animus tibi.* 69_2: *interrumpenda non est quies et vitae prioris oblivio.*

6) 58_9: *Si aeger esses, curam intermisisses rei familiaris et forensia tibi negotia excidissent ... quid ergo? non et nunc idem facias?*

2.

De corporis III parte 2.

(Libris IX. X. epp. 72—79.)

Tertii corporis partem primam postquam perscrutati sumus, si accedimus ad alteram partem complectentem ll. IX. X. epp. 72—79, statim miramur ep. 72 idem fere esse argumentum atque ep. 53. Disputatio illa, quam vidimus epp. 53—71 ad finem esse perductam, non continuatur sed redintegratur. Deinde otium, quod laudatur ep. 73, iam satis est laudatum ep. 68. Quid? argumentatio ep. 74 nonne eadem fere est atque ep. 71? Ep. 75 respondet ep. 67_{1-2}. Ep. 76 congruit cum 66. Ep. 77 idem demonstratur atque 70. Denique ep. 78 copiosius Seneca eadem docet, quae iam didicimus ex ep. 54. Ep. 79 vero, cuius parte posteriore docemur virtutem nulla re posse vinci, aperte horum librorum clausula est.

Haec rerum tractatarum similitudo ut perspiciamus unde sit orta, eae, de quibus nunc agimus, epistulae accuratius sunt inspiciendae. Tum videbimus earum rationem esse similem atque epp. 1—52. Neque enim eiusdem omnes sunt generis, sed epistulas iustas plerasque argumentis cognatas Seneca collegit mixtas cum fictis.

Nam ep. 72 non habeo, cur dubitem, quin sit vera epistula in hunc ordinem recepta, quippe qua ageretur de philosophia. Idonea autem erat, quae in initio poneretur. Demonstratur enim ea ubicumque esse philosophandum et posse nos philosophari.

Alius generis est ep. 73. Eius enim argumentum non tam ad Lucilium pertinet quam ad Neronem Caesarem, cui Seneca non ignorabat cum aliorum tum suum ipsius otium iam pridem esse suspectum.[1]) Qua de causa hanc scripsit, non dico epistulam, sed commentationem, qua ostenderet Neroni sapientes vel professos sapientiam minime esse refractarios vel contemptores magistratuum. Talia non scripsit nisi editurus. Quod si recte statui[2]), quis est qui demonstret, esse has litteras scriptas inter 72 et 74? Immo verisimilius est eas, cum reliquae ederentur, esse et conscriptas et adiectas. Atque hoc potissimum loco sunt positae, quia eis, quae antecedunt, philosophiae semper operam esse dandam docuerat scriptor; his, quomodo se gererent adversus magistratus qui philosophiae studio fideliter se dedissent.

Artiore tamen vinculo cohaerent epistulae 72 et 74. Illius enim ad initium: *Quod quaeris a me, liquebat mihi, si rem edicerem per se. sed diu non retemptavi memoriam meam, itaque non facile me sequitur q. s.* spectare huius prima verba iam Lipsius[3]) cognovit. Petierat

1) cfr. supra p. 603 adn. 7 et Tac. A. XIII 47. XV 45 i. f.
2) Idem iam statuit Haase, ed. vol III praef. p. III.
3) Adn. ad h. l. cfr. supra p. 623 adn. 2.

igitur Lucilius a Seneca, ut sibi scriberet, quid de summo bono sentiret. Seneca, etsi de re ipsa non dubitabat, intellexit, fusius de hac re esse agendum et nonnulla argumenta esse afferenda, quae non satis memoria tenebat. Recusavit igitur primum, quod petierat amicus (72), sed iterum petenti morem gessit (74).

Multo minus a 74 potest divelli ep. 76. Ipse enim scriptor hanc compositam esse parvo intervallo post illam confitetur et subinde eam appellat priorem.[1]) Neque vero eadem argumentatione in utraque epistula usus est. Deerat aliquid argumentationi priori, quod recte notaverat Lucilius.[2]) Laudata erat recta ratio, sed id unicum esse bonum aliorum tantum comparatione et argumentatione indirecta erat demonstratum, non directa. Hanc addidit Seneca ep. 76. Repetitio autem priorum argumentorum etsi brevissima[3]) non erat necessaria, immo vitanda, si iam tum, cum scribebat, Seneca cogitasset ambas edere. Sunt igitur iustae epistulae 72. 74. 76 quibus responderat Seneca Lucilii epistulis, eaeque, cum de philosophia essent, postea editae, interiecta ep. 73.

Ep. 75 infra ostendam minime esse iustam et post omnes alias scriptam.

Sed sequentis quoque libri epistulas non video cur negem re vera esse datas ad Lucilium.

In epp. 77 nuntius naves Alexandrinas advenisse Puteolos aptissime tribuitur litterarum commercio, neque illa de Marcellini morte narratio ab eo aliena est; denique de morte contemnenda, cum parvi momenti res esset, disputandi ansa data erat illa narratione.

Etiam eam quae sequitur consolationem contra morbi dolores (ep. 78) nihil impedit quominus credamus a Seneca missam esse ad amicum aegrotantem. Data autem est post ep. 77, nam cum dicit scriptor (§. 6): „*de morte satis dictum est*“ spectat ad ep. 77 partem extremam.

Paulo aliter iudicandum est de ep. 79. Prior enim pars (§§. 1—9) luce clarius praefert speciem iustarum litterarum ideo servatarum, ut sint sicut 46 testimonium Lucilii scriptorum. Composuerat enim eas Seneca, ut salivam moveret amico Aetnae carmine describendae, quod plerique putant Lucilium amico impellente fecisse. Huius carminis, sive est illud, quod etiamnunc habemus inter Vergilii carmina servatum, sive aliud nunc perditum, tamquam monumentum est ep. 79. Cum hac neglegentius, quam par erat, coniuncta est laus virtutis incipiens his verbis (§. 10): „*An Aetna tua possit sublabi et in se ruere, an hoc excelsum cacumen et conspicuum per vasti maris spatia detrahat adsidua vis ignium, nescio: virtutem non flamma, non ruina inferius adducet. q. s.*“ Haec virtutis laus sine dubio est adiecta, cum ederetur epistula, ut sit tertii corporis partis alterius clausula. Priorem vero

---

1) $76_{7.\,26}$ i. f. 76_{20} cfr. 74_{21}. 76_{25} cfr. 74_{14}. 76_{26} cfr. 74_{15}.
2) 76_{7}. 3) 76_{20-26}.

epistulae partem nescio an scripserit Seneca non multo post 78, qua multa locuta est de Lucilii morbo, propter haec verba (79_4): *„morbo enim tuo daturus eras, etiamsi nemo mandaret tibi.“* [1])

Habemus igitur sex epistulas veras in unum corpus redactas, paribus partibus divisas in duos libros, quorum alteri interiectae sunt duae fictae, cum ceterae ederentur compositae, alterius ultimae, in Lucilii gloriam servatae, addita est virtutis laus. Atque quoniam utriusque libri epistulae verae inter se secundum temporis ordinem sunt collocatae, verisimile est etiam 77 scriptam esse post 76, etsi certis argumentis demonstrari nequit. Denique illud quoque apparet, cum clausulam adiecerit Seneca, hos duos libros tamquam unum corpus vel unius corporis partem integram esse habendos.

Iam mirum non est quod Lucilii epistularum saepius fit mentio [2]) neque quod amici nomen semel desideratur. [3]) Ad editionem eas esse paratas videmus cum ex epistulae 79 additamentis, de quibus modo locuti sumus, tum e verbis 77_2 adiectis, de quibus iam supra disputavimus. [4])

Nunc age investigemus quo tempore datae sint hae epistulae. Senem se esse Seneca ter dicit [5]), sed Lucilii procurationis ne in hac quidem parte ulla fit mentio, etsi in ep. 72 occasio data erat illius a negotiis publicis abducendi ad philosophiae studium, si fuisset etiam tunc procuratione occupatus. Tres autem illas epp. 72. 74. 76 vidimus deinceps esse scriptas. Item cohaerent epp. 77—79. Sed in 79 de Sicilia atque de Aetna multa verba facit scriptor, de procuratione nullum. Immo, Lucilium significat, ut malam valetudinem quasi excuteret, non ut officio fungeretur, iter fecisse per totam insulam. [6]) Videntur igitur epp. 72—79 scriptae Lucilio iam non procuratore post epp. 1—52 editas. In eo vero non est offendendum, quod numquam disertis verbis laudantur libri antecedentes, quippe in epistulis mere privatis. [7])

Sed cur omnino retractaret Seneca, quae his libris complexus est, postquam scripsit ad Lucilium epp. 53—71, nulla causa erat. An putatis post epp. 66 et 71 ad Lucilium missas illum interrogaturum fuisse, num recte putaret *maximum instrumentum beatae vitae hanc persuasionem, unum bonum esse, quod honestum est?* [8]) Item non

---

1) Alii (Lipsius, Ruhkopf in adn. ad h. l.) *morbi* vocabulo putant significari gloriae cupidinem per carmina assequendae. At ipse Seneca adhortatur amicum, ut carmine Aetnam describat, itaque vix illam cupidinem *morbum* appellavit. Locutus autem erat in eis, quae antecedunt, de Lucilii itinere $79_{1.\,4}$. Videtur igitur Lucilius iter suscepisse ut a morbo animum recrearet, quo laborasse eum scimus ex ep. 78.

2) 72_1. 74_1. 76_1. 78_1? 79_1. 3) 77_6.

4) cfr. supra p. 606.

5) $76_{1.\,5}$. 77_3. 6) cfr. supra adn. 1.

7) Marcellinum, cuius vivi mentio fit in ep. 29, Bartsch (l. l. p. 4. 5) mihi probavit non esse eundem, cuius mors narratur 77_{5-9}.

8) 74_1. 72_1.

erat cur redintegraret disputationes de morte contemnenda et de morborum doloribus virtute vincendis post epp. 54 et 70 scriptas etc. Erat autem, cur, postquam epp. 53—71 composuit edendas, reciperet etiam veras epistulas iam antea eisdem de rebus conscriptas.

Deinde ampliores sunt epistulae loco priores neque vero ita ampliores, ut sequentibus res antea tractatae in artum sint contractae, sed ut in eis, quae ordine antecedunt, nova argumenta sint adiecta, vetera amplificata et aptius coniuncta. Hoc ut uno exemplo accuratius ostendam, relego vos ad eas epistulas, quibus totius disputationis summa continetur, 66 et 71 comparandas cum 74 et 76. Ep. 74, ut ipse fatetur, magis id egerat Seneca, ut ostenderet, maximum esse instrumentum beatae vitae eam persuasionem, nullum esse bonum nisi honestum. Ep. 76 a Lucilio admonitus id ipsum, cuius persuasionem certam esse debere antea statuerat, argumentis demonstravit. Postea intellexit, si omnia recte atque ordine vellet procedere, praemittendam esse argumentationem. Itaque 66 et scripsit et posuit ante 71. Porro: ep. 76 docuerat omnia bona esse paria, cum nullum esset verum hominis bonum ab animo seiunctum, animus perfectus autem esset unus. Ep. 66 initio idem docet: primum bonum esse animum perfectum; nihil autem esse perfecto perfectius. Sed adicit: Rectam rationem esse divinam: nihil autem esse divino divinius; nihil recto rectius. Rationem postulare ut consentiamus naturae; id augeri non posse. Denique ne ex Epicuri quidem hominis partitione quidquam aliud sequi. Ep. 74 contenderat omnia bona a fortuna data non esse vera bona neque illius mala esse vera mala. Ep. 71 illud potius demonstrat: omnia illa vinci a virtute, virtutem ipsam non posse depravari. Denique argumentorum repetitionem vitavit in epp. 66 et 71. Atqui solemus putare ea esse posteriora, quae maiore cum diligentia sunt composita et amplificata et magis absoluta. Adde quod ea, quae in libri X clausula enarraverat, scriptor paulum mutata in argumentationis ordinem recepit ep. 71.

Sequitur ut censeamus epp. 72—79 scriptas esse post epp. 1—52, sed ante 53—71. Atque adeo collectas esse has antequam illae componerentur, nonne vel inde est verisimile, quod etiam ea, quae in clausula X libri erant exposita in illas legimus recepta? Alia eiusdem rei argumenta infra proferam.

Res igitur haec est: Subinde Seneca in epistulis ad Lucilium datis eo suadente tractaverat vel attigerat illam de summo bono quaestionem. Postea, cum videret etiam huic locum esse dandum in epistularum moralium libris in publicum edendis, eas collegit, nonnullas fortasse iam eo animo composuerat, ut posset etiam edere. Deinde, ut dilucidior fieret sententiarum conexus, totam quaestionem redintegravit et ad finem perduxit epistularum usus specie. Noluit tamen illas, quas antea eadem de re conscripserat, epistulas interire et fortasse ideo quoque, ut magis servaret cotidianae vitae imaginem, eas recepit, fortasse ne colligendi praeparandique opera esset irrita.

Adiecit ep. 73 recens scriptam, ut a Nerone Caesare legeretur. Denique omnibus absolutis et paratis, ut ederentur, conscripsit ep. 75.[1]) Cuius quicumque inspiciet argumentum, intelleget id spectare ad totum corpus collectum. Vix enim Seneca, cur epistularum forma interdum minus accurate scriptarum[2]) etiamtunc uteretur, se excusavit nisi editurus haec volumina. Sed etiam certis argumentis probabo eam, si temporis ordinem respicimus, ultimam esse iudicandam. Scripta enim est post ep. 71. An alio spectare potest 75_9 nisi ad 71_4?[3]) Sed scripta est etiam post ep. 85. Verba enim 75_{11}: *„Quid inter morbos animi intersit et adfectus, saepe iam dixi"* nullo modo scribere potuit Seneca ante ep. 85. Hanc enim quaestionem vix attigerat alibi.[4]) Plura verba de ea facit 85_{10-15}. Quae cum ita sint, illud quoque elucet, una cum duabus quas pertractavimus partibus (epp. 53—71 et 72—79) editam esse tertiam (epp. 80—88), cuius quae sit indoles atque natura age nunc perscrutemur.

3.

De corporis III parte 3.

(Libris XI—XIII. epp. 80—88.)

Dixi ep. 75, si scripta esset post 85, scriptam esse etiam post reliquas tertiae partis epistulas. Nam etsi non omnes, tamen pleraeque deinceps sunt scriptae. Ep. 82 a 83 non potest divelli. Utraque enim docet Seneca non collectionibus vafris aut captiosis interrogationibus animos satis instigari, ut virtutem in se recipiant. Neque vero argumento tantum cohaerent, sed etiam disertis verbis Seneca dicit hanc scriptam esse statim post illam.[5]) Deinde epp. 85 et 87 non sunt duae iustae epistulae, sed unus libellus in dua capita divisus complectens omnes Stoicorum collectiones, quibus concludere solebant virtutem ad explendam vitam beatam solam satis esse efficacem. Antecessisse autem 82 et 83 cum per se est verisimile, tum eo, quod

---

1) Iam Haase (praef. p. VI) aliique viderunt, quod neminem potest fugere, hanc non suo loco esse positam. Turbatur enim ea et temporis et sententiarum ordo. At, quaeso, si omnino hanc in partem videbatur recipienda, ubinam aptior erat locus? Si ep. 72. 74. 76. 77—79 altera alteram exceperunt, 72 vero et 79 ab initio et a fine non erant removendae, nusquam inseri poterat, quin turbaretur temporis ordo, sicut turbatur ep. 73. Item sententiarum conexu illae epistulae artissime cohaerent. Necesse igitur erat etiam illum interrumpi. Sed multo minus recipi poterat inter epp. 53—61. Tamen aliquomodo iustum tenet locum. Nam epp. 74 et 76 non esse satis *„accurate"* compositas supra vidimus. cfr. p. 654. 652 adn. 1.

2) velut 74. 76.

3) 75_9: *quod in quadam epistula scripsisse me memini, „scire se nesciunt."* cfr. 71_4: *Quibusdam autem evenit, ut quaedam scire se nesciant.*

4) 71_{34}. 72_9.

5) 83_8: *Superest ex hesterno mihi cogitatio q. s.* cfr. 82_8.

85_1 respicere videtur ad ep. 82 clausulam.[1]) Ad finem vero pervenisse Senecam intellegimus e 87_{38}: *„unus tibi nodus, sed Herculaneus restat"*. Cum his epistulis nullo negotio coniungitur 88, qua docet scriptor, ne studia quidem quae vocantur liberalia nobis impertire posse virtutem, quamvis praeparent animos ad eam accipiendam. Omnibus praemissa est praefationis loco ep. 80, fortasse etiam ante eas scripta, qua monemur ut animos semper excolamus ad virtutem et corroboremus ad dolorum patientiam victo metu mortis et paupertatis.

Iam interrogabitis utrum putem epistulas 80—88 veras esse an fictas. Qua de re non in universum est iudicandum. Non enim omnes tam arto vinculo cohaerent, quam 53—71. Epp. 80. 81. 84. 86. 88, ut ita dicam, sui iuris sunt. Ep. 82 vero et 83 non solum argumentis sunt cognatae, sed etiam deinceps scriptae, 85 et 87 unum efficiunt libellum nullo intervallo scriptum. Hae tales sunt, quales vix credo scriptas esse a Seneca nisi eo consilio ut ederentur, etsi 83_{1-7} et 87_{1-11} non videntur alienae a iusto litterarum commercio. Quam rem sic arbitror esse explicandam: Postquam constituit Seneca epp. 72—79 edere in unum corpus redactas idque consilium nuntiasset Lucilio, vel is censebat, aliquid defuturum esse, nisi adderentur Stoicorum collectiones, vel ipse sensit. Qua de causa primum epp. 82 et 83 ita conscripsit ut possint edi, conscriptas misit Lucilio. Ille vero suasit, ut non tantum eas congereret collectiones, quas vitiosas esse iudicaret, sed etiam eas, quibus aliquam vim tribueret.[2]) Quo facto Seneca composuit librum illum complectentem epp. 85 et 87. Denique scripsit ep. 88, nescio an item admonitus a Lucilio[3]), et prooemii loco praemisit 80, quam primo loco esse scriptam demonstrare argumentis nequeo, sed suspicor, quoniam reliquae de quibus locuti sumus temporis ordine sunt collocatae. Omnibus vero ad finem perductis cum cognovisset libros suos fore ieiuniores, si nihil fere continerent praeter interrogationum refutationes vel probationes, divisit 82 et 83, item 85 et 87, interiectis epistulis aut veris aut verarum modo scriptis. Nam 83_{1-7} non minus hanc praefert speciem quam 87_{1-11}, et vide quam artificiose in utraque ad proprium eius argumentum fiat transitus!

83_8. *„Quid ergo est nunc, cui animum adiecerim? dicam. Superest ex hesterno mihi cogitatio, quid sibi voluerint prudentissimi viri et q. s."* Quae iam sequuntur (§. 9) si statim leges post 82_{24}, nihil desiderabis. In eis vero, quae antecedunt, Seneca videtur imitatus esse veram epistulam 76. Etiam neglegentius in ep. 87 argumentum conexum est cum exordio (87_{11}): *„Nunc volo paucissimas adhuc interrogationes*

---

1) 85_1: *Pudet in aciem descendere pro dis hominibusque susceptam subula armatum.* cfr. 82_{24} *Subula leonem excipis?*

2) 85_1: *Iubes me quicquid est interrogationum aut nostrarum aut ad traductionem nostram excogitatarum comprehendere.*

3) 88_1: *De liberalibus studiis quid sentiam, scire desideras.*

nostrorum tibi reddere ad virtutem pertinentes, quam satisfacere vitae beatae contendimus." Multo aptius 87_{12} coniunges cum ep. 85 clausula. Ipsum vero prooemium verae epistulae speciem praefert.[1] Denique ne 82_{1-7} quidem dicitur quicquam quod pertineat ad reliquae epistulae argumentum.

Etiam reliquas epistulas integras videtur Seneca interiecisse nulla alia de causa nisi ut fugeret ieiunitatem. Ex his ep. 81 scripta est post eos libros, qui sunt de beneficiis, iam editos, cum videret scriptor locum quendam in illis esse omissum.[2] Rectius igitur illic legeretur. Quod quoniam fieri non iam poterat, loco alieno est publicata haec non epistula, sed de beneficiis reddendis disputatio. Atque nisi tot aliis argumentis probaretur, Senecam edere voluisse haec volumina, vel inde eluceret, quod ep. 81 cum ceteris coniunxit.

Vera est epistula 86, cuius pars posterior vix digna est, quae a pluribus legatur. In initio tantum cum paucis laudavisset veterum, in primis Scipionis Africani frugalitatem, Seneca fortasse arbitratus in hac ipsa virtutis laude aliquid inesse, quo virtus commendaretur, inter reliquas eam recepit, fortasse ideo ut maior esset rerum tractatarum varietas.

Una ep. 84 quid sibi velit, difficile est dictu. Pertinet enim eius argumentum ad philosophiam, neque vero ad eam illius partem, de qua agitur his libris. Quam rem aliter explicare non possum, nisi ut statuam scriptorem, cum complures philosophorum libros aeger[3]) pertractavisset, Lucilio quondam exposuisse, quomodo philosophorum veterum decretis esset utendum, ut animum nostrum excoleremus. Illam epistulam cum dignam iudicaret, quae publici iuris fieret, hoc loco publicavit, quod eo minus putabat esse ineptum, cum his ipsis in libris saepissime veterum sententias percensuisset. Libri vero illi nescio an sint Stoicorum intellegendi, quibus usus erat ad interrogationes et collectiones congerendas. Adhibitos autem puto in primis Posidonii libros, cuius sententiae saepius percensentur his in epistulis[4]), cum antea non sint laudatae nisi 78_{28}. Nomen tantum legitur 33_4. Cur suspicer etiam Philonis libros esse adhibitos infra dicam.[5])

His expositis ad finem perducere conabor illam quaestionem, quo ordine singulae tertii corporis partes sint compositae.

Atque nonne verisimile est collectiones captiosas et vitiosas esse additas, postquam eo modo, quem ipse rectum putabat, Seneca disputavit de summo bono? Quam coniecturam iam supra propositam argumentis probare nunc conabor.

Certe ep. 80, totius partis prooemium, scripsit post ep. 72—79 compositas. Nam $80_{6 \cdot 7}$ comparans vitam humanam cum ludis scenicis ait: *„interdum non licet palam esse miseros, sed inter aerumnas cor ipsum exedentes necesse est agere felicem.* 7. *Saepius hoc exemplo mihi*

---

1) cfr. supra p. 651 et quae disputavimus de ep. 79 p. 654.
2) 81_3. 3) 84_1. 4) 83_{10}. $87_{31 \cdot 35 \cdot 38}$. 88_{21}. 5) p. 677—9.

utendum est, nec enim ullo efficacius exprimitur hic humanae vitae minimus q. s." Usus erat autem hac imagine 74_7. 76_{31}. In reliquis libris semel eam tangit.[1])

Fortasse minus certum id argumentum videbitur, quo puto effici etiam ep. 85, a qua 82 atque 83 et 87 non possunt separari, scriptam esse post 72—79. Illius enim prima verba: *„Peperceram tibi et quicquid nodosi adhuc supererat, praeterieram, contentus quasi gustum tibi dare eorum, quae a nostris dicuntur, ut probetur virtus ad explendam beatam vitam sola satis efficax"* ea de causa nego trahi posse ad epp. 82 et 83[2]), quia longe aliud ibi ostenderat Seneca, cavillationibus virtutem non posse tradi, nullam vero attulerat collectionem, qua concludebant Stoici virtutem ad explendam beatam vitam satis esse efficacem. Spectat igitur l. l. ad epp. 74 et 76, etsi minus apte quasi irridens dicit, eis *se gustum dedisse amico Stoicorum interrogationum.* Sed levius id duco, cum neminem, etsi huic argumento non eandem vim tribuet, de re arbitror esse dubitaturum.

Maioris momenti est, quod ad epp. 66 et 71 verba supra laudata nullo modo trahi possunt propter ea, quae sequuntur: *„Iubes me quicquid est interrogationum aut nostrarum aut ad traductionem nostram excogitatarum comprehendere: quod si facere voluero, non erit epistula sed liber."* Haec non sunt verba eius, qui iam epp. 53—79 de una quaestione composuerat librum integrum atque adeo libros continuos. Qua de causa non dubito quin ep. 85 simulque 87 et quae antecesserunt 82 et 83 ante 53—71 sint compositae. Idem cadit in ep. 84. Nam quae in ea ita legimus, ut sententiarum conexus interrumpatur, videmus ep. 64 in contextum operis aptiore loco recepta. Atque si ex his amplioribus licet coniecturam facere de reliquis, tota tertii corporis pars extrema composita est post 72—79, ante epp. 53—71.

Sed necesse est statuamus epp. 72—79 etiam esse collectas ante epp. 80—88. Neque enim commentationes illas addidisset Seneca, nisi priores epistulas constituisset edere. Tum multo magis necesse est credamus epp. 72—79 non tantum esse scriptas, sed etiam editioni paratas, antequam scriberentur epp. 53—71, quod iam supra contendi.[3])

Restat, ut investigemus, quando totum corpus fuerit confectum, ut edi posset. Certe haud exiguum tempus intercessisse inter hoc et prius editum iam ex huius amplitudine concludo. Accedit, quod nullas invenimus veras epistulas aperte iam antea conscriptas, nunc demum in hoc corpore editas, nisi earum quaedam huc sunt trahendae, quae prooemiorum locum tenent. Itaque errare mihi non videor, si

---

1) 66_{47}: *beatum autem agere, nisi qui est in summo bono, non potest.*
2) quod tamen fecit Ruhkopf, adn. ad h. l.
3) cfr. p. 656.

unum circiter annum in his conscribendis et colligendis scriptorem censeo fuisse occupatum. Atque ut certioribus finibus editionis tempus circumscribamus, nunc fortasse licet etiam anni temporum uti vestigiis. Neque video cur negem ep. 86[1]) scriptam esse mense Iunio anni 63. Nam si iam antea, fortasse Iunio anni 62 esset scripta, multo aptius in priora volumina recipi poterat, ubi de vita ordinanda satis copiose agebatur. Quod si ita est, efficitur in secunda tertii corporis parte complectente epp. 80—88 colligenda occupatum fuisse Senecam post Iunium anni 63. Ver autem illud, quod memoratur ep. 67[1]), quia scripta est haec una cum reliquis eiusdem partis epistulis post epp. 80—88, non est ver anni 63 sed 64. Sunt vero ea, quibus ver memoratur, verba sumpta ex epistulae exordio adiecto, cum ederentur omnes. Editum ergo est corpus III continens de summo bono decreta circiter vere vel aestate anni 64.[2])

Iam in eo non est offendendum, quod ep. 70_1 Pompeiorum fit mentio, cladis uno anno ante factae memoria non redintegrata, neque quod dicit ibi Seneca post longum intervallum se Pompeios venisse.[3]) Nam re vera multo antea scripta est ep. 49. Sed iam adeo probasse mihi videor sententiam meam, ut ne tum quidem corrueret, si scriptoris silentio maior vis esset tribuenda, quod ipse nego. Dixi enim[4]) exordium non satis arte cohaerere cum ipsa epistula. Poterat igitur ex veris litteris iam ante illam cladem et ante ep. 49 scriptis tunc demum recipi. Reliquam vero partem nemo, ut opinor, poterit e compagibus suis eripere, quibus sententiarum conexu tenetur inter epp. 53—71. Accedit aliud. Ex mea computatione hoc totius partis caput paenultimum compositum est vere anni 64. Ad hanc sententiam quadrat quod §. 26 Seneca loquitur de *„secundo naumachiae spectaculo"*. Edidit enim Nero in theatro bis pugnam navalem, anno 57[5]) et anno 64.[6]) Alteram secutae sunt, ut Dio tradit[6]), epulae a Tigellino incredibili luxuria paratae in eodem theatro. Tacitus, quamquam pugnam navalem silentio praetermittit, narrat tamen Tigellini epulas.[7]) Ergo quin vera tradiderit Dio, non est dubitandum. Atqui cadunt epulae illae, ideoque etiam pugnae navalis ludus, in anni 64 initium. Nihil enim ante illas Tacitus[8]) prodit esse gestum nisi Neronem fecisse itinera Neapolim et Beneventum, ut ibi in scaena

---

1) cfr. p. 614.

2) Elucet nunc, quam falsa collectione usus sit Martens (cfr. supra p. 615. 622), ut demonstraret Lucilium anno 63 iam non fuisse Siciliae procuratorem. Tamen huius coniecturam non prorsus reicio, cum non modo scriptoris silentio (ep. 72. 79) sed etiam testimonio (68_1. $_{12}$. 69_2) idem efficiatur, Lucilium se in otium recepisse cum scriberentur epistulae 53—88, quod factum est post epp. 1—52 confectas, i. e. post annum 62, etsi tam accurate, quam ille conatus est, id tempus definire non possumus.

3) cfr. supra p. 617. 625.

4) cfr. supra p. 650. 651.

5) Dio 61, 9_5. 6) Dio 62, 15_1. 7) A. XV 37.

8) A. XV 33—37.

caneret, et Torquatum Silanum accusatum mortem sibi conscivisse. Uterque post illum ludum Romae narrat incendium, quod accidit a. d. XIV Kal. Aug.[1]) Tacitus etiam intericit Neronis cum Pythagora nuptias celebratas paulo post pugnam navalem. Quid ergo obstat, quominus credamus eam esse actam vere anni 64? Huc non dubito referre Senecae verba, quippe quae aliter interpretari nequeam.[2]) Habetis igitur alterum testimonium, quo probatur vere vel aestate anni 64 corpus III esse editum.

Iam paucis comprehendam, quid sentiam de epp. 53—88 compositione et ordine. Constituit Seneca, postquam edidit epp. 1—52, novum epistularum verarum corpus de summo bono accuratius scriptarum edere (72—79). Lucilio suadente (85_1) cum his coniunxit alterum volumen (80—88), quo agebat de Stoicorum collectionibus ad commendandam virtutem pertinentibus. Huius maiorem saltem partem post illas iam eo animo conscripsit ut ederet (80? 82. 83. 85. 87. 88?). Ibi cum iterum bis esset coactus singulas quaestiones distribuere in binas epistulas, cognovit multo commodius has de summo bono sive de virtute quaestiones posse explicari, si omnia uno tenore conscriberentur. Totam igitur disputationem redintegravit et nullis intervallis absolvit, sed ut pristinam sibi servaret libertatem, epistularum formam retinuit (53—71). Atque hanc partem, tempus si respicis, ultimam, nescio qua de causa ante reliquas duas posuit. Omnibus absolutis, ut ederentur, adiecit ep. 75 recens scriptam, ut se excusaret, fortasse etiam ep. 73 tunc demum reliquis adiunxit.

Hoc si recte exposui, non est, cur diu quaeramus editorem. Apparet enim hoc tantum corpus complectens tam varia epistularum genera in eum, quem nunc reperimus, iustum sententiarum ordinem contrarium temporis ordini redigi non potuisse nisi a scriptore ipso.

Sed etiam separatum est editum. Nam absolutum id esse intellegitis. Esse vero segregandum a prioribus libris satis opinor me demonstravisse. Atqui cum sequentibus non magis id posse coniungi, quam cum antecedentibus, mox ostendam. Itaque, nisi potius creditis etiam hoc corpus absolutum atque confectum iusto diutius latuisse in Senecae scriniis, eam quam explicavi amplectemini sententiam.

1) Tac. A. XV 41.

2) Lipsius, cuius verba repetiit Ruhkopf, adnotavit: „Bis dedit naumachiam Nero: alteram intelligit. Possis et ad diem spectaculi alteram referre.“ Illud ipse credo, hoc nego atque reicio. Nusquam traditur, per biduum navibus in theatro esse pugnatum (Dio 61, 9_5: καὶ μετ᾽ αὐτὴν τὸ ὕδωρ εὐθὺς ἐξήγαγε. 62, 15_1: καὶ μετὰ τοῦτο τὸ ὕδωρ ἀφεὶς q. s.) neque per se credibile est, neque ipsa Senecae verba hanc admittunt interpretationem. Tamen necessaria est eis, qui credunt temporis ordinem esse servatum; vix enim XII qui sequuntur libros, quibus addendi sunt II a Gellio laudati, post ver anni 64 usque ad mortem suam conficere poterat Seneca. Ruhkopf vero iam anno 58 putavit illa verba esse scripta. De re ipsa cfr. Schiller, Nero, p. 542/3. Friedländer, Sittengeschichte Roms, ed. V. 1881. II p. 367—8.

De corpore IV.
(Libris XIV—XX, epp. 89—124.)

Denique quarti corporis (epp. 89—124) argumenta proponam.

XIV. 89: Philosophia dividitur in tres partes: moralem, naturalem, rationalem: omnia vero ad mores sunt referenda. 90: Eae artes, quibus in cotidiana vita utimur, non sunt inventae a sapientibus. 91: Cladibus fortuitis sapientis animus non movetur; scit enim inter peritura se vivere et, si minus placet vita, exitum patere. 92: Sed ne augeri quidem potest neque mutari beata vita, quam praestat philosophia, accedentibus commodis et voluptate. Reicienda igitur est Epicuri secta.

XV. 93: Accipe solatia de morte Metronactis philosophi. 94: Ut mores emendentur, adhibenda sunt praecepta et consolationes, 95: sed antecedant decreta.

XVI. 96: Nihil est in vita miserum putandum, sed aequo animo necessaria sunt excipienda, velut vitae incommoda; nam deo est non tantum parendum, sed etiam assentiendum. 97: item hominum vitia; nulla enim aetas illis vacabat, neque ulla culpa carebit poena. 98: Fortunae casus magis sunt cavendi quam timendi. 99: Aequo animo ferendae sunt propinquorum mortes; nam omnes idem manet exitus, qui nihil mali habet. 100: Non reprehendenda sunt verba et compositio in philosophorum libris, si sententiae sunt rectae.

XVII. 101: Stultitiae est aetatem disponere ne crastini quidem dominum; vitae cupido potius est excutienda. 102: Animus enim aeternus est. Itaque illud est agendum dum vivimus, ut etiam post mortem contingat nobis claritas, quae non tantum laudantis est bonum, sed etiam laudati. 103: Interim hominis officio fungamur et in philosophiam secedamus.

XVIII. 104: Ut securi vivamus non loca sunt mutanda, sed animus est exercendus, ut contemnat eventura. 105: Ut ab hominibus tuti vivamus, cavendum est, ne eos offendamus. Virtutem igitur sequamur neque quicquam iniqui faciamus. 106: Omne bonum corpus est sicut virtutes et omnes adfectus. 107: Quaecumque accidunt, a deo mittuntur, cui si parebimus, ducemur, non trahemur. 108: Ut philosophiae magister prosit discipulo, necesse est docenti et discenti idem sit propositum. Optime autem omnia trahuntur ad propositum beatae vitae. 109: Prodest etiam sapienti sapiens; exercent enim invicem virtutem et vitae communis consilia inter se communicant.

XIX. 110: Ut a timore liberemur, distinguendum est inter supervacanea et necessaria. Illa, quae desiderant laborem sudoremque, sunt contemnenda, haec cupienda, sed ubique occurrent. 111: Cavillationes non tantum supervacaneae sunt, sed etiam nocent, cum specie subtilitatis animum inductum teneant et morentur. 112: Distin-

guendum est inter eum, cui vitia stomachum fecerunt, et eum, cui invisa sunt. Hic potest sanari, ille non item. 113: Distinguendum est inter animum et animi actiones. Animus animal est, actiones animi non item, neque virtutes neque vitia. 114: Talis hominum oratio est, qualis vita; utraque enim regitur animo. Itaque si in vitia declinat oratio, animo ante omnia est curatio adhibenda. 115: Philosophi igitur in libris conscribendis rebus potissimum, non verbis debent operam dare et ante omnia id agere, ut animi componantur. 116: Adfectus omnes sunt eiciendi, non tantum immodici. Sed etsi cupere vetamur, velle permittendum est. 117: Ridiculum est distinguere inter sapientiam et sapere. Si sapientia bonum est, sapere quoque bonum est habendum. Sed doceamus potius sapientiam esse expetendam.

XX. 118: Bonum fit societate honesti. Honestum utique per se bonum est. Bonum autem est quod perfecte secundum naturam est. 119: Brevissimum igitur ad divitias iter est per contemptum divitiarum; hoc enim est ad naturam reverti, quae perpauca desiderat. 120: Boni honestique notitia per analogiam ad nos pervenit. 121: Ut secundam naturam vivamus, necesse est intellegamus constitutionem nostram. Huius vero sensum natura dedit etiam mutis animalibus. 122: Contra naturam vivunt, qui diem nocte mutant propter vitae communis fastidium. 123: Avertendae igitur sunt aures ab eis, qui suadent luxuriam, et dirigendae ad vera Stoicae sectae praecepta. 124: Verum bonum non comprehenditur sensu, sed intellectu; ergo neque contingit mutis animalibus neque infantibus, sed viris adultis.

Libro igitur XIV ut in exordio philosophia in partes dividitur et, quae illa nobis praestet, quae non praestet, accurate exponitur. Libro XV Seneca docet, ut mores corrigantur, opus esse et praeceptis et decretis. Sic via munita transit ad singulas philosophiae moralis locos singulis libris tractandos. Itaque libro XVI praecipit, quo animo quaecumque a fortuna mittantur, sint excipienda, libro XVII agit de cura rerum post mortem futurarum, libro XVIII ostendit, qua via ad vitam beatam, scilicet tutam et securam perveniamus, libro XIX monet, ut et in vita et in philosophia res recte aestimemus et internoscamus, denique libro XX explicat boni honestique vim atque notionem.

Hoc corpus a reliquis esse diversum iam intellegimus ex ipsarum epistularum ratione. Nam est quidem sicut in corpore tertio recepta dialogorum species[1]), sed adversariorum sententiis multo maius spatium est tributum, quam antea, atque adeo haud paucarum paragraphorum orationes sunt insertae.[2]) Neque ut in antecedentibus

---

1) 90_{16}. $92_{3.\,11.\,14.\,17}$ etc. $95_{4.\,6}$ etc. 96_{4}. $98_{1.\,16}$. 100_{10}. $102_{12.\,14.\,18}$. 107_{5}. 108_{5}. 109 passim. 113 passim. 117. 121. 124 al.

2) 89_{19-22}. 102_{8-10}. $108_{20-21.\,25-27}$. 110_{14-20}. $123_{10-11.\,16}$.

voluminibus refertur tantum copiosius, quid veteres philosophi censuerint, sed uberiora fragmenta allata sunt ex eorum scriptis sumpta, laudatae sunt etiam recentium voces vel sermones. Atque invenimus non variorum [1]), sed Stoicorum et Cynicorum in primis allatas sententias [2]), aliorum perpauca occurrunt dicta. [3]) Praeter ceteros vero saepissime ita laudatur Posidonius, ut Seneca, quae non ex suo ingenio promere poterat, velut vafras collectiones et minutas distinctiones, ex illius potissimum scriptis videatur hausisse [4]), etsi subinde eiusdem existit adversarius. [5]) Sed etiam ceteri Stoici non tantum laudantur sed etiam saepius impugnantur. [6]) Adde quod multo saepius quam antea occurrunt exempla ex historia petita eaque fusius enarrata. [7])

Deinde neglectis omnibus aliis indiciis si argumentis epistularum 89—124 inspectis consideraveris, quam iusto sententiarum ordine liber librum excipiat, vix dubitabis quin arte atque consilio omnia sint conscripta et collecta. Novum autem corpus individuum effici his septem libris vel e libri XIV argumento et compositione satis elucet. Neque enim in singulis quaestiunculis versatur Seneca, sed tamquam integram sit tractaturus materiam neque antea iam satis multa verba fecerit de philosophia morali, disputat epp. 89—92 in universum de totius philosophiae vi atque ratione, in partes distribuit ingens illius corpus, explicat, quae a philosophia eiusque parte morali sint aliena et segreganda. Deinde cunctos si respicis libros, non in una re demonstranda explicandaque est occupatus, sed omnes philosophiae moralis locos certa usus via atque ratione videtur voluisse comprehendere.

Quid ergo aliud sunt haec volumina nisi moralis philosophiae commentarii? Nam id sibi consilium fuisse, ut omnia exponeret, quaecumque magis minusve ad mores pertinerent, ipse Seneca haud semel dixit. Atqui erant hac in philosophiae parte permultae res tractatae a veteribus philosophis, quas etsi ad corrigendos mores nihil adferebant, non iudicabat esse praetereundas. Infulsit igitur libris suis quaestiones illas omni sale carentes: num omne bonum esset corpus, utrum virtutes essent animalia an corpora, alias [8]), sed excusavit se 121_1 hisce verbis: *„Litigabis, ego video, cum tibi hodiernam*

---

1) ut in corpore III. cfr. p. 646.

2) Cleanthis 94_4. Aristonis Chii 94_{5-17}. 115_8. Antipatri 92_5. Archidemi 121_1. Panaetii 116_5. Attali 108_3. 110_{14-20}. Fabiani Papirii 100. Sotionis $108_{20.\ 21}$. Diogenis Cynici 90_{14}. Demetrii 91_{19}.

3) Phaedonis Eretrii unum 94_{41}. Epicuri duo 92_{25}. 97_{13}. Metrodori unum 99_{25}.

4) Posidonii τοῦ ἠθικοῦ λόγος? Diog. Laert. VII 91. cfr. supra p. 659.

5) Ep. 90 semper fere contra Posidonium disputat de artium inventione, aliis de rebus 92_{10}. 94_{38}. 95_{65}. 113_{28}, alibi eundem summis laudibus effert: 90_{20}. 104_{22}. 121_1.

6) 90_5 sq. 92_5. 94_5 sq. $_{38}$. 117_1. 121_1 etc.

7) $95_{42.\ 69-73}$. $98_{12.\ 13}$. 104_{27-34}. 113_{29}. $120_{6.\ 7}$ etc.

8) cfr. 102. 106. 113. 120. 124 al.

quaestiunculam, in qua satis diu haesimus, exposuero. iterum enim exclamabis: „hoc quid ad mores?" . . . non quicquid morale est, bonos mores facit. Aliud ad hominem alendum pertinet, aliud ad exercendum, aliud ad vestiendum, aliud ad docendum, aliud ad delectandum: omnia tamen ad hominem pertinent, etiamsi non omnia meliorem eum faciunt: mores alia aliter attingunt: quaedam illos corrigunt et ordinant, quaedam naturam eorum et originem scrutantur. Cum quaeritur, quare hominem natura produxerit, quaeritur, quare praetulerit animalibus ceteris, longe me iudicas mores reliquisse? q. s." In prioribus igitur libris, etsi in illis quoque studuerat emendare hominum mores, tamen singulis in praeceptis erat occupatus, corpore III unam rem, decretorum summam, exposuerat, his vero libris id egit, ut philosophiae moralis praecepta complecteretur omnia, ut continuos scriberet commentarios. Ea de causa praemisit totius philosophiae divisionem et copiosa disputatione de praeceptorum et decretorum indole ostendit, quam utilia essent utraque, ne cum haec iam corpore priore exposuisset, nunc illis tradendis operam esset navaturus, in inane videretur esse cursurus aut cucurrisse. Eadem de causa etiam ea retractavit in contextu operis, quae iam in prioribus voluminibus exposuerat vel attigerat.[1]) Atque quam diligenter omnia sint ordinata, nonne vel inde cognoscitis, quod singulos locos singulis tractat libris neque aliae huius corporis apparent partes, quam libri ipsi? Quin adeo in prima cuiusque libri epistula totius argumentum indicatur.[2])

Tum numquam tam artis vinculis hae epistulae sunt coniunctae quam epp. 53—71, 82. 83. 85. 87. Nam etsi argumentis se invicem excipiunt, tamen non altera alterius quaestio continuatur, sed singulis singulae quaestiones ad finem perducuntur cohaerentes cum totius libri argumento, neque ubi materia ipsa copiosiorem desiderabat disputationem, in partes divisa est[3]), sed ingentes epistulae sunt compositae[4]), quae certe legentis sinistram manum impleverunt. Neque vero varias res una epistula complexus est scriptor, sed omnia in capita sua divisit, etsi deinceps tractavit.[5])

Denique ipsarum epistularum non artificiosa excogitata sunt exordia, sed semper fere statim in medias res progreditur Seneca plerumque fingens Lucilium aliquam proposuisse quaestionem.[6])

Quibus rebus differant epp. 89—124 a prioribus videtis. Nunc age accuratius perscrutemur, quae sit earum propria ratio atque natura.

---

1) Ep. 98 cfr. 14. ep. 104 cfr. 28. 55. ep. 108 cfr. 38. ep. 111 cfr. 45. 48. 49. ep. 115 cfr. 75. ep. 119 cfr. 62_3 etc.

2) $89_{1.\ 18}$. 94_4. 101_{15}. 104_{22}. 110_{11}. 118_8.

3) quod factum videmus esse in epp. 44. 47 et 45. 48. 49 et 82. 83 et 85. 87. cfr. supra p. 639. 657/8.

4) 94. 95 cfr. 95_3. 5) 108. 109.

6) 89_1. 92_1. 94_1. 95_1. 97_1. 98_1. 100_1. 102_3. 105_1. 106_3. 108_1. 109_1. 111_1. 113_1. 114_1. 115_1. 116_1. 117_1. 119_1. 120_1. 121_5. 122_2. 124_1.

Ac primum quidem illud elucet, non omnes saltem esse veras epistulas. Nam ep. 89 et 94 et 95 vix credo Senecam scripturum fuisse, nisi ut ederet. Adde quod ipse disertis verbis indicat, se non semper Lucilii expectasse epistulas, sed ultro et in antecessum suas ad illum dedisse, atque eas epistulas, quibus singulae tractarentur quaestiones ad philosophiam moralem pertinentes.[1]) Tales etsi missas putamus esse ad Lucilium, tamen non sunt eae, quas intellegimus veras. Sunt, quod recte iam Lipsius vidit, cotidiana μελετήματα[2]), fortasse Lucilio, ut legeret, antequam ederentur, tradita. Certe si tabellarius non statim aderat, complures *„epistulae"* una dandae erant et videntur esse datae.[3])

Haec omnia cum animo reputarem, paene suspicabar huius quoque corporis capita deinceps esse scripta interpositis tantum epistularum titulis. Certe ep. 95 excepit 94[4]), 109 excepit 108.[5]) Sed praeter hos paucos locos rarissime scriptor omnino respicit eiusdem corporis capita.[6])

Deinde non tam arte quam antea singulas epistulas inter se esse conexas iam vidimus.[7])

Accedit, quod nonnullas certis argumentis confido me posse demonstrare iustas esse epistulas. Ep. 91 Seneca exponit, quibus argumentis solatus sit Liberalem Lugdunensem patria eius incendio vastata. Unde haec sumpsit solatia? arbitror e litteris ad Liberalem missis.[8]) Item ep. 99 legentes statim miramur eodem modo atque in 91 enumerari ea solatia, quae Marullo miserat Seneca. Ipse (§. 1): *„epistulam,* inquit, *quam scripsi Marullo . . . misi tibi."* Iam suspicamur, utraque quae legimus solatia ita fluxisse ex alienis epistulis, ut praeter inscriptionem haud multa mutarentur. Quod verisimilius videbitur, si legeritis totam epistulam 99, praesertim §. 13. 14: *„Non debes itaque causas doloris accersere nec levia incommoda indignando cumulare. Non hortor, ut nitaris et surgas. non tam male de te iudico, ut tibi adversus hoc totam putem virtutem advocandam. non est dolor iste, sed morsus: tu illum dolorem facis"* et 32: *„Haec tibi scripsi, non tamquam exspectaturus esses remedium a me tam serum. liquet enim mihi te locutum esse tecum, quicquid lecturus es: sed ut*

---

1) cfr. 106_3. 108_{1}. $_{39}$. 118_1. 119_1.

2) Ipse Seneca subinde idem videtur significare. cfr. 94_{52}. 95_1. 121_1.

3) 109_{17} cfr. 108_{39} vide quae supra disserui p. 626.

4) 95_1: *Petis a me, ut id, quod in diem suum dixeram debere differri, repraesentem.* cfr. 94_{52} *huic quaestioni suum diem dabimus.*

5) 109_{17}: *persolvi quod exegeras.* cfr. 108_{39}: *in alteram epistulam integrum, quod exegeras, transferam.* De epp. 102_8 et 121_{18} nolo certius quid contendere. Illam enim aperte antecedit lacuna maior (cfr. Theod. Birt, das antike Buchwesen, Berolini 1882, p. 325) et utriusque verba huc pertinentia dubitatur an sint recte tradita.

6) 110_8 cfr. 89_5. 113_{32} cfr. 103_5. 120_8 cfr. 118_{10}. 123_8 cfr. 108_{36}.

7) p. 666.

8) cfr. 91_{13}: *Haec ergo atque eiusmodi solatia admoveo Liberali.*

castigarem illam exiguam moram, qua a te recessisti et in reliquum adhortarer, contra fortunam tolleres animos et omnia eius tela, non tamquam possent venire, sed tamquam utique essent ventura, prospiceres." Quis est, quem fugiat, haec non scripta esse ad Lucilium instituendum, sed his verbis Marullum ipsum, aegrum dolore, esse admonitum ut animum tolleret contra fortunam? Itaque erant, qui putarent epistulam ad Marullum datam integram esse receptam et incipere a verbis (§. 2): „*Solatia exspectas? q. s.*".[1]) Quod falsum est. Quis enim, quaeso, illis verbis incipit scribere litteras? Deinde nonnumquam aperte Seneca verba ad Marullum scripta mutavit et Lucilianis epistulis accomodavit, velut §. 29: „*illud potius admone*" pro: „*admoneo*", et §. 31: „*Illud quoque dicamus ei, qui deflet ac desiderat in aetate prima raptum*", pro: „*tibi, qui defles ac desideras*". Efficitur nonnullas epistulas, quas ad alios miserat Seneca, ceteris ita accomodatas, tamquam ad Lucilium essent scriptae, in haec volumina esse receptas.

Suspicor vero esse in his libris etiam veras epistulas ad Lucilium datas, quo in numero nescio an sit ponenda ep. 100, quam si editurus scripsisset, puto Fabiani Papirii libros denuo Senecam fuisse inspecturum[2]); item ep. 101, qua narrat Senecionis mortem subitam, 104, qua suum ipsius morbum nuntiat et iter factum in Nomentanum suum, 123, qua scribit itinere incommodo se pervenisse in Albanum suum, neque habeo, cur ex hoc numero eximam consolationem de Metronactis morte scriptam ep. 93. Deinde epistularum 96 et 112 tam abrupta sunt initia, ut vix credam umquam Senecam sic coepisse scribere disputationes.[3]) Accedit, quod 112_1 amici nomen desideratur. Sed ne epistulas quidem quisquam sic incipit. Ergo partes hae sunt verarum epistularum propter argumentorum similitudinem in hunc ordinem receptae.[4])

Unam praeterea mihi videor invenisse, quae antea neglecta erat, nunc suo loco recepta est, ep. 111. An creditis, postquam 45_5 scripsit Seneca: „*Multum illis temporis verborum cavillatio eripuit et captiosae disputationes*", et §. 8: *idem de istis captionibus dico: quo enim nomine potius sophismata adpellem?*" et 82_8: „*qui cavillationibus tibi persuadere temptaverit mortem malum non esse,*" Lucilium in-

---

1) Lipsius adn. ad h. l.: „Hic ego incipere ipsam epistulam ad Marullum opinor, et totam deinceps ad finem poni." Idem dicit Ruhkopf, adn. ad h. l. Simile quid Haase sensit vol. III praef. p. XXVII lin. 6: 'Ep. 99_2. scribe: *esse, „solatia.*' Putabat igitur inde incipere orationem rectam; quae ubi esset claudenda non indicavit.

2) 100_{12}: *Talia esse scripta eius non dubito, etiamsi magis reminiscor quam teneo haeretque mihi color eorum non ex recenti conversatione familiariter, sed summatim, ut solet ex vetere notitia.*

3) 96_1: *Tamen tu indignaris.* 112_1: *Cupio mehercules amicum tuum formari.*

4) De ep. 98 non audeo sententiam ferre. Nomen enim, quod desideratur, fortasse legebatur in eis, quae inter §§. 14 et 15 interciderunt.

terrogaturum fuisse: „*quid vocarentur Latine sophismata?*" Has igitur omnes: 91. 93. 96. 99. 100. 101. 104. 111. 112. 123 iustas arbitror esse epistulas.

Nonne intellegitis omnia illa epistularum genera, quae iam in primo corpore invenisse mihi videbar, iterum occurrere? Eas vero, quas recens scriptas adiecit Seneca, cum eo differant a prioribus, quod non tam arte coniunctae sunt, puto ita esse compositas, ut in quam potissimum Seneca incidisset quaestionem, eam statim uno capite absolveret, iam id respiciens, ut philosophiae moralis locos comprehenderet omnes. Sed per se verisimile est, eum non ab alio loco transiluisse ad alium longe alienum, sed quae argumentis cohaerebant deinceps in memoriam ei venisse et esse tractata. Itaque etsi eius verba nolo urgere neque contendere ep. 94 vel 95 uno die esse confectam, suo iure loqui poterat de cotidianis quaestiunculis [1]), poterat singulas quaestiones *in suos dies differre* [2]), si qua de re interrogabatur a Lucilio, quam his in libris erat tractaturus, „*e serie rerum cohaerentium excerpere*" aliquid debebat. [3]) Sed poterat etiam veras epistulas, quibus philosophiam moralem attigerat, facile ceteris accommodatas suo loco inserere [4]), alias sic statim componere, ut possent inter reliquas edi [5]), et si quas omiserat quaestiones, nullo negotio intericere vel addere.

Atque interiecisse eum puto eas potissimum, quibus Stoicorum cavillationes tractavit iterum Lucilio impellente. Legimus enim 102_4: „*Quod interrogas, mi Lucili, eiusdem quaestionis est, loci alterius, et ideo non hoc tantum, sed alia quoque eodem pertinentia distuleram. quaedam enim, ut scis, moralibus rationalia inmixta sunt. itaque illam partem rectam et ad mores pertinentem tractavi* ... 5. *Haec omnia ad mores spectant: itaque suo loco posita sunt: at quae a dialecticis contra hanc opinionem dicuntur, segreganda fuerunt et ideo seposita sunt. Nunc, quia omnia exigis, omnia, quae dicunt, persequar, deinde singulis occurram.*" Ex his verbis discimus, Senecam primum explicavisse, quae ad mores pertinent et constituisse postea seorsum tractare rationalia. In nostris vero voluminibus leguntur nonnulla rationalia mixta cum illis. [6]) Mutavit igitur aliquo modo scriptor consilium amico hortante. De aliis epistulis, quas, si me auditis, Lucilii consilio debemus infra agam. [7])

In antecedentibus cum explicavi, quae esset epp. 89—124 natura, illud quoque ostendi, quo ordine essent conscriptae. Restat, ut investigemus, quo tempore sint collecti hi moralis philosophiae commentarii. Nam quando singulae epistulae sint compositae, vix est qui enucleet, cum temporis ordo in colligendis non accurate sit ser-

---

1) 121_1. 2) 94_{52}. 95_1. 3) 106_3. 4) 91. 99. 111.
5) Earum indicem supra proposui.
6) 102. 106.
7) Epp. 106. 109. cfr. infra p. 673 sq.

vatus (cfr. ep. 111). Atque iure haec volumina ultimum locum tenere vel inde elucet, quod 93_1 de Metronactis morte loquitur Seneca, cuius vivi mentionem fecerat 76_4. Certe multo post primum corpus videtur quartum esse collectum; nam 104_7 laudat scriptor Socratis vocem, oblitus eandem iam esse laudatam 28_2. Nullo enim verbo significat, se eam e prioribus libris repetiisse.[1])

E priorum voluminum comparatione id efficitur. Idem apparebit, si externa conquiremus temporum vestigia. Lucilium enim numquam Seneca appellat procuratorem Siciliae, ne dicit quidem eum extra Italiae fines versari, immo nisi 105_1 eo animo scripsit, ut omnino exemplum quoddam proponeret, in praedio Ardeatino ille habitabat.[2]) Semel Lucilii memorat occupationes, sed incertum est utrum publicas an privatas velit intellegi.[3])

Se ipsum in his quoque libris senem esse dicit[4]), otio se frui narrat[5]), et vitium culturam *suum* appellat *artificium*[6]), denique ita commendat frugalitatem, ut vehementer admonitus sim Taciti[7]) verborum, quibus narrat anno 64 post Romae incendium Neronem temptasse veneno interficere Senecam, ab hoc vero periculum esse vitatum *„cum persimplici victu et agrestibus pomis ac, si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerasset“*. Antea enim[8]) Seneca iusserat corpus frugalitate exerceri, non puniri; nam *contra naturam esse faciles odisse munditias et cibis non tantum vilibus uti, sed tetris et horridis.* Nunc contrarium suadet, ut etiam *sordido pane et herbis vescamur*[9]) et *aqua ex lacu proximo excepta sitim extinguamus*[10]) et *necessarium* dicit *esse parvo adsuescere, cum multae difficultates etiam locupletibus* hanc possint imponere necessitatem.[11]) Non repugnat sententiae meae, quod suspicati sumus bis respici Christianorum vexationes[12]), etsi hoc argumento tamquam certo esse utendum ipse nego. Atque ultimum certum temporis vestigium reperimus in ep. 91 scripta post Lugduni incendium quod accidit post cladem Romanam.[13]) Neque enim, quas post illam legimus, omnes post illam sunt scriptae. Immo: de quibusdam contrarium est verisimilius.

Velut ep. 104_1 narrat Seneca ex Urbe febri vexata se fugisse

1) Ceteri loci eiusmodi sunt, ut nolim eis coniecturam meam fulcire. Illis enim, ne acta ageret, videtur paucis repetiisse et quasi concessa sibi sumpsisse, quae dicenda erant, antea iam fusius enarrata. Numquam vero aperte priora laudat volumina. Sed cum alii fortasse maiorem vim eis tribuant, enumerabo omnes: 93_1 cfr. 63_7. 93_6 cfr. 61_1. 93_{10} cfr. 26_8. 100_{12} cfr. 64_5. 101_8 cfr. 77_4. 101_{15} cfr. 26_{10}. 104_3 cfr. 70_4. 104_7 cfr. 55_8. 104_{10} cfr. 30_{17}. 109_{16} cfr. 20_5. 124_{11} cfr. 66_{11}. 98_{18} cfr. 77. 78. (?)

2) *Tu tamen sic audias censeo ista praecepta, quomodo si tibi praeciperem, qua ratione bonam valetudinem in Ardeatino tuereris.* Eandem sententiam defendit Ruhkopf, adn. ad h. l.

3) 107_1: *Servi occupationes tuas occasionem fugae putaverunt.*

4) $108_{17 \cdot 23}$. 5) 106_1. 6) 112_1. 7) A. XV 45 i. f.

8) 5_5. 9) 110_{12}. 10) 119_3. 11) 123_3.

12) 90_{45}. 95_{33}. cfr. supra p. 617 et quae addidi in adn. 2.

13) cfr. supra p. 618—619.

in Nomentanum suum. Constat autem febrem insidere illis regionibus per menses Augustum usque Octobrem. Sed illam ex veris esse coniecimus epistulis[1]), quae quo anno scriptae sint, non liquet. Itaque huic testimonio minus momenti tribuerem, nisi iterum Senecae verba mirum quantum congruerent cum Taciti verbis. Hic enim tradit[2]) post Romam incensam cum ne numinum quidem simulacris parceretur, ut pecunia colligeretur ad Urbem restituendam, Senecam *„quo invidiam sacrilegii a semet averteret, longinqui ruris secessum oravisse, et cum non concederetur, ficta valetudine quasi aegrum nervis cubiculum non esse egressum"*. Cum his congruunt, quae legimus ep. 104_1: *„In Nomentanum meum fugi, quid putas? urbem? immo febrem et quidem subrepentem."* Arserat autem Urbs a. d. XIV Kal. Sextiles.[3]) Sexto demum die incendium est exstinctum. Ergo circiter mense septembri anni 64 Seneca ex Urbe fugit non in fundum longinquum, sed in Nomentanum suum prope Romam situm, fortasse re vera aegrotans. Eodem mense scripta videtur esse ep. 104. Atqui ep. 91 composita est post cladem Lugdunensem, quae accidit aliquo tempore post Romae incendium. Iam enim Lugdunenses tributum Romam miserant.[4]) Ergo ep. 91 non poterat scribi ante ep. 104. Temporis igitur ordo est corruptus. Neque dubium est, qua de causa hoc sit factum. Rationalia enim Seneca seposuerat. In libro XVIII, cuius exordium est ep. 104, iam nonnulla ex his legimus moralibus inmixta.[5]) Libri vero XIX et XX toti pertinent ad rationalia. Agitur enim eis de rebus recte internoscendis atque aestimandis et de boni honestique notione. Ergo scripti sunt post libros XIV—XVIII. Sed inter rationalia nullus iam erat locus, ubi suo iure poneretur consolatio Liberalis. Itaque Seneca aptiore loco eam posuit in libro XIV, ut ostenderet, quanta vis inesset in philosophia ad fortunae casus aequo animo ferendos.

Nunc fortasse in colligendi tempore investigando ulterius progredi licet. Nam quoniam libri XIX et XX scripti sunt post libros priores ibique perpaucae occurrunt epistulae verae, nihil habeo, quo refellam S c h u l t e s s i i temporum computationes ad extremas epistulas pertinentes.[6]) Certe nihil obstat, quominus credamus ep. 122 scriptam esse non multo post aequinoctium a. 64.[7]) Lugduni incendium eodem iure, quo anno 65, potest adscribi anno 64 exeunti. Sequitur, ut absolutum fuerit corpus IV iam anno 64 exeunte.

Editorem nunc quaeritis? quasi in hunc ordinem, iterum subinde temporis ordini aperte repugnantem[8]) redigi potuerint epp. 89—124 ab alio, nisi a Seneca ipso. Certe epp. 91 et 99 ad alios datas nemo

1) cfr. supra p. 668. 2) A. XV 45. 3) Tac. A. XV 41.
4) Tac. A. XVI 13 cfr. supra p. 618 adn. 5.
5) 106 cfr. supra p. 669.
6) cfr. supra p. 624 adn. 3. 7) cfr. supra p. 614.
8) 91. 111 cfr. supra p. 668.

eis, quae ad Lucilium datae erant, accommodavit, nisi qui scripserat, neque alio consilio, nisi ut ederet. Itaque si totum corpus erat absolutum anno 64 exeunte, si Seneca vixit usque ad Aprilem anni 65[1]), quid est verisimilius, quam ab ipso etiam hoc corpus esse editum?

Tamen aliqua dubitatio remanebit. Incertum enim est, num integrum sit hoc corpus servatum. Si vero est truncatum, ex eis, qui perierunt, libris fortasse aliud sequeretur. Atqui laudat Gellius[2]) Senecae *epistularum moralium, quas ad Lucilium composuit, librum XXII*. Perierunt igitur non minus quam duo libri, fortasse plures. Itaque quaerendum est, utrum perditae epistulae ad idem corpus IV pertineant, an V corpus a Seneca sit publicatum aut collectum.

Certe aliquid deest in moralis philosophiae commentariis. Seneca enim, ubi philosophiae praecepta in genera dividit ep. 95_{47-54}, tria dicit esse; primum: *quomodo sint di colendi* (§. 47); deinde: *quomodo hominibus sit utendum* (§. 51); denique: *quomodo rebus sit utendum* (§. 54). In eis autem, qui servati sunt, libris de hominibus tantum agit et de rebus, illam, quae de deis est, partem vix attingit.[3]) Adiciendi igitur erant quidam de deorum cultu libri. Horum addendorum consilium cepisse se Seneca ipse significat 110_2: *„Postea videbimus, an tantum dis vacet, ut privatorum negotia procurarent."* Quae verba trahi non possunt ad eiusdem libellum, qui inscribitur *„de providentia"*. Nam ibi quoque 1_1 promittit in contextu operis fusius se esse probaturum praeesse universis providentiam et interesse nobis deum, et dicit *„placere sibi a toto particulam revelli et unam contradictionem manente lite integra solvere"*. Spectant igitur utraque verba ad epistularum libros post l. XX conscribendos.[4]) Neque obstare mihi videtur, quod ea epistula, quam laudat Gellius, de antiquis scriptoribus, Cicerone et Ennio, erat actum. Nam etiam ep. 100 de Fabiani Papirii libris scriptam infulsit Seneca loco, ut nobis videtur, minus apto.

Sed facile pars prior a sequenti poterat separari et seorsum edi, ne totius corporis ambitus iustum modum excederet. Itaque, etsi certis argumentis sententiam meam probare non queo, eo inclino, ut putem librum XXI fuisse V corporis exordium, praesertim cum 124_{23-24} clausula videatur corporis prioris, quippe quae paucis contineat eorum summam, quae antea ep. 89—124 erant disputata. Eadem de causa arbitror integrum esse corpus IV neque plures libros olim eo fuisse comprehensos, quam septem illos, qui nunc exstant, sed statim libro XXI actum esse de deorum cultu. Quod si ita est,

---

1) cfr. p. 602 adn. 2.
2) N. A. XII 2. 3) $90_{3.\,28}$. 92_{27}.
4) sicut 102_4 Seneca spectavit ad ll. XIX. XX. Fortasse eisdem de libris cogitavit ep. 16_6. cfr. supra p. 630. 669.

de eo tantum possumus dubitare, num illi de deorum cultu libri a Gellio laudati sint editi a Seneca ipso. Hoc alii enucleent.

Ambo vero corpora, IV et V, partes unius corporis amplioris sunt habendae, quod nomine moralis philosophiae commentariorum comprehendimus. Atque nescio an hi commentarii sint illi, quos Seneca Lucilio promiserat se esse compositurum. Dixerat enim ep. 39_1: „*Commentarios, quos desideras, diligenter ordinatos et in angustum coactos ego vero componam: sed vide, ne plus profutura sit ratio ordinaria quam haec, quae nunc volgo breviarium dicitur, olim, cum latine loqueremur, summarium vocabatur . . . sed utriusque rei tibi copiam faciam . . . Scribam ergo quod vis, sed meo more.*“ Constituit igitur non tam breviarium vel summarium in amici usum excerpere, quam suo more componere commentarios.[1] Illud enim intellexit non facile posse fieri, ideoque se excusavit 33_8. Hi vero libri XIV—XX sunt moralis philosophiae commentarii continui in Lucilii usum compositi. Quidni credamus hos esse eos, quos ep. 39 Seneca promiserat? Atque si iam tum cogitabat eos conscribere, non ita mirum videtur corpus IV tanto breviore tempore esse absolutum quam III. Non enim in novam materiam tunc incidit, sed res diuturna meditatione animo praeparatae conscribendae erant. Neque id mirum est, praemissum esse corpus III de summo bono compositum. Continet enim moralis philosophiae decreta, quae antecedere debent praecepta. Sed cum longius evagata esset decretorum enarratio, seorsum est edita, ut sequeretur corpus IV continens praecepta.

Moralis philosophiae commentarios nominavi epistularum VII libros extremos. Quid, si Seneca ipse hoc nomine eos est complexus? Legite quaeso 106_1: „. . . *quid ergo fuit, quare non protinus rescriberem ei, de quo quaerebas? veniebat in contextum operis mei. scis enim me moralem philosophiam velle complecti et omnes ad eam pertinentis quaestiones explicare. itaque dubitavi utrum differrem te an, donec suus isti rei veniret locus, ius tibi extra ordinem dicerem: humanius visum est tam longe venientem non detinere. Itaque et hoc ex illa serie rerum cohaerentium excerpam et, si qua erunt eiusmodi, non quaerenti tibi ultro mittam.*“ Si ipsius Senecae verbis credimus, Lucilius ex eo quaesiverat, num bonum corpus esset. Cui Seneca primum noluit statim respondere, quia de hac quaestione erat acturus in „*moralis philosophiae*“ libris, quos cum maxime componebat. Erat igitur ille, quidquid de ea re dicendum videbatur, ibi suo loco lecturus. Postea putavit, iam tunc illam quaestionem posse absolvi, et mutato consilio constituit, quid censeret statim enarrare. Quicumque haec legerit, exspectabit, ut illam disputationem inveniat in Senecae libris „*de philosophia morali*“. Invenitur autem in his epistularum voluminibus suo loco inserta. Egerat enim scriptor in eis, quae ante-

1) cfr. supra p. 642. Ruhkopf cogitat de *moralium* libris nunc perditis. At hi ipsi sunt *moralium* libri.

cedunt, de vita tranquilla et demonstraverat, qua via ad illud bonum perveniamus. Illud quoque adiciam: magnam portionem securitatis appellaverat nihil iniqui facere.[1]) Locutus igitur erat etiam de virtute, quod summum bonum esse censebat. Huc pertinebat illa dialecticorum quaestio ineptissima, num bonum corpus esset.[2]) Ergo epistula 106, qua Seneca responderat Lucilio interroganti, suo loco est interiecta et reperitur in illius „*de philosophia morali*" libris.

Eodem loco habendae sunt epistulae 108 et 109. Legimus enim 108_1: „*Id, de quo quaeris, ex his est, quae scire tantum eo, ut scias, pertinet. sed nihilo minus, quia pertinet, properas nec vis exspectare libros, quos cum maxime ordino, continentes totam moralem philosophiae partem. statim expediam: illud tamen prius scribam, quemadmodum tibi ista cupiditas discendi, qua flagrare te video, digerenda sit, ne ipsa se impediat.*" Qua re explicata §. 39 sic pergit: „*Quoniam quae volueram ad te perferre, iam dixi, nunc desiderio tuo satisfaciam et in alteram epistulam integrum, quod exegeras, transferam.*" Deinde postquam ep. 109_{1-17} exposuit, quod scire desiderabat Lucilius, „*num sapiens sapienti prodesset*", haec addidit: „*Persolvi quod exegeras, quamquam in ordine rerum erat, quas moralis philosophiae voluminibus complectimur.*"

Haec si legeris animo alienis opinionibus non praeoccupato, intelleges Lucilium proposuisse illam quaestionem, Senecam vero non statim ei respondisse, sed antea explicavisse, philosophiae studium tum demum esse salutare, si omnis philosophorum auditio et lectio traheretur ad propositum beatae vitae. Cur, interrogo, illam antea tractavit quaestionem et quomodo evenit, ut utraque epistula in his potissimum libris legatur? Venit Lucilii interrogatio in contextum operis philosophi. Omnes enim reliquas libri XVIII epistulas iam dixi spectare ad vitam beatam atque tranquillam. At inter eius instrumenta philosophiae studium non erat praetereundum, sed paucis saltem repetendum, quomodo ipsum illud studium esset instituendum, ut magistrorum praecepta nobis fierent salutaria. Item erat docendum, num etiam ei, qui iam ad summum illud bonum pervenisset, salutaris esset aut omnino necessaria sapientis consuetudo atque illa quaestio hanc debebat antecedere. Utramque, certe priorem cum Seneca animo volveret, intervenit Lucilii epistula. Itaque ne ordinem converteret, illam quaestionem prius absolvit, deinde adiecit, quae amico erant respondenda, „*quamquam in ordine rerum erant, quas moralis philosophiae voluminibus complectebatur*". Sed cum constituisset singulis epistulis singulas res tractare, non unam, sed duas composuit „*epistulas*", quas fortasse una misit ad amicum.

---

1) 105_7.

2) Etiam Didymus Stoicorum tradens dogmata postquam de virtutibus egit, narrat virtutem ab eis corpus dici. Vide eius epitomen ethicam servatam in Ioannis Stobaei anthologio (ll. I. II ed. C. Wachsmuth. Berol 1884. II 7, $5^{b\,7}$.

Apparet, si cogitabat Seneca tales quaestiones complecti *„moralis philosophiae voluminibus"*, intellegendos esse hos ipsos epistularum libros XIV—XX, in quos eas, de quibus agimus, videmus receptas esse, neque vero alios, nunc perditos, de quibus tamen cogitaverunt plerique viri docti. Accedit, quod non dicit, se *„conscribere"* novum quendam librum, sed *„complecti"* vel *„ordinare"*, quae verba optime quadrant ad eam rationem, qua usum esse Senecam in his libris conficiendis supra demonstravi.[1])

Iam erunt, qui mihi opponant Lactantii auctoritatem, ter laudantis[2]) verba sumpta e Senecae *„libris moralis philosophiae"*, quae in eis, quae servatae sunt, epistulis non leguntur. At duo ex illis[3]) aperte pertinent ad deorum cultum, sumpti igitur sunt e corpore V et frustra quaeruntur in nostris codicibus, neque tertius locus[4]), quo describitur homo honestus, ab eodem argumento abhorret. Nam alibi quoque Seneca hominem honestum comparavit cum deo.[5])

Haase etiam quattuor alios locos[6]) a Lactantio laudatos eisdem tribuit voluminibus, quos non video cur *„moralibus libris"*, quos ego intellego, derogem, etsi non disertis verbis nominantur. Omnes enim pertinent ad deorum cultum.[7])

Iam ad finem perveni. Sunt igitur, ut paucis complectar, quid sentiam, Senecae ad Lucilium epistularum seorsum ab ipso edita IV vel V corpora:

I. Adhortatio ad philosophiae studium (ll. I—III epp. 1—29) anno 62 ineunte.

II. De philosophiae studio recte instituendo (ll. IV. V epp. 30—52) anno 62 exeunte.

III. De summo bono vere vel aestate anni 64.

1. verae epistulae (ll. IX. X epp. 72—79) vere anni 63 scriptae.

2. Stoicorum collectiones (ll. XI—XIII epp. 80—88) anno 63 exeunte congestae.

---

1) cfr. supra p. 669.

2) Lactantii locos cum Haase inter Senecae fragmenta typis describendos curaverit, iterum excerpere et transcribere supersedeo. cfr. Seneca, ed. Haase vol. III p. 443/4 fr. 119. 120. 124.

3) Inst. div. I 16_{10}. II 2_{14}. cfr. Haase fr. 119. 120.

4) Inst. div. VI 17_{28}. cfr. Haase fr. 124.

5) ep. $41_{4.\,5}$. 108_{13}. 115_{3}. 120_{19}.

6) Inst. div. II $4_{13.\,14}$. 8_{23}. VI 25_{3} epit. Inst. div. 4_{3} cfr. Haase fr. 121. 122. 123. 125.

7) nisi potius creditis Inst. div. II 4_{14} non accurate laudari Senecae ep. 115_{8}. Ruhkopf, adn. ad ep. 109_{15} tradit e Senecae philosophiae moralis voluminibus passim quaedam laudari a Vincentio Bellovacensi. Sed cum propter temporis angustias non potuerim tria huius specula accurate perscrutari neque ille certos attulit locos, diiudicare non queo, utrum illis excerptis confirmetur sententia mea supra proposita, an refellatur. F. Osann (commentationum de L. Annaei Senecae scriptis quibusdam deperditis specimina III. Giessae 1846. 7. 8) non egit de libris moralibus.

3. libri continui (ll. VI—VIII epp. 53—71) vere vel aestate anni 64 compositi.

IV. Moralis philosophiae commentarii (ll. XIV—XX epp. 89—124) anno 64 exeunte.

V. (De deorum cultu) (ll. XXI— x epp. 125—x) vere anni 65?

Atque ita sunt composita, ut I° et II° contineantur verae epistulae pleraeque, partim eo consilio iam conscriptae, ut ederentur, mixtae cum fictis, III° et IV° comprehendantur maximam partem commentationes minores vel maiores epistularum forma compositae, quibus interiectae sunt quaedam verae epistulae et priore aetate scriptae et eo tempore, quo reliquae colligebantur. In colligendis omnibus non tam temporis, quam sententiarum ordo est servatus. Neque putandus est Seneca iam ab initio constituisse V edere corpora, sed paulatim videtur prius consilium, e veris epistulis quasdam colligendi, mutasse et maiora sibi proposuisse.

Sed ne cui videar ineptias excogitasse cum statui iustas epistulas certo consilio electas mixtas cum fictis ab eo esse editas, cogitate similia etiam hoc ipso saeculo non semel accidisse. Nam, ut duo afferam exempla: Elisabetha de Arnim quas ipsa scripserat epistulas quasque acceperat a Goethii matre, a Goethio, a Nathusio, ab aliis, subinde mutatas vel emendatas variis complexa voluminibus publicavit addito longe maiore numero fictarum (cfr. „epistulas Goethii atque infantis“ 1835, „Ilii Pamphilii et Ambrosiae“ 1848 etc.). Similem in modum Paulus Pfizer ex iustis epistulis annis 1827—1829 datis ad Fridericum Notterum poetam ab eoque receptis elegit eas, quibus de philosophia erant locuti, electas ad editionem paravit. Neque vero has tantum edidit anno 1831, sed adiunxit alteram partem epistularum, unam si excipis 14, prorsus fictarum, quibus omnibus, tamquam unius generis essent, inscripsit: „epistulae datae inter duos Germanos“. Talia non video cur a Senecae temporibus iudicemus abhorrere.

Appendices.

I.

De aliis philosophiae moralis auctoribus.

Senecae epistularum partes et tempora, quibus essent editae, investigaturus non id putabam mei negotii esse, ut anquirerem, quibus fontibus esset usus. Tamen non aberrare videbor a totius commentationis consilio, si ostendam, alios quoque antiquos philosophos in easdem partes distribuisse philosophiam moralem atque eisdem de rebus edidisse libros separatos. Tum enim verisimilius fiet etiam a Seneca idem esse factum.

Ac primum quidem congruit Senecae divisio cum ea, quam Didymus [1]) testis est factam esse a Philone Larisaeo. Hic enim cum conscriberet libros complectentes totam philosophiam moralem, sex eius constituit esse locos. [2]) Nam philosophum comparans cum medico, qui primum suadet aegroto, ut accipiat medicinam, primum dixit esse locum adhortationis, quo philosophus et ostendit artis suae utilitatem et refutat eius inimicos et obtrectatores.

Secundus est locus sanationis, cuius est adhibita ratione et demere pravas de rebus bonis et malis opiniones, et ostendere rectas.

Deinde, ut medici tota ars pertinet ad corporis bonam valetudinem, tertius locus est de finibus sive de beatitudine.

Locum quartum, qui est de recte vivendo, ipsum quoque Philo divisit in locum privatum, quo demonstravit, quid sapienti esset faciendum, et locum publicum, quo egit de re publica optime instituenda. Hunc vero non illi substituit, sed propter ambitum et rerum tractatarum vim universam ab eo separavit tamquam locum quintum.

Sextum adiunxit locum praeceptivum, quo comprehendit praecepta in angustum contracta utilia eis, qui variis de causis ad sapientiae summam nondum pervenerunt aut omnino pervenire non possunt.

---

1) cfr. Stobaei anthol. (l. II ed. C. Wachsmuth. Berol. 1887) II 7_2.
2) cfr. Zeller, die Philosophie der Griechen III, 1 ed. III. Lipsiae 1880 p. 590 adn. 4.

Vix necesse est, longa enarratione ostendam eosdem locos eodem ordine a Seneca esse tractatos. Iam enim demonstravi epistulis 1—29 contineri adhortationes ad philosophiae studium. Atque adeo cum I libri epistulae maximam partem collectae sint ex antea scriptis, qui sequuntur duo libri recens scripti duabus respondent Philonis huius loci partibus. Nam libro II Seneca suadet Lucilio, ut omnibus, quae videntur, bonis neglectis ad philosophiam animum convertat, quae una praestet verum gaudium perpetuum, libro III contra philosophiae obtrectatores ostendit nullo negotio omnia illa, quibus a philosophia abducimur, posse abici, cum sint vana et contemnenda. Huius primi loci quasi supplementum sunt secundi corporis epistulae (30—52), partim ex antea neglectis receptae, quibus et animum perfectum laudibus cumulat et demonstrat, quomodo philosophiae studium sit instituendum, ut ad verum illud bonum perveniamus.

Deinde Philonis locos secundum et tertium, qui sunt de animo sanando et de finibus sive de beatitudine, attigerat Seneca corporis III partis secundae, tempus si respicis, primae veris epistulis (72—79), quibus addidit Stoicorum de vita beata collectiones (epp. 80—88). Sed cum retractare sibi proposuisset has quaestiones oratione continua, accurate in suas partes eas divisit. Itaque absolvit eiusdem corporis parte prima, tempus si respicis, ultima primum (epp. 53—62) sanationis locum, ostendens, quibus in rebus posita esset animi vera tranquillitas, et quae ab ea essent aliena, deinde agens de finibus (63—71) ostendit in animo perfecto atque tranquillo sive in virtute positam esse ipsam beatitudinem.

His adiungendus erat locus quartus de recte vivendo, quem copiose videmus tractatum epp. 89—124, fortasse coniunctum cum loco praeceptivo (Philonis sexto). Nam et defendit Seneca hunc locum, *qui dat propria cuique personae praecepta* (ep. 94), antequam ad ipsam accederet disputationem, et nonnulla protulit praecepta, quae ad sapientem trahi non possunt, velut ep. 108.

Illum vero locum quintum, qui est de re publica administranda, prorsus omisit, quoniam otium dignius iudicavit sapientibus[1]), vel ne offenderet Neronem Caesarem.

Nunc fortasse mirum non videbitur, in Senecae IV epistularum corpore rationalia esse seposita, ut in extremis libris tractarentur. Talia enim in Philonis commentariis omnino erant neglecta; tamen quoniam ad eandem partem pertinebant, cum reliquis libris uno corpore erant coniungenda.

Sed aliud dum agebam, illud quoque nescio an legentibus magis quam antea probaverim[2]), Senecae de deorum cultu libros non fuisse coniunctos cum IV epistularum corpore, sed in quintum corpus redactos. Huius enim quaestionis nulla fit mentio in Philonis divi-

---

1) cfr. dial. VIII de otio.
2) cfr. supra p. 672—3.

sione neque omnino videtur locus fuisse in eius moralis philosophiae libris.

Nondum contendi e Philonis libris hausisse Senecam, quoniam in hanc quaestionem non satis accurate inquisivi, sed divisionem esse Philonis. Confiteor autem, cum perlegerem Ciceronis Tusculanarum disputationum libros, saepissime me esse admonitum Senecae epistularum. At Ciceronem usum esse Philonis libris moralibus in conscribendis disputationibus illis luculenter ostendit Rudolfus Hirzel.[1]) Itaque mihi quidem veri simillimum videtur, utrumque interdum eodem fonte esse usum.

Certe apud Ciceronem quoque eandem reperimus moralis philosophiae partitionem. Quod mirum non est. Philonis enim erat auditor, cui cum Romae versaretur, totum se dedit *admirabili quodam*, ut ipse fatetur, *ad philosophiam studio concitatus.*[2]) Itaque prooemii loco ille quoque praemisit Hortensium, quo libro id egit, ut cives suos ad philosophiae studium adhortaretur, quo facto Academicorum libris etsi non philosophiam universam, attamen arcem suam, Academicorum sectam, defendit ab aliorum arrogantia.

Deinde libris de finibus bonorum et malorum accessit ad locum II. Eis enim aliarum scholarum de rebus bonis et malis sententias explicavit et cur pravae essent iudicandae ostendit. Quid ipse sentiret exposuit Tusculanis disputationibus, quibus excerptis e magistri libris moralibus ipse quoque, sicut postea Seneca, Philonis locum secundum et tertium uno corpore comprehendit, neque vero confudit. Nam libris I—IV tractavit locum sanationis, quo et pravas de adfectibus sententias adhibita ratione studuit demere et rectas inserere animis, libro V ostendit sola virtute constare vitam beatam.[3])

Denique etiam hic egit de recte vivendo tribus de officiis libris. Singulas vero res ex hac materia sumptas seorsum iam antea absolverat libris de senectute et de amicitia confectis.

His ipse adnumeravit[4]) sex de re publica libros iam multo antea scriptos pertinentes ad Philonis locum quintum.

Loci sexti vero retractandi, cum comprehendatur iam loco quarto, nescio an nunquam Cicero consilium ceperit.

Sed idem iam interposuit inter locum III et IV quaestiones pertinentes ad deorum cultum libris de deorum natura, de divinatione, de fato conscriptis, ad quas Seneca, ne turbaret rerum ordinem traditum, postremo loco demum accessit.

Quid, quod Didymus eandem secutus est materiae divisionem, cum componeret epitomen ethicam quam servavit Stobaeus eo capite,

---

1) Untersuchungen zu Ciceros philosophischen Schriften, vol. III. Lipsiae 1883 p. 342—492. cfr. supra p. 659. 2) Brutus 306.

3) cfr. Hirzel, l. l. p. 479—487, ubi accuratius ostendit, quae ratio intercederet inter Philonis „λόγον κατὰ φιλοσοφίαν" et Ciceronis disputationes Tusculanas.

4) de div. II 3.

quod inscribitur: περὶ τοῦ ἠθικοῦ εἴδους τῆς φιλοσοφίας?[1]) Quamquam adhortatione huic iam non opus erat, quippe qui totius corporis prooemio inclusisset philosophiae laudem nunc perditam, sed laudatam a Photio.[2]) Itaque illius loco recepit a Didymo quorundam philosophiae moralis definitiones 7_1, et Philonis Eudorique divisiones 7_2 et nonnullorum verborum saepius in philosophia occurrentium explicationes $7_{3.4}$.

Didymus vero Stoicorum tradens decreta primum egit de rebus bonis et malis sive petendis et fugiendis et de virtutibus (= locus sanationis 7_5), deinde de vita beata et de eis rebus, quibus constaret beatitudo (= locus de finibus 7_6), quibus adiunxit eorundem de rebus indifferentibus et de productis decreta 7_7. Tum transiit ad locum de recte vivendo. Egit enim de officiis, de amicitia, similibus (= locus IV: 7_{8-12}) et illum quoque locum de legibus et de re publica administranda occasione oblata tetigit (velut 7_{11}[1]). Locum vero VI cum repetita tantum contineret praecepta, fortasse iam Didymus praeterierat, nam a Stobaeo omissus est.

Eodem ordine usus est ad Peripateticorum dogmata tradenda. Primum enim egit de virtutibus, de bonorum generibus, de rebus petendis et fugiendis (= locus sanationis 7_{13-16}). Deinde illorum exposuit sententias de beatitudine et de fine (= locus de finibus 7_{17-19}), tum de officiis secundum rationis arbitrium exsequendis, de amicitia, de gratia (= locus de recte vivendo 7_{20-25}), denique absolvit V de re publica locum 7_{26}.

Itaque si moralem philosophiam videmus etiam alibi passim easdem in partes esse divisam, si Ciceronem certo scimus secutum in universum eandem divisionem eisdem de rebus edidisse libros atque adeo librorum corpora separata, si intellegimus in Senecae epistulis moralibus easdem occurrere partes, estne tam absonum credere eas etiam editas esse separatas, praesertim cum tot aliis argumentis haec ipsa fulciatur sententia?

II.

De Senecae epistularum codicibus.

Adhuc e librorum argumentis demonstrare conatus sum, IV vel V Senecae epistularum corpora non coniuncta, sed alterum post alterum ab ipso esse edita. Iam attendite quos afferam testes, quorum auctoritate non contemnenda defenditur coniectura mea. Quamquam ipse nullum Senecae vidi codicem, tamen si C. R. Fickerto[3]) et Rossbachio[4]) credimus, nullus exstat codex complectens epistulas

1) anthol. II 7. 2) cod. 167.
3) ed. vol. I praef. p. 14—26.
4) O. Rossbach, de Senecae philosophi librorum recensione et emendatione. 1888 (Bresl. philol. Abhdlgg. II_3) cap. IV p. 31—34.

